IOH. SIMONIS

HISTOR. S. ET ANTIQUIT. PROF.

INTRODVCTIO GRAMMATICO-CRITICA IN LINGVAM HEBRAICAM,

QVA

DE LINGVAE ILLIVS

APPELLATIONIBVS, ORIGINE ET ANTIQVITATE, NATVRA, FATIS AC SVBSIDIIS, DE PRAECIPVIS ITEM GRAMMATICES HEBRAICAE MOMENTIS, DE TEXTV DENIQVE HEBRAICO SACRI CODICIS V. T. DISSERITVR,

IN VSVM IVVENTVTIS ΦΙΛΕΒΡΑΙΟΥ EDITA.

ACCEDIT

APPENDIX

DE

LINGVA CHALDAICA.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

IMPENSIS ORPHANOTROPHEI MDCCLIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Qua methodo elaboratam *in linguam Græcam Introductionem Grammatico-Criticam* haud ita pridem luci publicæ expoſui, eadem ratione concinnatam hanc *Introductionem in linguam Hebraicam* jam exhibeo. Facile exinde perſpicitur, quanto ſtudio poſt litterarum ſacrorumque reſtaurationem in excolenda ac perficienda lingua Hebraica certatim quaſi deſudaverint Philologi, quamque varii ſemper fuerint eorundem conatus, quo tandem aliquando ad accuratiorem illius notitiam aditus recluderetur. Haud ſecus tamen indidem liquere poterit, Hebraiſmum multis adhuc circumſeptum eſſe diffi-

Digitized by Google

cultatibus: cujus rei ſpecimen vel ex ſola *Orthographia* dedit Vir, de litteris illis immortaliter meritus, D. CHRIST. BENED. MICHAELIS, LXIII *Quæſtionibus Grammaticis* ex lingua Hebraica in *Miſcellaneis Lipſienſibus Novis* Vol. VII. Part. II. propoſitis. Quot vero in *Etymologia* ac *Syntaxi*, quot loca denique dubia & vexata in ipſo *Textu S. Hebr.* ſuperſunt! Quam itaque optarem, ut ad exemplum tot ſocietatum, paſſim per Germaniam florentum, quibus vel Latinæ vel Germanicæ linguæ cultura curæ eſt, etiam quædam *Philologiæ S. ſocietas* à Viris litterarum ſacrarum atque orientalium apprime gnaris inſtitueretur! quo ſic conjunctis viribus communicatisque conſiliis Grammatices Hebraicæ momenta excuterentur, difficultates, eam paſſim circumſtantes, disquirerentur ac enodarentur, loca item Biblica obſcura nova luce colluſtrarentur. Equidem lubens ſymbolam meam qualemcunque ad laudabile ejusmodi inſtitutum conferrem. Sed ad hanc meam Commentationem ut revertar, non alio fine eam in lucem emitto, quam ut linguæ Hebraicæ ſtudium, quan-

tum

tum in me eſt, excitem atque ſacrarum litterarum cupidis monſtrem, unde plenior Hebraiſmi cognitio hauriri queat. Horum enim in gratiam, quæcunque præſtantiſſimi Grammatici ac Philologi paſſim in rem Hebræorum Grammaticam obſervarunt, ſtudioſe collecta, in compendio hic exhibeo: ut adeo labor ille meus *Commentarii* cujusdam *Grammatici* vicem ſupplere poſſit; licet non ſim neſcius, quædam inibi forſitan prætermiſſa eſſe, vel non ſatis explicata, vel minus accurate dicta: qua in re tamen vel eo nomine excuſationem quandam meruero, quod & brevitatis habenda eſſet ratio, & in tam multiplici rerum nominumque farragine, vndecunque congeſta, facillime error quidam obrepere poſſit. Certe eiusmodi quoque παρόραμα mihi excidiſſe videbitur in *Introduct. in linguam Græc.* p. 26. ubi lin. 2. pro *illorum* rectius legeretur *Atticorum*: ne DEMETRIVS *Phalereus* decem Rhetorum ſive Oratorum Atticorum, κατ' ἐξοχὴν ſic dictorum, quos recenſet ALB. FABRICIUS in *Biblioth. Græc.* Vol. I. p. 884. poſtremus fuiſſe intelligatur; cum potius

tius, teſtibus CICERONE ac QVINTILIANO, ultimus fuerit ex omnibus Atticis, qui dici poſſit Orator. Cæterum ipſam tractationem ita inſtitui, vt primo de *lingua Hebraica in genere*, deinde de præcipuis *momentis Grammaticis*, denique de ipſo *S. Textu V. T. Hebr.* ſcitu magis neceſſaria tradiderim. *Appendix* autem, ad finem ſubiecta, de *lingua* agit *Chaldaica*, quæ & ipſa linguis *ſacris* accenſeri meretur. Hæc breviter præfatus, Te, LECTOR BENEVOLE! ad ipſius opuſculi perluſtrationem ablego, ſimulque, ut minutiora quædam ex *Additamentis*, *Appendici* ſubiunctis, ad ſenſum redintegrandum neceſſaria, ſuis antea locis interſerere, ſphalmata autem, ad calcem libelli annotata, corrigere haud graveris, rogatum volo. Scribebam Halæ Magdeburgicæ ipſis Calendis Aprilis A. C. MDCCLIII.

INDEX

INDEX
SECTIONVM ET CAPITVM.

SECTIO I. de *lingua Hebraica in genere.*

Caput I. de *linguæ Hebraicæ denominationibus, origine & antiquitate* p. 1 - 11.

Caput II. de *linguæ Hebr. natura & qualitatibus* p. 11 - 24.

Caput III. de *fatis linguæ Hebr.* p. 25 - 43.

Caput IV. de *ſubſidiis linguæ Hebr.* p. 43 - 54.

SECTIO II. de *Elementis* ſive *Litteris & Punctis linguæ Hebr.*

Caput I. de *Litteris* p. 57 - 89.

Caput II. de *Punctis* p. 90 - 132.

SECTIO III. de *Syllabis linguæ Hebr.* p. 135 - 150.

SECTIO IV. de *Mutatione Punctorum Generali* p. 153-162.

SECTIO V. de *Partibus Orationis linguæ Hebr.* ſpeciatim de *Nomine* p. 165 - 178.

SECTIO VI. de *Particula* p. 181 - 190.

SECTIO VII. de *Verbo.*

Caput I. de *Verbo in genere* & de *Verbo Perfecto in ſpecie* p. 193 - 206.

Caput II. de *Verbo Imperfecto* p. 206 - 214.

Caput III. *de Verbi Mutationibus Accidentalibus* p. 214 - 222.

SECTIO

Sectio VIII. de *Figuris Grammaticis*, maxime *Epentheſi* & *Paragoge* p. 225-228.

Sectio IX. de *Anomaliis ex lingua Aramæa* p. 231. 232.

Sectio X. de *Syntaxi linguæ Hebr.* p. 235-242.

Sectio XI. de *Poëſi Hebræorum* p. 245-250.

Sectio XII. de *Textu Hebraico S. Codicis V. T.*

Caput I. de *Codicibus mſcr. editionibus & Variantibus Lectionibus Textus V. T. Hebr.* p. 253-268.

Caput II. de *variis Textus Hebr. V. T. Partitionibus* p. 269-275.

Caput III. de *Maſora* ſive *Critica Hebræorum circa Textum Hebr. V. T.* p. 275-282.

Appendix de *lingua Chaldaica* p. 285-298.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO I.

DE
LINGVA HEBRAICA
IN GENERE.

Digitized by Google

Digitized by Google

SECTIO I.

DE LINGVA HEBRAICA IN GENERE.

CAPVT I.

DE LINGVAE HEBRAICAE DENOMINATIONIBVS, ORIGINE ET ANTIQVITATE.

§. I.



De lingua Hebraica in genere commentaturis, quinque nobis circa eam conſideranda veniunt: 1) eius variæ *denominationes*, 2) *origo* & *antiquitas*, 3) *natura* & *qualitates*, 4) *fata*, adeóque brevis quædam illius linguæ *hiſtoria*, & denique 5) eiusdem diſcendæ *ſubſidia*. Quamdiu lingua illa, de qua nobis ſermo hic eſt, ſola per orbem ter-

Digitized by Google

terrarum, primis hominibus habitatum, regnavit, peculiari quadam *denominatione* ab aliis linguis diſtingui non habuit opus; pluribus autem exortis linguis, varias nacta eſt *denominationes*, deſumtas vel ab hominibus, quos inter conſervata eſt atque propagata: quo reſpectu dicta eſt *Hebræa* ſive *Hebraica;* (a) vel a tribu illa, penes quam a diſperſione populi Iſraëlitici permanſit: quomodo *Iudæa* ſive *Iudaica* nominatur; vel a regione, in qua obtinuit: qua ratione lingua *Cananæa* audit; vel denique ab ipſius præſtantia: unde *puræ* & *ſanctæ* nomen eidem impoſitum eſt. Prima, eaque uſitatior, linguæ illius *denominatio* eſt, qua dicitur עִבְרִית *Hebræa* ſive *Hebraica*, (a) ab *Hebræis*, quorum vernacula fuit. In Codice tamen V. T. nusquam id nominis occurrit, licet *Hebræorum* frequentiſſima fiat mentio. Contra vero in N. T. aliquoties *Dialectus Hebræa* memoratur, ut Act. 21, 40. c. 22, 2. c. 26, 14. ubi tamen non vetus illa & pura lingua *Hebraica*, qualis in Textu S. V. T. habetur, ſed Dialectus Iudæis tum temporis familiaris intelligitur, quam quidam *Syro-Chaldaicam*, alii *Hieroſolymitanam* vocant. *Hebræa* vero l. c. appellatur, quia *Hebræorum* illius ævi vernacula erat. Hoc loco ſermo eſt de vetere illa & pura lingua *Hebraica*, qualis apud *Hebræos* obtinuit, antequam ſucceſſu temporis penes eos in deſuetudinem venit & oblivionem. Vnde vero *Hebræorum* nomen fluxerit, adhuc ſub iudice lis eſt. Primus *Hebræi* nomine venit Abrahamus, Gen. 14, 13. quare Patrum nonnulli nomen *Hebræorum* ab *Abramo* deflexum eſſe, parum Grammatice putarunt. Alii, recen-

(a) Male *Hebræus, a,* vel *Hebraicus, a;* rectius *Ebræus, a, Ebraicus, a*, dici, pluribus contendit SLEVOGT in *Disputat. Academ. Select.* p. 1476. ſeq.

recentiores æque ac veteriores, Abrahamum עִבְרִי, *Hebræum*, dictum voluerunt, quia ex Chaldæa in terram Canaan commigrans, Euphratem עָבַר, i. e. *tranſiit*: quæ tamen nominis ratio vel ideo longius petita videtur, quia etiam Lotus una cum Abrahamo Euphratem tranſiit, nec tamen cum poſteris ſuis unquam hoc nomine inſignitus legitur. Sunt & duæ aliæ ſententiæ; altera quidem: Abrahamum l. c. *Hebræum* vocari, quod antea habitaverit עֵבֶר (i. e. *trans*) fluvium Euphratem; cui tamen obſtat, quod ſic omnes alii populi, regionum transeuphratenſium incolæ, *Hebræi* dicendi forent; neque etiam ſic *Hebræorum* nomen in Abrahami poſteros quadraret, qui non *trans*, ſed *citra* Euphratem habitarunt. Supereſt itaque ſententia omnium & tritiſſima & maxime probabilis, עִבְרִי eſſe *Patronymicum* ſive *Gentile* ab *Hebero*, nepote Semi, patris omnium filiorum *Heber*, Gen. 10, 21. Conf. pluribus STEPH. MORINVS de *lingua prim.* Exercit. I. c. 9. & 10. BUXTORFFIVS in *Diſſertat. Philologico-Theolog. III.* BOCHARTVS in *Phaleg* L. II. c. 14. WASMVTHVS in *Vindiciis S. Hebr. Scripturæ* p. 89. ſeq. Auctores *Hiſtoriæ orbis terrarum univerſalis* P. I. §. 298. 299. LOESCHERVS de *Cauſis ling. Hebr.* p. 53. ſeq. aliique apud PFEIFFERVM in *Dub. Vex.* Centur. I. Loc. 36. & apud CARPZOVIVM in *Critica S. V. T.* p. 165. Denominatur inſuper eadem lingua יְהוּדִית *Iudæa* ſive *Iudaica*, conf. 2 Reg. 18, 26. 2 Chron. 32, 18. &c. a *Iudæis*, quo nomine tribus *Iuda* & *Beniamin*, reliquis in captivitatem abductis, in terra Canaan ſuperſtites, vocabantur: unde Mardochæus יְהוּדִי, *Iudæus*, dicitur, qui tamen *Beniaminita* erat, Eſth. 2, 5.

§. II.

Sunt & aliæ linguæ Hebr. *denominationes*, quæ ex parte in diſceptationem veniunt. Quando enim illa Ieſ. 19, 18. *labium* (i. e. lingua) *Canaan* vocatur, vulgo id nominis inde arceſſunt, quod Iſraëlitis, terram Canaan incolentibus, vernacula fuerit. Sunt tamen, ut IOS. SCALIGER, ERPENIVS, LVD. CAPPELLVS, HVETIVS, CLERICVS, SCHVLTENS &c. qui ex l. c. & quia omnia Cananæorum urbiumque eorum *Nomina Propria* pure Hebraica ſunt, atque Iſraëlitæ cum Cananæis, nullo interveniente interprete, collocuti leguntur, Hebraicam & Cananæam eandem fuiſſe linguam colligunt. Alii rem ita conciliant, ut utriusque linguæ magnam fuiſſe cognationem cenſeant; conf. LOESCHERVS l. c. p. 28. ſeq. FVLLERVS in *Miſcell. S.* L. IV. c. 4. I. C. WICHMANSHAVSEN in Diſſert. *qua lingua Hebr. de Cananæa triumphans ſiſtitur*, &c. Sic ubi Zeph. 3, 9. mentio fit *labii puri*, ABEN-ESRA aliique Iudæi linguam intelligunt Hebraicam; quæ tamen explicatio merito repudiatur. Denique lingua Hebr. Paraphraſtis Chaldæis &, qui eos ſequuntur, Iudæis vulgo dicitur *ſancta:* cuius nominis variæ redduntur rationes, e. g. quia ab ipſo Deo *ſanctiſſimo* immediate ortum ducat, qui & lingua illa cum Patriarchis atque Prophetis collocutus ſit; quia olim in Terra *Sancta* obtinuerit; quia Scriptura *ſacra* V. T. eadem lingua conſignata ſit; quia phraſibus verbisque idololatricis ac impudicis deſtituatur. Addunt Iudæi: quia populo *ſancto*, qualem ſe eſſe iactant, quondam fuerit vernacula, nec preces ullæ, niſi Hebraice conceptæ, a Deo exaudiantur. Quibus LOESCHERVS l. c. p. 461. ſubiicit: quia omnes eius phraſes æquitatem iuſtitiamque præ ſe ferant, adeo, ut etiam Pronomina *Poſſeſſiva Separata* in ea deficiant: quæ loquendi formæ avaritiam

tiam reprimant iubeantque, opes noſtras tanti non habendas eſſe, ut *ſeparatim* ſpectentur. Vnde quidam in ſententiam devenerunt omnino ridiculam, diabolis non licere hominem ullum, ob ſummam eius *ſanctitatem*, linguam docere Hebraicam. Sunt quoque, qui linguam illam vel ideo pro *ſancta* eſſe habendam eſſe credunt, quia aliquando lingua beatorum futura ſit, quemadmodum eadem protoplaſtis in ſtatu integritatis uſitata fuerit; ut adeo linguarum & prima fuerit & ultima futura ſit: unde Apoc. 19, 4. beati in cœlis vocabula Hebr. *Amen* & *Halleluia* cantaſſe legantur; conf. PFEIFFERVS in *Introduct. in Orient.* p. 12. SCHELWIGIVS in Diſſert. de *lingua beatorum*, I. F. KOEBERVS in Diſſert. de *uſu linguæ Hebr. in vita æterna*, aliique apud I. I. SCHVDTIVM in *Deliciis Hebræo-Philol.* p. 121. De linguæ autem Hebr. *ſanctitate* plura dabunt BVXTORFFIVS in *Diſſert. Philolog. Theol. I.* §. 60. LOESCHERVS l. c. L. III. c. 4. PFEIFFERVS l. c. p. 5. I. B. HAHN in Diſſert. de *appellatione linguæ Hebr. qua ſancta dicitur*, &c. Imprudenter tamen linguæ Hebr. Chriſtianos ad Iudæorum exemplum tribuere laudem *ſanctitatis*, pluribus monet SCHVLTENS in Præfat. ad *Commentar. in Proverbia.* Multa quoque contra linguæ Hebr. *ſanctitatem* excipiunt IOH. WOWERIVS in *Polymathia* c. 18. & CLERICVS in Diſſertat. de *lingua Hebr.* §. 5. (b) quibus reſpondit CARPZOVIVS in *Critica S. V. T.* p. 204. Plura de linguæ Hebr. *appellationibus* habent ALTINGIVS in Orat. de *linguæ Hebr. nominibus*, (c) LEVSDENIVS in *Philologo Hebr.* Diſſert. XXI. I. P. ODELEM in Diſſert. de *lingua Hebr.* CARPZOVIVS l. c. P. I. c. 5. ſect. 1. aliique.

 §. III.

(b) Commentario eius in *Pentateuchum* præfixa.

(c) Exſtat illa in eius Operum Tomo V.

§. III.

Linguam primam ab ipſo Deo ortum ducere, nemo facile negaverit, quod vel ipſe PLATO gentilis agnovit: cum protoplaſti ſtatim a creatione locuti legantur. Lingua illa prima præterea usque ad confuſionem & diſperſionem Babylonicam ſola inter homines viguiſſe diſerte legitur Gen. II, I. Vtrum vero Deus protoplaſtis ſtatim omnia vocabula per habitum quendam infuſum, an facultatem & prima ſaltem loquelæ ſtamina, uſu, pro rebus continuo occurrentibus, indies amplificanda, impertierit? infra pluribus diſpiciemus. Conf. interim MORINVS de *lingua prim.* Exercit. I. c. 6. & 7. LEVSDENIVS l. c. Diſſert. XVII. LOESCHERVS l. c. L. I. c. I. HOLMIVS in Diſſert. de *ſermone eiusque origine*, H. OPITIVS in *Ogdoade Quæſtionum Philolog.* quæſt. 3. PATRICIVS DELANIVS in Diſquiſit. de *Revelatione* p. 56. ſeq. &c. Totius rei cardo in eo verſatur: num lingua protoplaſtorum fuerit Hebraica? & an prima illa lingua in confuſione Babylonica interierit? Ad quæſtionem priorem quod attinet, paucæ quidem linguæ ſunt, quibus non unus atque alter primævitatis laudem tribuerit. THEODORETVM, GEORGIVM AMIRAM & ex parte ATH. KIRCHERVM, quibus lingua Syriaca omnium antiquiſſima habetur; MYRICÆVM, CAMPANELLAM aliosque, qui pro Chaldaica decertant, confutatos dederunt BARTH. MAYERVS in *Philologia S.* P. I. & PFEIFFERVS in Exercitat. de *lingua protoplaſtorum.* De EVTYCHII, P. ERICI & HERM. HARDTII ſententia, Græcam omnium linguarum eſſe matrem, vid. *Introduct. in ling. Græc.* Sect. I. §. 2. GOROPII BECANI ſomnia de lingua Cimbrica ſive Flandrica primæva exploſerunt idem PFEIFFERVS l. c. NICOL. KOEPPEN in Diſſert. de *linguarum confuſione* p. 3. Ven.

Ven. IOH. DIET. WINCKLERVS in *Hypomnemat. Philol.* p. 1. ſeq. aliique apud PFEIFFERVM l. c. Neque magis aſſenſum meretur ANTON. RICCIARDVS, qui in Schediaſm. de *præſtantia & antiquitate linguarum* linguam Iuticam, & IOH. WEBBIVS, qui in ſcripto Anglicano: *An eſſay, that the language of the empire of China is the primitive language*, edit. Lond. 1669. Sinicam omnium antiquiſſimam facit.

§. IV.

Primo vero demonſtrandum eſt, linguam primævam non periiſſe in confuſione Babylonica, id quod ſequentibus argumentis probari ſolet: I) certum eſt, primam linguam ad diluvium usque ſartam manſiſſe tectamque, Deumque cum Noacho eadem lingua collocutum, qua cum Adamo locutus eſt. II) Noachus, qui poſt diluvium annos 350 vixit ſuæque familiæ & ſacris præfuit, ipſam illam linguam conſervavit eaque uſus eſt. III) In Noachi familia Semus, exemplum patris ſecutus, una cum lingua primæva veram religionem in familia ſua conſervavit, a quo eam nepos eius Heberus accepit. IV) Cum plurimi ex Noachi poſteris turrim Babylonicam molirentur, pius ille Heberus in iſtam exſtructionem nequaquam conſenſiſſe, adeoque a pœna confuſionis linguarum manſiſſe immunis putandus eſt. Atque is ipſe Heberus, a quo gens *Hebræorum* & lingua *Hebraica* discriminis cauſa ab aliis linguis, tunc temporis exortis, appellata eſt, quique adeo Iacobi tempora vivendo attigit, tandem linguam illam primævam in Abrahamum transtulit. Hisce vero contradicunt, quotquot primam linguam in confuſione Babylonica vel plane periiſſe vel in alias linguas ſeſe diffudiſſe contendunt, ut GROTIVS in *Commentar.* ad Geneſ. 11. HVETIVS in *Demonſtrat. Evangel.* Propoſ. IV. c. 13. CLERICVS in Diſſert.

de *lingua Hebr.* §. 3. CLUVERIVS in *Germania Antiq.* L. I. c. 8. KIPPINGIVS in Diſſert. *de lingua primæva*, I. S. STRYCKIVS in Diſſert. *de reliquiis ſacramenti in cauſis matrimonialibus* p. 78. ZELTNERVS in *Enneade Quæſtionum Philolog.* quæſt. 1. &c. quorum obiectiones refellunt, qui de *antiquitate* & *primævitate linguæ Hebr.* diſſeruerunt. Linguam vero primævam, quæ & in confuſione Babylonica ſuperſtes manſit, eſſe ipſam Hebraicam, exinde demonſtrant: quia I.) ex illa omnia *Nomina Propria* hominum antediluvianorum una cum impoſitionis eorum ratione explicari poſſunt, e. g. Nomina *Adam*, *Chavva*, *Kain*, *Scheth*, *Peleg* &c. II.) Quia lingua Hebr. omnium ſimpliciſſima eſt, ut deinceps docebimus. III.) Quia plurimæ linguæ orientales ad Hebraicam veluti ad matrem communem referuntur, & in omnibus aliis linguis voces ſuperſunt, ex Hebraica exortæ, ut oſtenderunt, quotquot de *linguarum harmonia* tradiderunt, conf. *Introduct. in ling. Græc.* Sect. I. §. 3. Quibus nos IV.) hæc ſuperaddimus: Moſes, ſcriptorum hodienum ſuperſtitum antiquiſſimus, monumenta quædam ſcripta habuerit oportet; cum alioquin concipi nequeat, qua ratione de tot *Nominibus Propriis*, numeris, immo & rebus, iam dudum ante ipſum geſtis, ſolaque traditione orali propagatu omnino impoſſibilibus, conſtare illi potuerit. Sic certe poſt DICKINSONIVM in *Phyſica vetere & vera* c. 3. §. 7. ſentiunt VITRINGA in *Obſervat. S.* L. I. Diſſ. I. c. 4. & CLERICVS in Diſſert. de *ſcriptore Pentateuchi* §. 2. (d) quicquid IOH. MEYERVS in Diſſert. de *primo libro Moſaico*, *unde Moſes res in Geneſi & primis capitibus Exodi deſcriptas didicerit*, & CHR. STEPHANI in Diſſertat. *an Moſes Geneſin e ſchedis Patriar-*

(d) Eius Commentario in *Pentateuchum* præmiſſa.

triarcharum collegerit? contra excipiant. Niſi quis immediatum quoddam dictamen diuinum quoad ſingula vocabula adeoque miraculum in ſubſidium vocare velit; quod tamen nequaquam neceſſarium nobis videtur. Quodſi itaque lingua prima penitus exſtincta fuiſſet, tunc Moſes, utpote Hebræus, rerum, ante linguarum confuſionem geſtarum, monumenta, lingua illa conſignata, non intellexiſſet; atqui illa intellexit: ergo Hebraice conſcripta fuiſſe oportet. Plura de *primævitate* & *antiquitate* linguæ Hebr. dabunt, qui de illa ex inſtituto tractarunt, magno agmine excitati a WOLFFIO in *Biblioth. Hebr.* Vol. II. p. 622. ſeq. & Vol. IV. p. 308. ſeq. & a CARPZOVIO l. c. p. 178. quibus addi merentur Auctores *Hiſtoriæ orbis terrarum univerſalis* P. I. §. 338. ſeq. HILLISCHERVS in Diſſert. de *Hebr. linguæ antiquitate*, BERNH. SCHMIDIVS in Diſſert. de *lingua Hebr.* c. 2. BENZELIVS in *Syntagm. Diſſertat.* T. I. p. 120. ſeq. E. C. SCHROEDTERVS in Diſſert. de *lingua prima*, B. H. GEBHARDVS in Diſſ. de *primævitate linguæ Hebr.* Celeb. I. I. SCHROEDERVS in Diſſert. de *primæva lingua Hebr.* Doctiſſ. GABR. GRODDECK in Program. de *lingua prima*, F. H. *van den* HONERT in *Diſſertat. Hiſtor. III.* Cl. C. F. BODE in Diſſert. de *primæva linguæ Hebr. antiquitate*, aliique.

CAPVT II.

DE LINGVAE HEBRAICAE NATVRA ET QVALITATIBVS.

§. V.

Linguæ Hebr. *naturam* & *qualitates* definituri, eam merito dicimus *ſanctam*, *primævam* & *antiquiſſimam:* qua de re Cap. præced. diſſeruimus. Eſt porro eadem

eadem III.) lingua *pura* & *ſimpliciſſima*. *Puritas* illa atque *ſimplicitas* exinde apparet, quod peregrinis atque ex linguis aliis petitis vocibus careat; quod pauca *Compoſita*, maxime in *Appellativis*, habeat; quod eius conſtructiones phraſesque ſint ſimpliciſſimæ, res tam breviter tamque accurate exprimentes, ut nulla alia lingua eam aſſequi valeat; quod omnes *Radices* ſive *Primitiva* tribus tantum litteris abſolvantur; quod pauciſſimis varietur Coniugationibus; quod Dialecti in ea deficiant &c. Hisce tamen contrariari videtur, 1) quod multa vocabula exotica, e. g. Ægyptiaca, Perſica & Aramæa, in illa offendantur. Verum enim vero bene obſervandum eſt, vocabula iſta non referenda eſſe ad ipſam linguam Hebr. ibi ſaltem in medium producta, ubi de rebus exoticis ſermo eſt, ut Gen. 31, 47. c. 41, 43. 45. 2) Quod multas *Radices* ab aliis linguis, Chaldaica, Syriaca, Arabica &c. repetere neceſſe habeat. Sed reſpondemus: non eſt dubitandum, quin ipſæ illæ *Radices* etiam in lingua Hebr. olim obtinuerint, quamvis in Codice S. V. T. non obviæ; quippe qui nequaquam omnes voces, olim in communi vita Hebræis tritas, complectitur: ſicut nec in Textu N. T. omnia vocabula Græca leguntur. Quascunque itaque *Radices* lingua Hebr. ab aliis linguis orientalibus repetit, eas revera ſibi, veluti matri, vindicare putanda eſt. 3) Quod WOLFFIVS in *Biblioth. Hebr.* Vol. II. p. 632. Celeb. P. T. CARPZOVIVS in *Animadverſ. Philol. Crit.* p. 56. & I. D. KIESLINGIVS in aliquot Diſſertationibus de *Dialectis Hebræorum*, revera Dialectos in lingua Hebr. notaverint. Sed recte Dialectos illas KIESLINGIVS vocat *puras*, inflexionem quippe & pronunciationem vocum quarundam tantum concernentes. Cæterum qui litteris Hebræorum notionem quandam *Hieroglyphicam* tribuunt, vt LOESCHERVS de *Cauſis ling. Hebr.*

Hebr. p. 471. Hebraiſmi *ſimplicitatem* exinde confirmare ſtudent, quod omnes *Radices*, vel, ut illi vocant, *ſemina vocum* ſint bilittera; quorum tamen hypotheſis quam parum fundata ſit, Sect. ſeq. c. I. docebitur. Id vero prætermitti nequit, mirandum omnino eſſe, linguæ Hebr. *puritatem* a Moſe inde, primo ſcriptore ſacro, ad tempora usque Malachiæ, poſtremi ſcriptoris divini, ſemper manſiſſe incorruptam, inque Malachia eundem regnare Hebraiſmi ſtylum, qui offenditur in ſcriptis Moſis, licet ultra mille annos a Malachiæ tempore remoti; cum contra aliis linguis ſingulis fere ſeculis viciſſitudo quædam ſatis notabilis accidere obſervetur. Conf. Buxtorffii Diſſ. de *linguæ Hebr. conſervatione*.

§. VI.

Linguam Hebraicam IV.) merito dicimus *elegantiſſimam* ac *ſuaviſſimam*. *Elegantia* illa atque *ſuavitas* conſpicua eſt partim in vocibus ſingulis, partim in integris conſtructionibus. Conſtat, linguarum euphoniæ repugnare, ſi in eadem voce plures Vocales immediate ſeſe contingant; ſi Conſonantes nimis multæ ad eandem referantur Syllabam, maxime pronunciatu difficiliores, id quod in lingua Polonica ſolemne eſt; ſi inſuper Conſonantes incompatibiles coniungantur; ſi vocabula iuſto ſint prolixiora &c. Græci eiusmodi *κακοφωνίαν* diverſimode evitare ſtudent, e. g. concurſum Vocalium per *Contractionem*, *Apoſtrophum* & *ν* ſic dictum ἐφελκυστικόν; litteram *ν*, ante alias Conſonantes pronunciatu difficilem, mutando in Conſonantem ſequenti ſimilem, ut συλλέγω pro συνλέγω &c. Qua in re quoque primas tenere lingua Hebr. deprehenditur. In ea enim nunquam duæ Vocales immediate ſequuntur: cum nulla Syllaba a Vocali incipiat & Hebræi Diphthongis deſtituantur;

tur; litteræ *Gutturales*, pronunciatu quippe difficillimæ, nunquam geminantur; *Dages Lene* pronunciationi faciliori inſervit; littera *Nun* ſimiliter in Conſonantem ſequenti ſimilem transit, vt יִפּוֹל pro יִנְפּוֹל; in Coniugatione *Hithpahel* euphoniæ cauſa ת ex *Præformantibus* הת cum Conſonantibus *ſibilantibus*, ז, צ & שׁ, transponitur, mutato deinde ז in ד & צ in ט; Conſonantibus Puncta ſubſternuntur illarum naturæ conuenientiſſima, e. g. *Gutturalibus*, ore aperto efferendis, ſonus *A* tam præmitti quam ſubiici ſolet; voces longiores, abiecta una atque altera Vocali, decurtantur, &c. In integris conſtructionibus ad euphoniam facit, ut ne vocabula nimis traiiciantur & intricentur, ſed omnia ordine naturali fluant; ut ne periodi aut nimis prolixæ aut iuſto breviores ſint; ut in fine periodi *cadentia* (Galli vocant *cadence*) auribus ſe graviter inſinuet. *Figuræ* inſuper ſermonem reddunt ornatiorem. Omnia illa in lingua Hebr. obſervari videas, e. g. ut oratio graviter in fine cadat, Vocales breves in *pauſa* mutantur in longas tonusque ex ultima retrahitur in penultimam. Quod ſi quis elegantium maximeque efficacium conſtructionum ac phraſium exempla deſideret, ille modo legat verba Iacobi moribundi Gen. 49. canticum Moſis Deut. 32. eiusdemque ultimam benedictionem c. 33. (e) primum caput Ieſaiæ, Threnos Ieremiæ, (f) Pſalmum centeſimum quartum &c. ſimulque conferat, quæ hanc in rem differunt BLOSSIVS in Diſſert. de *Rhetorica linguæ Hebr. compoſitione*, I. W. BERGERVS in Diſſert. de γλυκύτητος *ſacræ vi*, BRAVNIVS

(e) Conf. C. D. KOCHII Diſſert. de *eloquentia & Poëſi Moſis.*

(f) Conf. KEMMERICHII Diſſert. de *eloquentia Ieremiæ.*

NIVS in Diſſert. de *præſtantia ſtyli Hebraici*, (g) MICH. WALTHERVS in Orat. de *admiranda ſacrarum litterarum V. T. eloquentia*, IOH. BALDOVIVS in Orat. de *lingua Hebr. pronunciatione ſuaviſſima, elegantiis cultiſſima & cognitu facillima*, I. B. FERRARIVS in Orat. de *ſuavitate linguæ Hebr.* it. de *arguto dicendi genere linguæ Hebr.* DIETERICVS in *Antiquit. Bibl.* p. 15. ſeq. Doctiſſ. ZENCKELIVS in *Commentario Grammat. ling. Hebr.* P. II. p. 217. ſeq. I. H. KIEFF in Schediaſm. de *linguæ Hebr. euphonia*, ERPENIVS in Orat. III. de *lingua Hebr.* p. 106. ſeq. qui pluribus oſtendit, linguam Hebr. Græcæ & Latinæ longe præſtare elegantia. „*Hebræa* „*lingua habet ſuas Veneres, maxime cum agitur de re-* „*bus ſacris, quas ceteræ linguæ non aſſequuntur*: graviter iudicat ſummus BOCHARTVS in *Phaleg* L. I. c. 15. Hic vero contradicentem habemus CLERICVM in Diſſertat. de *lingua Hebr.* §. 6. qui Hebraicam in cenſum linguarum cultiorum venire negat, in *Comment.* ad Gen. 6, 6. ad ABEN-ESRAE provocans teſtimonium, inquientis, Legem ſcriptam eſſe *lingua filiorum hominis*, i. e. *plebeia* & *idiotica:* quem vero LOESCHERVS l. c. p. 473. & CARPZOVIVS l. c. p. 207. ſeq. confutarunt.

§. VII.

Fuit V.) lingua Hebr. *copioſa. Fuit*, inquam, qualis nimirum olim in communi vita inque ſuo flore conſtituta obtinuit, e. g. tempore Salomonis. Spectata enim, qualis in Codice S. V. T. ſupereſt, omnino inops vocum eſſe videtur: ſiquidem LEVSDENIVS tantum 5642 voces Hebraicas, annumeratis Chaldaicis, computavit; cum contra lingua Græca ultra vocabula 80900 contineat. Id ipſum vero CLERICVM movit

(g) Exſtat illa in eius *Selectis ſacris* L. V.

vit in *Diſſert.* cit. de *lingua Hebraica* §. 6. ad linguam Hebr. in univerſum inopiæ incuſandam: cui idem LOESCHERVS p. 472. CARPZOVIVS p. 205. & P. BERGERVS in Diſſert. de *litteraturæ Hebr. copia & ubertate*, ſatisfecerunt; conf. ALB. SCHVLTENS in *Inſtitut. linguæ Hebr.* p. 3. Fuiſſe enim illam olim, cum maxime floreret, omnino uberrimam, reliquiæ eius, in Codice V. T. Hebr. ſuperſtites, prodûnt. Sic enim octodecim voces reperias, ſenſum *frangendi;* octo, notionem *tenebrarum* habentes; decem, quæ *quærere;* novem, quæ *mori* ſignificant; quatuordecim, quæ *fiduciam in Deum;* novem, quæ *remiſſionem peccatorum;* viginti, quæ *robur;* & viginti quinque adeo, quæ *obſervationem legis* exprimunt. Vnde facile liquet, quanta olim aliorum quoque Synonymorum fuerit copia. Certe modo laudatus SCHVLTENS de *Defectibus hodiernæ linguæ Hebr.* p. 9. circiter duodecies mille *Radices trilitteras*, in lingua Hebr. poſſibiles, computat, non connumeratis *quadrilitteris* & *Derivativis;* RAVIVS autem in *Orthographiæ & Analogiæ Hebr. Delineatione* p. 45. & 81. octies mille, & denique HELMONTIVS in *Alphabeto Hebr. naturali* p. 96. tredecies mille ducentas & quadraginta octo *Radices* Hebr. per combinationem litterarum poſſibiles, numerat; cum in Codice V. T. Hebr. vix duo millia *Radicum* vocumque *Primitivarum* occurrant. Quantas divitias *Realium*, ut vocant, lingua Hebr. contineat, oſtendit G. COHLREIFIVS in *Hebraiſta Polyhiſtore* ſive Diſſert. de *Hebr. linguæ divitiis, quas poſſidet, Realibus.*

§. VIII.

Ex ſupradictis facile apparet, linguam Hebr. VI.) *præſtantiſſimam* eſſe ac *perfectiſſimam.* Prodit ſeſe præterea *perfectio* illa in multis aliis: ut in punctatione vocum

cum maxime regulari &, ut ALHARDVS de RAADT in Commentario de *Hebr. Punctationis natura* monſtratum dedit, fere *Mathematica:* quod ipſum & Punctorum Hebr. impugnatores confiteri coguntur. Conſpicitur eadem in univerſali Syllabarum æqualitate, quæ ſingulæ certam quandum menſuram habent, *Moras* vocant Grammatici: unde plurimæ vocum mutationes pendent, conf. I. P. SCHWARZII Diſſert. de *perfectione linguæ Hebr. quoad Syllabas.* Apparet præterea *perfectio* illa exinde, quod ſingulæ Vocales, tam breves quam longæ, proprias habeant figuras; quod mediante *Dages forti* ſub una figura binæ Conſonantes, atque beneficio *Dages lenis* Punctique *Diacritici* litteræ ש duplices exhibeantur ſoni; quod Accentus pariter & toni ſedem definiant & orationem in ſua membra diſtinguant. Confirmant quoque linguæ Hebr. *perfectionem* ſumma *Formarum* Nominum regularitas Nominumque tam *Appellativorum* quam *Propriorum* impoſitionis rationes ubivis obviæ nec in ulla alia lingua æque conſpicuæ: qua de re pluribus in *Arcano* noſtro *Formarum Nominum Hebr.* & in *Onomaſtico S. V. T.* tractamus; & denique phraſes maxime ſublimes & emphaticæ, paucis brevibusque verbis multa inſinuantes nec ullis aliis linguis imitabiles: de quibus Hebraismi *emphaſibus* plura tradunt LÜTKENIVS in *Collegio Emphaſiologico*, I. G. WILLIVS in *Promtuario Emphaſium Biblic.* DORNMEIERVS in *Philologia Biblic.* c. 10. MAIVS in *Introduct. ad ſtudium exeget.* c. 4. ALB. VOGTIVS in *Deliciis S. B.* AVG. HERM. FRANCKIVS in Diſſert. de *Emphaſibus S. S.* DASSOVIVS in tribus Diſſertationibus de *Emphaſi vocum ſacrarum*, (h) RAMBACHIVS in

 Her-

(h) Optandum eſſet, ut ejusdem *Lexicon Hebr. Emphaticum* ex mſcr. typis excuderetur, cujus ſpecimen nuper admodum exhibuit Celeb. I. D. WINCKLERVS in *Animadverſ. Philol.* P. III. Append.

Hermeneut. S. L. II. c. 8. LOESCHERVS de *Cauſis ling. Hebr.* L. III. c. 3. & in *Specimine Lexici Hebr. Emphatici*, inſerto *Relationibus innocuis* an. 1702. p. 356. ſeq. SEB. RAVIVS in Orat. de *ſublimitate dictionis Hebraicæ ſcriptorum antiqui fœderis*, haud ita pridem Ultrajecti typis exſcripta, aliique. Ut adeo mirandum non ſit, ipſos etiam gentiles, LONGINVM & AMELIVM, ſublimitatem ſtyli Biblici agnoviſſe; conf. DIETERICI *Antiquit. Bibl.* p. 17. & Celeb. WOLLII Diſſert. de *eo, quod ſublime eſt in his Moſis verbis: fiat lux.*

§. IX.

Cum illa vero linguæ Hebr. *perfectione* non pugnant *Ellipſes* aut *Pleonasmi:* quæ *Figuræ* etiam aliis in linguis, quantumvis cultiſſimis, offenduntur. *Ellipſes* enim ad orationis elegantiam faciunt, *Pleonasmi* autem ſua *Emphaſi* non carent. Neque eidem derogant defectus illi, quos LOESCHERVS l. c. L. I. c. 10. & SCHVLTENS in Tract. de *Defectibus linguæ Hebr.* notarunt. Iſti enim defectus non ipſi linguæ, qualis olim fuit, inſunt, ignorantiæ potius noſtræ aliisque cauſis tribuendi: quales defectus e. g. ſunt, quod multæ *Radices* Hebr. deſiderentur; quod de ſignificatione quorundam ἅπαξ λεγομένων non ſatis conſtet, &c. Hisce itaque defectibus pro virili medendum eſt: quam in rem LOESCHERVS & SCHVLTENS conſilia haud contemnenda ſuppeditant. Præter defectus, virorum illorum doctorum bigæ obſervatos, quidam & linguam Hebr. eo nomine imperfectionis arguunt, quod Textus V. T. Hebr. *Solœcismis* ſcateat: cuius vitii præſertim Ieremiæ phraſin ABARBANEL & RICH. SIMONIVS inſimulant. Sed, ut taceamus, etiam in aliarum linguarum Syntaxi dari *Caſuum*, *Numerorum Generumque* discrepantias,

tias, quæ ſi cum ratione & conſiderate adhibentur, nequaquam vitia ſunt ſermonis, monente QVINTILIANO in *Inſtitut. Orat.* L. I. c. 9. S. R. CHRIST. BENED. MICHAELIS duabus Diſſertationibus de *Solœciſmo Caſuum* & de *Solœciſmo Generis*, *Solœciſmos* multis in locis Textus Hebr. V. T. quibus vulgo ineſſe putantur, omnino abeſſe, ubi vero revera abſunt, non citra rationem adeſſe, demonſtravit. Sunt denique, ut idem SIMONIVS, HVNTLÆVS, SPINOZA, CLERICVS &c. qui *perfectionem* linguæ Hebr. eo nomine impugnant, quod una ſæpe vox decem & plures admittat ſignificatus: ut adeo magna eius ſit ambiguitas & amphibolia. At vero culpa non eſt ipſius linguæ, ſed Rabbinorum & Lexicographorum, ſignificationes vocum haud raro citra neceſſitatem multiplicantium notionesque *generales* cum *ſpecialibus* confundentium. Cui linguæ Hebr. defectui occurrere ſtudent, quotquot in omnibus *Primitivis* ſignificationem quandam *generalem*, quam *Formalem* vocant, fundamenti loco ponunt, unde deinde omnes ſignificatus *ſpecialiores* ſponte fluant facilique negotio concilientur: e. g. שָׂפָה in genere exprimit *extremitatem*, *finem*, *oram* rei, (a ספה *finiri,*) unde deinde emergunt notiones ſpeciales 1) *extremitatis oris*, i. e. *labii*, 2) *extremitatis fluvii* vel *maris*, *ripæ* ſcil. vel *littoris*, 3) *extremitatis vaſis* ſive *marginis*, 4) *extremitatis veſtis*, quæ eſt *fimbria*, 5) *extremitatis loci*, h. e. *limitis*. Eodem medio & *Antiphraſes*, quæ linguæ Hebr. vulgo tribui ſolent, eliminantur, ut oſtenderunt P. BERGERVS in Diſſ. de *Antiphraſi S. S.* & ALB. SCHVLTENS in Diſſert. de *Antiphraſi*, conf. & *Arcanum* noſtrum *Formarum Nomin. Hebr.* p. 17. Exemplo ſit ברך, cui Lexica vulgaria præter notionem *benedicendi* etiam ſignificationem antiphraſticam *maledicendi* tribuunt; qua vero *Antiphraſi* ſuperſedere

poſſumus, generali quadam ſignificatione *ſe demittendi* & *deflectendi* ſuppoſita: inde enim בֶּרֶךְ, *genu*, nomen habet a *flectendo* ſive *deflectendo*; בְּרֵכָה proprie eſt *terræ depreſſio*, *locus depreſſus*, aut ſi mavis, *demisſio aquarum*, i. e. *locus*, *quo aquæ ſe demittunt*; ipſum vero Verbum ſpecialius notat *ſe demittere*, *deflexis genibus honorem exhibere*, id quod fieri ſolet, ubi Deum laudamus & adoramus, ubi aliquem convenimus eumque ſalutamus, ubi ab aliquo diſcedimus eique valedicimus: quo ſenſu de Iacobo, Pharaonem adeunte ab eoque diſcedente, adhibetur Gen. 47, 7. 10. Vbicunque igitur *maledicendi* ſenſum habere vulgo creditur, rectius ei tribuitur notio *diſcedendi* & *valedicendi*: ut cum Iobi uxor Iob. 2, 9. inquit: ברך אלהים *valedic Deo*, i. e. *eum abdica*. Simile exemplum eſt ברא, & *creandi* & *exſcindendi* notionem habens, quæ utraque ſignificatio quomodo conciliari queat, in *Arcano Form. Nom. Hebr.* p. 112. oſtendimus. Plura de ſignificatione illa vocum Hebr. *generali* recurrent infra Sect. VII. c. 1.

§. X.

Eſt porro lingua Hebr. VII.) *facilis*. Aſſertum hoc fortaſſis uni atque alteri paradoxon videri poſſit; neque tamen nos ſoli id aſſerimus, ſed & complures alii affirmant, ut I. I. LEHMANNVS in Diſſert. de *Hebr. linguæ facilitate*, IOH. BALDOVIVS in Orat. ſupra §. 6. laudata, G. F. GVDIVS in Diſſert. de *præcipuis ſtudii Hebr. linguæ impedimentis* §. 24. SCHICKARDVS in Præfat. ad *Infundibulum Hebr.* I. I. SCHVDT in *Deliciis Hebræo-Philolog.* p. 265. I. G. ABICHT in Præfat. ad *Methodum linguæ S.* Cl. F. C. BAVMEISTERVS in Diſſert. de *lingua Hebr. maturius addiſcenda* §. 7. SIXT. AMAMA in Parænesi de *excitandis ſacrarum linguarum ſtudiis*, WALTONVS

in

in *Prolegom. ad Bibl. Polygl.* III. §. 28. LACKEMACHERVS in *Obſervat. Philol.* P. VI. p. 386. ſeq. aliique. Neque id immerito. Nam 1) lingua Hebr. qualis in Codice Hebr. V. T. habetur, pauciſſimis abſolvitur vocabulis: quisquis enim 5642 voces memoria tenet, ille totum Hebraismi complexum habet; cum contra linguæ Græca & Latina multo ſint copioſiores. 2) Habet eadem revera nullas *Declinationes* unicamque ſaltem *Coniugationem*, pauciſſima *Tempora* & *Modos* &c. ſæpius uno vocabulo exprimens, quæ in linguis Latina & Græca pluribus efferenda ſunt, e. g. פָּקַד poteſt ſignificare *viſitabat*, *viſitavit*, *viſitaverat*, *viſitaret*, *viſitaverit*, *viſitaſſet*, immo & *viſitabit*. 3) Conſtructiones Hebraicæ admodum naturales ſunt & ſimplices, nec adeo traiectæ & intricatæ, ut Latinæ & Græcæ, adeoque intellectu faciles. 4) Docet experientia, pueros ſeptennes, ſenes, fœminas, atque adeo Principes, laboris ut plurimum impatientes, diſcere poſſe linguam Hebr. cuius rei exempla exhibent G. H. GOEZIVS in *Principe Hebraice docto*, I. I. SCHVDT l. c. BVXTORFFIVS in *Catalectis* p. 285. 355. Ven. CHR. HAYMANNVS im Heßiſchen Heb-Opffer P. XXV. p. 441. Teſtatur ipſe PICVS MIRANDVLANVS in Epiſt. ad MARSILIVM FICINVM, ſe unius menſis ſpatio ita didiciſſe litteras Hebraicas, ut citra culpam epiſtolam dictare potuerit; quod idem de IOH. AFFELMANNO narratur, conf. TSCHANTERI Diſſert. I. de *Eruditis ſtudiorum intemperie mortem ſibi accelerantibus* c. 1. §. 2. Vnde linguæ Hebr. *facilitas* luculenter liquere poterit. At vero hic Punctationis & Accentuationis Hebraicæ difficultas obſtare videtur. Ad Punctationem Hebr. quod attinet, illa haud parum facilitata eſt, ex quo tempore ALTINGIVS artificium *Temporum* ſive *Morarum* invenit, DANZIVS autem magis in ordinem

redegit. Adhæc alii quoque Grammatici certatim quaſi linguam Hebr. facilitare ſtuduerunt: cuius reî teſtes ſunt tam varii & ſæpe monſtroſi Grammaticarum inſtitutionum tituli: ut ſunt *Abecedaria*, *Elementalia*, *Portulæ*, *Tirocinia*, *Donati*, *Horologia*, *Summariæ*, *Periſtylia*, *Principia Sapientiæ*, *Rotæ*, *Nuclei* & *Nucifrangibula*, *Suscitabula*, *Phosphori*, *Enchiridia*, *Horti Edenis*, *Infundibula*, Ῥαδιομαθεῖαι, Geſchwinde Hebräer, *Tabulæ*, *Hodegetæ* &c. Fuerunt &, qui de facili linguæ Hebr. methodo conſilia atque præcepta tradiderunt. Qui vero, ſcriptis *Grammaticis Hebr. ſine Punctis*, Punctationem Hebr. omnino abeſſe voluerunt, exiguam apud cordatiores inierunt gratiam. De utriſque plura ſeq. c. 4. recurrent. Accentuationem Hebr. ſuis laborare difficultatibus, negari utique nequit. Obſervandum vero eſt, tirones commode abſtinere ab eiusmodi ſubtilitatibus, ſatis ſibi habentes, ſi de Accentibus *Diſtinctivis maioribus* ſive *pauſantibus*, mutationes Punctorum inducentibus, conſtet. Operam præterea dedit Accentuationi facilitandæ haud inutilem IOH. FRID. FRANCKIVS in Diſſertationum biga de *ſuperanda difficultate Accentuum Hebr.*

§. XI.

Linguam Hebr. VIII.) eſſe *utilisſimam*, nemo facile negaverit. *Vtilitas* illa in ſingulis fere ſcientiis conſpicua eſt, primo quidem in Theologia tam *Polemica* & *Homiletica*, quam *Exegetica* & *Thetica* ſive *Dogmatica*. Theologiæ *Exegeticæ* uſum ſuum præſtat Lingua Hebr. tanquam præcipuum V. T. recte intelligendi aliisque exponendi organon. Theologia *Thetica* non tantum ex Novo, ſed etiam ex Vetere Teſtamento repetenda eſt. Quisquis igitur in illa bene fundatus eſſe Theſesque ſuas tueri cupit, ille *dicta probantia* ex linguis *originalibus* intelligat oportet. In Theo-

Theologia *Polemica* maximi momenti eſt intelligentia Textus *originalis*, ſicui vel cum Iudæis vel cum Chriſtianis diuerſæ confeſſionis decertandum ſit: unde B. LVTHERVS de ſe teſtatur: „*Scio*, *quantum mihi* „*lingua Hebr. contra hoſtes meos profuerit: quare hac* „*quantulacunque cognitione infinitis aureorum millibus* „*carere nolim.*„ Quod ſi e. g. pontificius Mariam virginem ſine peccato originali natam eſſe probare velit ex Gen. 3, 15. ubi in Verſione Vulgata exſtat: *ipſa conteret tibi caput*, ille ex Textu Hebr. refutabitur, ubi non הִיא, ſed הוא legitur. In Theologia *Homiletica* lingua Hebr. non tantum facit ad Textum, coram concione explicandum, rectius intelligendum eoque Applicationem tutius fundandam; ſed ſæpius quoque unicæ voci vel phraſi linguæ *originalis* plus efficaciæ ineſt, quam multis auctorum *ἀνεβραίων Poſtillis*. Linguæ vero Hebr. *uſum* ſeſe quoque extendere ad *Iurisprudentiam*, *Medicinam*, *Matheſin* & *Philoſophiam*, oſtendit AVG. PFEIFFERVS in Orat. de *lingua S. uſu catholico.* De ruderibus *Phyſicis*, in Hebraismo reſiduis, agit LOESCHERVS de *Cauſis ling. Hebr.* L. III. c. 5. De *uſu* linguæ Hebr. in *Philoſophia Theoretica* exſtat peculiaris THOMAE CAWTONI Diſſertatio, Vltraiecti edita. *Antiquitates* Græcas ac Romanas in multis alludere ad *Antiquitates* ſacras & Hebraicas, nemo ignorat; ſiquidem multi Græcorum Romanorumque ritus ex oriente ortum ducunt: atqui *Antiquitates* ſacræ ac Hebraicæ & codice continentur Hebraice ſcripto, & in libris explicantur Hebraice ſcriptis, ut ſunt *Miſchna*, liber *Siphra* &c. In *Philologia* lingua Hebr. maximo uſui eſt tum ad reliquas linguas orientales pergentibus, veluti illarum mater loco fundamenti ſupponenda, tum ad exactiorem Textus N. T. Græci, *Hebraiſmis* referti, intelligentiam adſpirantibus. Ut taceamus, in ipſis

quoque antiquiſſimis ſcriptoribus Græcis offendi phraſes Hebraicas, ut in ſpecie circa HOMERI dictionem oſtendit ZACH. BOGANVS in *Homero Hebraizante*; & mythologiæ ethnicæ, multum ex lingua Hebr. lucis affundi.

§. XII.

Exinde vero prono alveo fluit, linguam Hebr. IX.) Theologis & Philologis ſummopere eſſe *neceſſariam*: quod ut pluribus demonſtremus, eo minus opus videtur, quo minus id in dubium vocatur, niſi ab ignavionibus quibusdam, ſolas ſibi Scripturæ S. Verſiones ſufficere ſtolide credentibus: quem turpem errorem luculenter exploſerunt, quotquot de linguæ Hebr. *præſtantia*, *uſu* & *neceſſitate* diſſeruerunt, magno numero excitati a WOLFFIO in *Biblioth. Hebr.* Vol. II. p. 622. ſeq. & Vol. IV. p. 308. ſeq. & a I. I. SCHVDTIO in *Deliciis Hebræo-Philolog.* p. 180. ſeq. quibus tamen multo plures addi poſſunt: ut WOKENIVS in *Meditat. Privat.* T. II. p. 5. ſeq. G. F. GVDIVS in Diſſertat. de *præcipuis ſtudii Hebr. linguæ impedimentis*, SIM. GEDICCVS in gemina Orat. de *linguæ Hebr. dignitate*, NIC. ALB. a KAMENECK de *linguæ Hebr. ſtudio*, G. L. KRÜGERVS in Diſſert. *de antiquitate, utilitate & neceſſitate linguæ Hebr.* H. TEMMIVS in *Hebr. linguæ laude & commendatione*, carmine heroico deſcripta, aliique. Quo etiam referendi ſunt, qui vel cardinalium vel orientalium linguarum *uſum* in genere ſcriptis commendarunt. De linguæ vero Hebr. *natura & qualitatibus* legi merentur CHR. FVNCCII & Celeb. I. I. SCHROEDERI Diſſertationes de *natura linguæ Hebr.* BVSMANNI Orat. de *genio linguæ Hebr.* & I. I. SCHVDTII elegantiſſimus libellus de *genio & indole linguæ S.*

CAP.

CAPVT III,
DE
FATIS LINGVAE HEBRAICAE.

§. XIII.

Sequitur, ut paucis *fata* linguæ Hebr. adeoque brevem quandam eius exhibeamus *hiſtoriam.* Ut enim omnes res, adeoque etiam linguæ, fatis ſuis atque viciſſitudinibus obnoxiæ ſunt: ſic quoque lingua Hebr. ſuis variata eſt periodis. Has periodos commode ſub ætatis humanæ forma concipere licet: quo pacto primo nobis occurrit florens linguæ Hebr. ætas, a mundi initio inde usque ad captivitatem Babylonicam pertingens, quo temporis ſpatio ea non modo naturalem vigorem ſuum ſervavit, ſed paullatim quoque cultior evaſit. Cum captivitate vero Babylonica ætas eius deflorefcens ingruere atque Dialectus Chaldaica in eam irrepere cœpit. Tertia periodus nobis Hebraismi ætatem ſeneſcentem & decrepitam ad eius interitum usque ſiſtit, a reditu Iudæorum ex Babele ad ſecundam Hieroſolymorum everſionem & ulterius, cum Iudæi, Hebraicæ vernaculæ paullatim obliti, eius loco Dialectum quandam, ex linguis Hebr. Chaldaica & Syriaca conflatam, adſciverunt. Hisce addenda eſt periodus quarta, qua lingua Hebr. reſtaurata eſt & ex mortuis quaſi reſuſcitata: id quod primo quidem per Maſorethas Tiberienſes, ſub tempus vero Reformationis & deinceps per Iudæos æque ac Chriſtianos effectum eſt. Singula hæc ulterius ac ſpecialius pertexemus. Primam florentemque linguæ Hebr. ætatem, tempus ter mille & quadringentorum annorum complexam, commode in periodos quasdam minores ſubdividimus, quarum prima a creato mundo ad diluvium usque procedit.

§. XIV.

Linguam Hebr. vtpote omnium primam, ab ipſo Deo ortum ducere protoplaſtisque fuiſſe concreatam, ſupra §. 3. aſſeruimus. Id vero quosdam movit ad credendum, eandem non ſolum protoplaſtis, ſed omnibus quoque eorum poſteris fuiſſe naturalem, adeo ut infantes, ab omni hominum commercio remoti ſicque pubeſcentes, Hebraice locuturi forent. Quod tamen experientiæ plane repugnat: quia homines ſurdi nati, adeoque ab ineunte ætate nullius ſoni articulati auditores, omnino muti manent. Equidem Pſammetichus, Ægypti Rex, referente HERODOTO L. II. litem Ægyptios inter & Phrygas de lingua antiquiſſima compoſiturus, duos infantes inter pecudes educari, nec ullum iis præſentibus ſermonem haberi iuſſit: qui bimatu expleto identidem clamarunt *bec bec*, quod Phrygum lingua *panem* ſignificat: unde Phryges linguam ſuam homini naturalem eoque antiquiſſimam eſſe crediderunt. Quotusquisque vero non perſpicit, infantes illos ſuum *bec* vel *be* ex ovium caprarumque didiciſſe balatu? maxime cum *ba*, *be* & ſimiles ſoni primæ infantulorum voces eſſe ſoleant. Contra vero apud BESOLDVM de *natura populorum & linguarum* p. 57. & apud PVRCHASIVM in *Microcosmo* L. I. c. 8. Magnus Mogol, Melabdin Echbar, triginta infantes eodem modo educandos curaſſe legitur, qui deinde nullam vocem diſtinctam ediderunt. Conf. PFEIFFERI *Introduct.* in *Orient.* p. 8. G. BANGII *Theſes Philologico-Hiſtor.* p. 4. ſeq. I. P. REVSCHII Diſſert. de *naturali fundamento linguæ Hebræorum*, & Heßiſches Heb-Opfer P. XVII. p. 667. 668. Quamvis itaque Deus protoplaſtis linguæ Hebr. uſum concreaverit, facile tamen intelligitur, eius amplitudinem ab initio tantam non fuiſſe, quanta deinde ſucceſſu temporis evaſit. Licet enim Adamus, quicquid Deus cum illo

collo-

collocutus eſt, non ſolum illico intellexerit, ſed & cum Deo atque uxore Eva ſermones miſcuerit; idem tamen etiam animalibus, ad ſe adductis, impoſuiſſe nomina narratur, quibus illa antea caruiſſe neceſſe eſt. Et ſic aliis quoque rebus, primis hominibus ſubinde obviis aut primum ab illis inventis, ſuccedente tempore ſua nomina indita ſunt.

§. XV.

Cæterum hac periodo lingua Hebr. ſine notabili permanſit mutatione, utut non deſint, qui contrarium aſſerunt. LOESCHERVS enim de *Cauſis ling. Hebr.* L. I. c. 5. §. 1. & WERENFELSIUS in Diſſert. de *loquela*, in eius Opuſculis p. 766. per lapſum cum ipſo homine omnino detrimenti quid cepiſſe eam putant. Alii Hebraicam ad inſtar omnium aliarum linguarum ſuas ſubiiſſe mutationes credunt, conf. *Arcan. Form. Hebr.* p. 12. & *Onomaſt. S. V. T.* p. 611. ut adeo iam ante diluvium, maxime inter Cainitas, in dialectos quasdam diviſa fuerit. Sentiunt ita I. A. EGENOLFVS in Diſſert. de *initio diſcrepantiæ linguarum* §. 5. ſeq. C. G. SCHWARZIVS in Diſſert. de *cauſis Dialectorum* §. 13. & T. H. *van den* HONERT in Diſſ. de *lingua primæva* §. 4. ſeq. quibus & WALTONVS *Prolegom. ad Biblia Polyglott.* I. §. 6. non refragatur, conf. THESEVS AMBROSIVS de *cauſis mutationis linguarum.* Quinimo RICH. SIMONIVS in *Hiſtoria Crit. V. T.* L. I. c. 15. eo usque progreditur, ut linguam Hebr. initio rudem, ſimplicem & ambiguam fuiſſe, nec niſi ſtudio & cultura hominum ad perfectionem quandam demum perveniſſe affirmet: cuius aſſertum a CARPZOVIO in *Critica S. V. T.* p. 211. merito refellitur, neque etiam cum iis, quæ ſtatim adducemus, conſiſtere poteſt. De natura vero & conditione linguæ Hebr. illius avi hæc obſervamus: 1) ex

nominibus animalium, ab Adamo impoſitis, ſingularis quædam illius ſapientia elucet, quippe quæ non ſolum externam, ſed & internam animalium naturam & qualitates exacte exprimunt, ut pluribus oſtenderunt, qui de *animalibus Biblicis* tradiderunt, BOCHARTVS in *Hierozoico*, I. H. MAIVS in *Hiſtoria animalium*, SAL. TILLIVS in *Zoologia S.* aliique. At vero ex ipſis illis animalium nominibus haud obſcure patet, linguam Hebr. quasdam ſubiiſſe mutationes: quia ab analogia reliquorum Nominum Hebr. plane recedunt, ut monuimus in *Arcano Form. Nom. Hebr.* Sect. I. §. 5. & Sect. IX. c. 2. Singula enim Nomina Hebr. e. g. gemino Kametz notata, niſi a verbis *Qualitatis* deſcendant, *Effectum* ſemper exprimunt. Hic vero nomina animalium eiusdem *Formæ* plane discrepant, *Subiectum* potius *agens* notantia, ut גָּזָם, *locuſtæ* vel *erucæ* ſpecies, vi *Formæ Effectum abſcisſionis* exprimere debebat: atqui animalculum (adeoque *Subiectum* quoddam) herbas *abſcindens* & *detondens* ſignificat, coll. rad. Chald. & Arab. גזם *abſcidit*. Sicque omnia alia animalium nomina, l. c. p. 610. ſeq. in medium producta. II.) Linguam Hebr. ante diluvium non fuiſſe adeo rudem & ſimplicem, videre eſt ex Nominibus hominum antediluvianorum *Propriis*, quorum complura ſunt compoſita, ut *Mechujaël*, *Methuſchaël*, *Thubalkain*, *Mahalaleel*, *Methuſchelach*. III.) Primus, cui Nomen *Proprium*, cum nomine divino compoſitum, inditum legitur, fuit *Mechujaël*, unus ex Kaini poſteris, Enoſo coævus: unde locus Gen. 4, 26. (ubi dicitur, Enoſi tempore cœptum eſſe לקרא בשם יהוה *vocari nomine Iehovæ*) exponi poſſet, coll. Ieſ. 43, 7. c. 44, 5. c. 48, 1. &c. conf. *Onomaſt.* noſtrum *V. T.* p. 485. & qui pluribus hanc rem proſequitur, I. P. SCHWARZIVS in Diſſ. de *Nominibus V. T. Propriis, religionis Hebræorum monumentis*. Qualis itaque lingua Hebr. ante diluvium

fuit,

ſuit, talem & Noachus ſervavit, cum Methuſchelacho, ut hic cum Adamo, per longiſſimum temporis ſpatium converſatus.

§. XVI.

Secunda primæ florentisque linguæ Hebr. ætas a diluvio ad confuſionem Babylonicam pertingit, quo usque illa a Noacho & Semo, qui tempora Iacobi vivendo attigit, propagata fuit. Circa confuſionem illam duo cumprimis disquiruntur: 1) qua ratione ea acciderit? 2) an non lingua primæva in confuſione illa mutationes quasdam ſubierit vel plane interciderit? Ad prius quod attinet, de eo vide ſis, quæ diſſeruimus in *Introd. in ling. Græc.* Sect. I. §. 3. ſimulque conf. Buxtorffii, Nicol. Koeppenii, Ioh. Meisneri, G. D. Ziegræ, Quenstedii, Crinesii aliorumque *de confuſione linguarum* Diſſertationes, &, qui hoc argumentum omnium luculentiſſime exhauſit, Vitringae *Obſerv. S.* L. I. Diſſ. I. Linguam vero primævam in confuſione illa non intercidiſſe, ſupra §. 4. commonſtravimus. An vero eadem non aliquam mutationem ſive in communi illa confuſione ſive lapſu temporis ſubierit, neque tuto affirmare neque plane negare ſustinemus; quia nomina animalium, ut modo dictum, a reliquorum Nominum analogia tantopere discrepant: quibus addi poteſt, etiam Adiectiva *Numeralia Cardinalia* ab analogia Hebraismi mirum quantum tum Generis tum Conſtructionis ratione abire, conf. *Arcan. Form. Hebr.* Sect. I. §. 5.

§. XVII.

Tertia linguæ Hebr. florentis periodus a confuſione Babylonica ad Abrahamum usque protenditur. Linguam Abrahami eiusque poſterorum, Iudæorum, fuiſſe primævam illam, in familia Semi & Heberi, a quo *Hebrai*

bræi eorumque lingua nomen acceperunt, ad illum usque propagatam, iam ſupra §. 4. oſtendimus. Ab Abrahamo incipit periodus quarta, usque ad Iſraëlitarum exitum ex Ægypto protenſa: ubi mirari ſubit, Iſraëlitas, inter Ægyptios verſantes, non æque ac in captivitate Babylonica, linguam ſuam vel corrupiſſe vel mutaſſe: qua de re veluti de miraculo quodam non parum gloriantur Iudæi, maiores ſuos, in Ægypto commoratos, tria non mutaſſe dictitantes: linguam, veſtimenta & nomina ſua. Quod tamen naturæ rerum admodum convenienter accidit. Nam 1) in terra Goſen ſeorſim neque cum Ægyptiis commixti habitabant; cum contra in Babylonia paſſim inter Babylonios vel Chaldæos diſperſi degerent. 2) Lingua Ægyptiaca ab Hebraica longius diſtabat, quam ut hæc cum illa facile miſceri vel confundi poſſet; cum contra Chaldaica ad Hebraicam propior accedat: facilior ergo erat lapſus ex lingua Hebr. in Chaldaicam, quam in Ægyptiacam. Cæterum LOESCHERVS de *Cauſis ling. Hebr.* p. 62. obſervat, in Ægypto penes Iſraëlitas primum invaluiſſe morem, Nomina *Propria* cum nomine divino יהוה componendi, cuius rei exemplum primum exhibetur in *Abija*, Beniamini nepote, 1 Chron. 7, 8. cum antea nullum, ex illo vero tempore, regnante præſertim Salomone & deinceps, plurima eiusmodi *Compoſita* occurrant. Hac periodo Iobus quoque vixit librumque ſuum lingua conſcripſit Hebraica, quippe vel ab Eſavo, vel ab Abrahamo ex Ketura, vel a Nahore, Abrahami fratre, adeoque ex Heberi familia oriundus. Quia tamen terram Uz, Arabiæ regionem, incoluit, hinc multi Arabismi in eius libro offenduntur.

§. XVIII.

Quinta linguæ Hebr. periodus ab exitu Iſraëlitarum ex Ægypto ad Salomonis ætatem usque effluxit, quo

quo tempore ea maxime floruit. Hunc illum florem plurima promovebant: ut 1) quod populus Iſraëliticus ex eo tempore certam quandam fixamque ſedem in terra Canaan nactus eſſet; 2) quod periodo illa multi libri ſacri conſignarentur, qui exemplar quaſi quoddam & regula Hebraismi in communi ſermone eſſe poterant; 3) quod Samuelis tempore ſcholæ Prophetarum inſtituerentur, in quibus procul dubio etiam eloquentiæ ſacræ ac linguæ Hebr. puritati opera navata fuit; 4) quod, regnantibus Davide & Salomone regno Iſraëlitarum latius extenſo, ſimul quoque linguæ Hebr. uſus amplificaretur; 5) quod Salomonis ætate multæ res exteræ ac novæ in terram Canaan inveherentur, quæ nominibus novis deſignatæ, linguam Hebr. reddiderunt locupletiorem; quodque ipſe Salomo non tantum ter mille proverbia & mille quinque cantica conderet, ſed quoque de omnis generis rebus phyſicis, ut de arboribus & herbis, animalibus, piſcibus & avibus, diſſereret: quibus multa vocabula nova, antea inaudita, adhibere opus habuit. Quamvis autem Hebraismus eo tempore ſummopere floruerit, negari tamen nequit, ipſa hac periodo quasdam illius obſervari, ſi non Dialectos, ſaltem variationes. Nam 1) in Moſis ſcriptis occurrunt voces quædam vel vocum *Formæ*, quæ eius ætate uſitatæ, poſthæc in deſuetudinem venerunt, e. g. נַעַר tempore Moſis Generis fuerit *Communis* oportet, tam *puerum* quam *puellam* notans: unde multis in locis in *Kethibb* pro *puella* venit, cui in *Kri* marginali Puncta *Fœminini* נַעֲרָה ſubſternuntur. Sic & Pronomen הוא ſæpiſſime in *Kethibb* textuali ut *Fœmininum* exſtat indeque in *Kri* Puncta Pronominis *Fœminini* הִיא recipit; conf. LOESCHERUS l. c. p. 63. HILLERUS in *Arcano Kri & Kethibb* p. 275. & DANZIUS in *Litterat.* p. 320. Pro נָבִיא olim

olim uſitatum fuiſſe רֹאֶה, diſerte notatur 1 Sam. 9, 9. 2) Iud. 12, 6. Ephraimitæ litteram שׁ non potuiſſe pronunciare, loco *Schibboleth* dicentes *Sibboleth*, narrantur. Plura exempla congeſſit I. D. Kieslingius in Diſſertationibus ſuis de *Dialectis Hebræorum*. 3) In Salomonis ſcriptis vocabula quædam inveniuntur, antehac vel raro vel plane non obvia, e. g. Pronomen *Præfixum* שׁ in Salomonis libris frequentius occurrit, quam in univerſo Codice V. T. Particula כְּבָר & Verbum כשׁר extra Salomonis ſcripta nullibi legitur. Sexta eaque ultima florentis linguæ Hebr. ætas a Salomonis tempore usque ad captivitatem Babylonicam progreditur, quo intervallo maximus librorum Biblicorum numerus litteris mandatus eſt. Exemplo Hebraismi tum eximie florentis Ieſaiæ vaticinium eſſe poteſt. Attamen Gussetius paſſim in *Commentario ling. Hebr.* Kieslingius l. c. & Loescherus p. 65. multas ſingulares vocum flexiones & conſtructiones, ut & voces atque phraſes, antea vel plane non vel rariſſime uſitatas, in illius ævi ſcriptis notarunt.

§. XIX.

Cum captivitate Babylonica ætas linguæ Hebr. decreſcens incepit. Vt enim decem tribus prætermittamus, multo ante in Aſſyriam abductas perque imperium Aſſyriorum diſperſas, ubi deinde remanſerunt, procul dubio ſenſim cum gentibus permixtæ; tandem quoque duæ tribus Iuda & Beniamin in captivitatem migrare coactæ ſunt; quæ cum paſſim diſperſæ habitarent, paullatim linguæ Chaldaicæ, cum Hebraica admodum cognatæ, ita aſſueverunt, ut eam perfecte callerent: quare & Daniel & Eſra magnam ſcriptorum ſuorum partem Chaldaice ſcripſerunt. Hic vero eruditi in duas partes abeunt. Alii enim, tam Iudæi quam Chriſtiani, ut Ephodævs, Dav. Kimchivs, Elias

Elias Levita, Hottingervs, Waltonvs, Bvxtorffivs &c. Iudæos in captivitate Babylonica Hebraicam vernaculam ita dedidiciſſe putant, ut reduces inde eam plane non intelligerent, ſed ex doctioribus addiſcere opus haberent, provocantes ad Neh. 8, 7. 8. ubi Levitæ Legem prælectam populo expoſuiſſe leguntur, quod illi ita accipiunt, quaſi Levitæ Legem plebi, Hebraicæ linguæ ignaræ, Chaldaice explicaverint. Alii vero, ut Barthol. Mayervs, Altingivs, Steph. Morinvs, Avg. Pfeiffervs, Loeschervs &c. Iudæos in captivitate Babylonica vernaculæ non plane oblitos, eam una cum lingua Chaldaica ex Babele reportaſſe ſentiunt, locum Nehemiæ ita intelligentes, ut Levitæ verba Legis, populo bene intellecta, ex Scriptura S. ulterius illuſtraverint. Quæ poſterior ſententia vel ideo probabilior videtur, 1) quia Iudæi tam brevi ſeptuaginta annorum ſpatio vernaculam ſuam plane obliti ægre concipiuntur, qua ſaltem mutuo inter ſe uti poterant, licet cum Babyloniis converſantes Chaldaice loqui tenerentur; præſertim quia multi, ex Babele reduces, ante captivitatem nati erant, Eſr. 3, 12. qui certe vernaculam Hebraicam non plane dedidiciſſe, ſed potius etiam inter iuniores, in Babylonia natos, conſervaſſe & propagaſſe exiſtimandi ſunt. 2) Quia, Iudæis linguæ ſuæ omnino oblitis, Nehemias, Haggæus, Zacharias, Malachias, & ex parte Daniel atque Eſra, conſignandis ſcriptis ſuis linguam Hebr. minime adhibuiſſent. 3) Quia Nehemiæ novum & inſolitum videbatur, ubi quorundam Iudæorum filios non Iudaice, ſed ex parte Aſdodice loqui audiebat, Neh. 13, 24.

§. XX.

Quanquam igitur Iudæi vernaculam Hebraicam ex Babele reportabant perque aliquantum temporis ſpa-

tium aſſervabant, ea tamen, præſertim penes plebem, non æque pura ac antea fuiſſe facile intelligitur; donec tandem paullatim in oblivionem veniret, vel cum linguis Chaldaica & Syriaca miſceretur: ita ut nova quædam exinde emergeret Dialectus, quam alii *Syro - Chaldaicam*, alii *Hieroſolymitanam* appellant. Quando vero & qua ratione illud acciderit, ob monumentorum hiſtoricorum defectum accuratius definiri nequit. Neque tamen aliter per rerum circumſtantias fieri poterat. Nam 1) omnes linguæ viciſſitudini obnoxiæ ſunt; 2) Linguæ Chaldaicæ Iudæi in captivitate Babylonica ita aſſueverant, ut tritior iis eſſet quam Hebraica; 3) multi Iudæi in Chaldæa, Perſia & Meſopotamia remanſerant, ubi ſcholas ſuas inſtituebant & V. T. in linguam Chaldaicam vertebant: illis cum Iudæis Palæſtinis continuum erat commercium; neque etiam deerant, qui ſubinde ex Babylonia reduces in Iudæa conſidebant, e quorum numero celebris ille HILLEL Senior atque IONATHAN *Ben Vziel*, Paraphraſeos Chaldaicæ in Prophetas auctor, fuerunt. Iudæis itaque in Babylonia reſiduis maior Hebraiſmi ignorantia adhæſit, quos deinde & Iudæi Palæſtini ſecuti ſunt. 4) Lingua Syriaca cum Chaldaica propemodum eadem eſt, ſola fere pronunciatione & litteris ab illa diverſa. 5) Brevi ante Maccabæorum tempora Iudæi ſub poteſtatem Regum Syriæ redigebantur, in ſpecie Antiochi Epiphanis, qui una cum Syrorum ethniciſmo etiam linguam legesque Syriacas in Iudæam introducebat, eique præſidia Syriaca imponebat. Rebus ſic ſtantibus, nemini mirum videbitur, Iudæos, linguæ Chaldaicæ aſſuetos, eandem & Syriacam cum Hebraica in unam conflaſſe farraginem, cui & ſuccedente tempore multa vocabula Græca & Latina admixta ſunt. Hæc erat facies linguæ Iudæorum circa nativitatem Chriſti, uti videre eſt ex N. T. in quo multa ex lingua Syro-Chaldaica, tum

tem-

temporis uſitata, vocabula occurrunt: ut *Abba*, *Akeldama*, *Gabbatha*, *Golgotha*, *Maran atha*, *Rabbuni*, *Talitha kumi* &c. Quia itaque lingua illa, Iudæis tum familiaris, multas voces continebat Hebraicas, linguæ vero Chaldaica & Syriaca Hebraicæ ſunt Dialecti, & quia eadem vernacula erat Hebræis illius ævi, hinc in N. T. Ἑβραῒς appellatur, conf. ſupra §. 1.

§. XXI.

Neque tamen exiſtimandum eſt, omnes omnino illius ætatis Iudæos omni linguæ Hebr. caruiſſe cognitione; ſed utique quoque fuerunt ex eruditis, qui eiusdem fuiſſe callidi vel exinde colliguntur, quod V. T. in linguas Chaldaicam & Græcam converterunt, quodque *Paraſchas* ſive Sectiones Pentateuchi in Synagogis prælectas populo lingua Syro-Chaldaica exponere conſueverunt; licet eam non ut vernaculam intelligerent, ſed æque, ac nos hodie, ſtudio addiſcere opus haberent. Sunt, qui *Synagogam* ſic dictam *Magnam*, tradentibus Iudæis ab Eſra iam inſtitutam & usque ad Simeonem *Iuſtum* ſuperſtitem, ad Hebraismi notitiam ſaltem penes aliquot conſervandam multum contuliſſe putant. Secus ſe habuerunt res Iudæorum per Romani imperii provincias, Ægyptum, Aſiam Minorem, Phrygiam, Pontum, Græciam, Illyrium, Italiam &c. diſperſorum, (conf. Ioh. 7, 35. Act. 2, 9. 10. 1 Petr. 1, 1.) qui partim ex decem tribubus, in Aſſyriam olim abductis, in alias regiones ſeceſſerant, partim ex Iudæa, durantibus bellis inteſtinis & perſecutionibus, eo commigraverant. Illi enim per Græcorum nationes diſperſi, lingua quoque Hebraica vel Syro-Chaldaica miſſa, Græcæ aſſueſcebant, inde *Helleniſtæ*, i. e. *Græcorum imitatores*, vulgo dicti, in quorum gratiam & V. T. Græce translatum fuit. *Helleniſtæ* itaque illi linguæ Græcæ, prout eam loquebantur, multa vocabula Hebraica aut

Syro-Chaldaica admiſcebant, vocibus Græcis ſæpe alias ſignificationes, genio linguæ Hebr. vel Syro-Chaldaicæ magis congruas, tribuebant, plurima Nomina *Propria* Hebraica Græcis terminationibus efferebant & ad Helleniſmi analogiam inflectebant. Quibus ſe Apoſtoli quoque accommodabant, qui paſſim in itineribus ſuis, ubi Evangelium prædicabant, in eiusmodi *Helleniſtas* incidebant. Atque hæc ipſa cauſa eſt, cur in ſcriptis N. T. tot *Hebraiſmi* & *Syro-Chaldaiſmi* flexionesque Nominum *Propriorum* græciſſantes occurrant, conf. *Introduct. in linguam Græc.* p. 27. & p. 240. ſeq.

§. XXII.

Sed ad Iudæos Palæſtinos ut revertamur, Dialecto Syro-Chaldaica loco vernaculæ uſos: hæc ipſa quoque, urbe Hieroſolymorum atque adeo univerſa Iudæorum republica everſa, Iudæis autem per omnes terrarum angulos diſperſis, ingentem ſubiit mutationem, eo usque corrupta vocibusque & phraſibus peregrinis ita permixta, ut lingua vere barbara & intellectu difficillima exinde naſceretur: cuius rei teſtis eſt *Gemara Hieroſolymitana*, a R. IOCHANANE & duobus celebris illius R. IEHVDÆ *Hakkadoſch* diſcipulis, RAF & SAMVELE, ſeculo a nato Chriſto tertio in Palæſtina conſarcinata ſtyloque conſcripta adeo corrupto & obſcuro, ut explicatu ſit difficillima, conquerentibus etiam viris in litteratura Rabbinica exercitatiſſimis. Neque tamen tum defuerunt, qui purioris Hebraiſmi cognitionem conſervare ſtuderent: id quod præſertim factum in Academiis, a Iudæis Romanorum permiſſu per Palæſtinam hinc inde, ut Iabnes, Tiberiade, Zipporæ, Cæſareæ & Bittheræ, inſtitutis. (i) Hos inter cumprimis fuit modo dictus R. IEHVDA *Hakkadoſch*, qui imperante Antonino Pio vel, ut alii volunt, Commodo

do, antiquas Iudæorum traditiones colligebat litteriſque mandabat: quæ collectio notiſſima illa Iudæorum *Miſchna* eſt, pro temporum circumſtantiis ſtylo Hebr. ſatis puro, ſed conciſiore eoque non parum obſcuro conſcripta. Orta autem a morte Antonini Pii Iudæorum Palæſtinorum perſecutione, doctores eorum, relictis Academiis illis, alio commigrare cogebantur. Plurimi in Babyloniam ad tribules ſuos ſe recipiebant ibique Academias fundabant, ut Nahardeæ, Soræ, Pombedithæ &c. (i) ubi & ſeculo poſt Chriſtum natum quinto *Gemara Babylonica* a R. ASCHE & R. JOSE collecta eſt, ſtylo Chaldaico corruptiſſimo & obſcuriſſimo concepta. Inter Chriſtianos & primitivæ eccleſiæ Patres lingua Hebr. fere ignota fuit, pauciſſimis eius notitia imbutis, quos inter nominari merentur ORIGENES & HIERONYMVS, doctore Tiberienſi eum in finem uſus, quibus alii addunt EVSEBIVM, Epiſcopum Emeſenum, APOLLINARIM Laodicenum &c. Quam exigua vero Patrum illorum Hebraiſmi fuerit cognitio, videre eſt ex monſtroſis, quas ſubinde afferunt, vocum Hebr. explicationibus: id quod in ſpecie in ORIGENE & HIERONYMO IOH. CLERICVS paſſim in *Quæſtionibus Hieronymianis* & HVETIVS in *Origenianis* L. II. c. 1. notarunt, conf. Cl. BIDERMANNVS in Commentat. de *Solæciſmis Hebraicis*, aliique ab eo laudati p. 8. ſeq.

 §. XXIII.

(i) Conf. de illis Iudæorum Academiis Doctiſſ. SPERBACHII Diſſ. de *Academia Iabnenſi eiusque Rectoribus*, HEVBNERI Diſſ. de *Academiis Hebræorum*, ANDR. NORELI *Diatypoſis Academiarum apud Hebræos*, BVXTORFFII *Tiberias* c. 6. ALTINGII *Hebræorum Respublica ſcholaſtica*, VRSINI *Antiquitates Hebr. Scholaſtico - Academicæ*, &c.

§. XXIII.

Supereſt, ut, qua ratione linguæ Hebr. cognitio reſtaurata ſit & quaſi e mortuis reſuſcitata, indicemus: cuius rei initium a *Maſorethis* Tiberienſibus factum eſt. Quinam fuerint *Maſorethæ* illi & quænam eorum circa Textum S. V. T. occupatio, Sectione ultima c. 3. pluribus docebitur. Id ſaltem hoc loco monemus, fuiſſe ſeculo quinto in Academia Tiberienſi ex Iudæis doctioribus, qui linguæ Hebr. puritati Codicisque ſacri lectioni ſtuderent, corruptionem Textus Biblici pro viribus præcaverent, Præcepta Grammatica, utut tum temporis forſitan admodum tenuia, diligenter inculcarent, adeoque reſtaurando flori Hebraismi multum operæ impenderent. Verum ob frequentiores Iudæorum perſecutiones nimiamque *Talmudis* æſtimationem, paullatim ſubrepentem, ſtudium Biblicum inter Iudæos Palæſtinos & occidentales lapſu temporis plane refriguit, in ſolis fere Academiis Babylonicis aliquo modo conſervatum; donec tandem ſeculo undecimo idem refloruit, cum R. Ben Ascher in Palæſtina & R. Ben Naphthali in Babylonia coniunctis viribus Textum V. T. percurrerent, codices eius mſcr. undequaque colligerent, conferrent atque examinarent; *Lectiones Variantes* notarent codicesque corrigerent. Eodem ſeculo litterarum ſtudia inter Arabes efflorefcebant: unde multi Iudæorum diſcendæ linguæ Arabicæ operam navabant & ad Arabum exemplum Grammaticas Lexicaque Hebraica componebant. Sed ipſo illo ſeculo paſſim multæ magnæque Iudæis obtigerunt perſecutiones, partim a Saracenis ſive Muhammedanis, partim a Chriſtianis cœco quodam zelo excitatæ. Cum enim Chriſtiani eo tempore Palæſtinam expugnarent, Iudæi autem Sultanum Ægyptiorum ad evertendum templum ſepulcri dominici inſtigaſſe arguerentur, omnes Iudæi Palæſtini eius rei pœnas luebant. Iudæis ex Babylonia

quo-

quoque ab iisdem Saracenis expulſis, eorum doctores in alias terras confugere cogebantur, Academiis Babylonicis ſic plane exſpirantibus. Quidam illorum doctorum in Africam & exinde in Hiſpaniam ſeſe recipiebant. Ex iis, qui in Hiſpaniam concedebant, fuerunt & CHANANEEL & RAF NISSIM, qui ſtudium Grammaticum inter Iudæos inſtauraſſe dicuntur: quibus ſuccedebat R. IVDA CHIIVG, Medicus Feſſanus, Iudæis primus Grammaticus Grammaticorumque caput vulgo habitus. Primus hic ſcripta aliquot Grammatica lingua Arabica conſignavit, a WOLFFIO in *Biblioth. Hebr.* Vol. I. p. 424. recenſita; nec non R. IONA, Medicus Cordubenſis, ſeptem libris Grammaticis, ſimiliter Arabice ſcriptis & ex parte Hebraice translatis, clarus, vid. WOLFFIVS l. c. p. 478. Supradicti R. CHANANEEL & RAF NISSIM complures poſt ſe reliquerunt diſcipulos, qui linguæ Hebr. cognitionem ex Hiſpania in Galliam & Italiam traduxerunt: quos inter fuerunt celebris ille R. LEVI BEN GERSOM, linguæ Hebr. per Galliam propagator, & R. NATHAN BEN IECHIEL, qui eam Romæ docuit & Lexicon Rabbinicum, *Aruch* inſcriptum, compoſuit. R. LEVI diſcipulus fuit Commentator ille Biblicus R. SALOMO IARCHI. Per Hiſpaniam idem præſtiterunt ſeculo duodecimo MOSES COHEN, DAVID *Granatenſis*, ABEN-ESRA, IOSEPHVS KIMCHIVS, DAVIDIS & MOSIS *Kimchiorum* parens, &c. ſinguli ſcriptis Grammaticis celebres. Seculo decimo tertio fratres illi *Kimchii*, DAVID & MOSES, ſcriptis ſuis linguæ Hebr. magnam affuderunt lucem: ſiquidem ex DAVIDIS KIMCHII Grammatica, *Michlol* inſcripta, & ex eiusdem *Libro Radicum* ſive Lexico plurimi inter Chriſtianos Hebraiſmi cultores & inſtauratores ſua depromſerunt. Ex ſeculo decimo quarto & quinto huc referendi ſunt PERIPOT DVRAN, EPHODÆVS

C 4 vulgo

vulgo dictus, quia Grammaticam Hebr. ſub titulo מַעֲשֵׂה אֵפוֹד in lucem emiſit; R. MORDECHAI NATHAN, primus *Concordantiarum* Hebr. editor, conf. *Introduct. in linguam Græcam* Sect. XI. §. 24. R. SALOMO BEN MELECH, libri *Michlal Jophi* auctor, aliique plures.

§. XXIV.

Huc usque lingua Hebr. Chriſtianis occidentalibus plane incognita erat, ceu videre eſt ex ridiculis vocum Hebr. explicationibus, in ſcriptis Chriſtianorum illius ævi paſſim obviis: cuius rei exemplo AVG. PFEIFFERVS in *Locis Hebraicis & exoticis N. T.* ad Apoc. 19, 1. vocabulum *Halleluja* ex DVRANDO adducit, de quo hic ita ſcribit: „AVGVSTINVS ſic exponit: *Al*, i. e. *ſal-*„*vum*, *le*, i. e. *me*, *lu*, i. e. *fac*, *ja*, *Domine*. HIE-„RONYMVS ſic: *Alle*, i. e. *cantate*, *lu*, i. e. *laudem*, „*ja*, *ad Dominum*. GREGORIVS ſic: *Alle*, *Pater*, *lu*, „*Filius*, *ja*, *Spiritus S.* vel *Alle*, i. e. *lux*, *lu*, i. e. *vita*, „*ja*, i. e. *ſalus*. M. PETRVS *Antiſiodorenſis* ſic: *Al*, „i. e. *altiſſimus*, *le*, i. e. *levatus in cruce*, *lu*, i. e. *luge-*„*bant Apoſtoli*, *ja*, i. e. *iam reſurrexit*. PETRVS „*Manducator* dicit ſupra Apocalypſin, & AVGVSTI-„NVS in *Gloſſa Pſalterii*, quod *Alla* Verbum eſt Impe-„rativi Modi & ſonat *Allelu*, i. e. *laudate*, *ja*, i. e. „*univerſalem*, vel *ja*, *inviſibilem* i. e. *Deum*.„ Quamvis autem Iudæi reſtaurandæ linguæ Hebr. initium fecerint, nequaquam tamen eo usque, quo Chriſtiani, proceſſerunt. Primus ex litteris Hebr. inter Chriſtianos inclaruit RAYMVNDVS MARTINI, monachus Ordinis Dominicanorum Hiſpanus, qui exeunte ſeculo decimo tertio & ineunte decimo quarto floruit librumque adverſus Iudæos & Mauros conſcripſit, ſub titulo *Pugionis fidei*. Fuiſſe quoque circa idem tempus alios quosdam linguæ Hebr. peritos, ex Programmate de

linguæ

linguæ Hebr. inter Chriſtianos ante Reuchlinum cultu, haud ita pridem a Cl. I. C. ULRICH hic loci evulgato, diſcimus.

§. XXV.

Seculo vero decimo quinto inſtauratio linguæ Hebr. inter Chriſtianos proprie initium cepit, primo quidem in Italia, ubi IOH. PICVS, Comes Mirandulanus, magno ſtudio in illam incubuit. Primus Lexicon Hebr. ſcripſit LAVR. HOLOCKIVS, de quo tamen plura non habemus. Eum excepit HONORIVS, monachus Ciſtertienſis, *Dictionarii Hebr.* & *Synopſeos LL. OO.* auctor. In Germania primus linguam Hebr. calluit & Heidelbergæ publice docuit IOH. WESSELVS. Præcipua vero inſtaurationis linguæ Hebr. laus debetur IOH. REVCHLINO ſive CAPNIONI, qui adoleſcens eius notitiam ex IOH. WESSELO & Iudæo Viennenſi, Medico Cæſareo, hauſit & deinde Romæ inſtitutus a Iudæo Obadia, cui pro ſingulis horis ſolidum aureum ſolvit, ulterius perfecit; qui & primus inter Germanos Lexicon atque Grammaticam Hebr. in lucem emiſit. Quot vero quantaque a monachis imperitis eam ob rem perpeſſus ſit, pluribus legere eſt apud I. H. MAIVM in *Vita Ioh. Reuchlini.* Equidem jam ante REVCHLINVM RVDOLPHVS AGRICOLA, Friſo, ſenex ex Iudæo Wormatienſi litteras Hebr. didicit; ad earundem tamen inſtaurationem quicquam contuliſſe non legitur. In Hiſpania FRANC. XIMENIVS, Cardinalis & Archiepiſcopus Toletanus, ſplendidiſſima Bibliorum *Complutenſium* editione, quibus & Lexicon Hebr. ſubiectum eſt, litteraturæ Hebr. incrementum haud parum promovit, conf. *Introduct. in ling. Græc.* Sect. XI. §. 15. cum antea Biblia Hebr. typis exſcripta plane non exſtarent. Quæ omnia Reformationis Eccleſiæ tempora præceſſerunt eamque mirum in modum adiuverunt.

§. XXVI.

Circa Reformationem ſive ineunte ſeculo decimo ſexto ſecunda quaſi inſtaurationis linguæ Hebr. periodus incepit: ubi in Italia nobis occurrit SANTES PAGNINVS, monachus Dominicanus, qui præter *Inſtitutiones Hebraicas* non ſolum *Theſaurum*, Grammaticam & Lexicon complexum, conſcripſit, ſed quoque V. T. Latine convertit; nec non DAN. BOMBERGIVS, eruditus typographus Venetus, qui primus Biblia Hebr. cum Maſora typis excudit. In Germania illa ætate WOLFGANGVS FABRICIVS CAPITO, PAVLVS FAGIVS, IOH. DRACONITES, SEB. MÜNSTERVS, IOH. FORSTERVS, THEOD. BIBLIANDER; in Gallia FRANC. VATABLVS, ROB. STEPHANVS, IOH. MERCERVS aliique, compluribus ſcriptis ſtudium linguæ Hebr. promoverunt. Exeunte ſeculo decimo ſexto, ubi quaſi tertia inſtauratæ linguæ Hebr. periodus incipit, inter Germanos litteris Hebr. inclaruerunt IOH. AVENARIVS, MICH. NEANDER, LVC. OSIANDER, VAL. SCHINDLERVS, IOH. MEHLFÜHRERVS, MART. TROSTIVS, ELIAS HVTTERVS, CHR. HELVICVS, PAVLVS TOSSANVS; inter Hiſpanos BENED. ARIAS MONTANVS; inter Gallos ANT. RVD. CEVALLERIVS, PETR. MARTINIVS; inter Italos MARCVS MARINVS *Brixienſis*, ROB. BELLARMINVS, BENED. BLANCVCCIVS; inter Belgas FRANC. IVNIVS, FRANC. RAPHELENGIVS, IOH. DRVSIVS, SIXTINVS AMAMA &c. qui ſinguli eruditionis Hebraicæ palmam Iudæis præripere cœperunt. Neque tamen iſta æquiparanda ſunt iis, quæ a ſeculo decimo ſeptimo ad noſtram usque ætatem in illo ſtudiorum genere præſtita ſunt: ut adeo iam Iudæorum inſtitutione commode careamus; quin potius ex adverſo Iudæi multa ex Chriſtianis diſcere habeant, quorum notitia ipſos latet.

Sin-

Singulos vero, ſuperiori & currente hoc ſeculo de lingua Hebr. bene meritos, eorumque ſcripta huc ſpectantia quo minus recenſeamus, opuſculi noſtri brevitas obſtat. Plura de linguæ Hebr. *fatis* dabunt IOH. BVXTORFFIVS in *Diſſert. Theolog. Philolog.* I. II. III. LEVSDENIVS in *Philologo Hebr.* Diſſert. XVII. WALTONVS in *Prolegom. ad Biblia Polygl.* III. HERM. HARDTIVS in *Prodromo Ephemeridum Philolog.* LOESCHERVS de *Cauſis linguæ Hebr.* L. I. c. 5. ſeq. (qui & c. 15. de veſtigiis divinæ providentiæ circa Hebr. linguam agit,) ADAMVS BERNDIVS in Diſſ. de *ſtatu linguæ S. ab orbe condito ad noſtram ætatem*, IOH. PALMROOT in *Hiſtoriola linguæ S.* OLAVVS CELSIVS in Orat. de *variis fatis ling. Hebr.* BARTH. MAYERVS in *Philologia S.* P. II. CARPZOVIVS in *Critica S. V. T.* P. I. c. 5. ſect. 5. Ven. LAVR. REINHARDVS in Diſſert. de *fatis ſtudii Hebræo-Biblici inter Chriſtianos*, ELIAS SCHADÆVS in Orat. de *linguæ S. origine, progreſſu & varia fortuna*, SENNERTVS in Diſſert. de *quatuor linguæ Hebr. ætatibus*, PERINGERVS in Diſſert. de *cura litteraturæ Hebr. inter Europæos*, Doctiſſ. HAVPTMANNVS in *Hiſtoria linguæ Hebr.* IOH. DINCKELIVS in Orat. de *Hebr. linguæ primis patrum noſtrorum memoria inſtauratoribus, &c.*

CAPVT IV.

DE

SVBSIDIIS LINGVAE HEBRAICAE.

§. XXVII.

Supereſt, ut *Subſidia* quoque, ad addiſcendam linguam Hebr. & ad intelligentiam Codicis S. V. T. neceſſaria, paucis recenſeamus. Inter *Subſidia* illa referuntur 1) ſcripta *Grammatica*: quæ iterum in varias claſſes

claſſes ſubdividi poſſunt. Primam claſſem conſtituunt inſtitutiones linguæ Hebr. *Grammaticæ*, eæque vel *prolixiores* ſive Syſtemata pleniora, vel *breviores* ſive Compendia. Hic vero tanta *Grammaticarum Hebr.* copia nobis ſe offert, numerari ut vix queant: catalogos earum texuerunt RICH. SIMONIVS in *Hiſtoria Critica V. T.* L. I. c. 30. & 31. PFEIFFERVS in Præfat. ad *Methodum Hebr.* Auctor anonymus *Examinis Danzii Litteratoris* Sect. II. & omnium luculentiſſime WOLFFIVS in *Biblioth. Hebr.* Vol. II. p. 600. ſeq. & Vol. IV. p. 272. ſeq. quibus tamen Celeb. P. T. CARPOVIVS in *Animadverſ. Philol.* p. 47. ſeq. plures addit. Ut taceamus *Grammaticas* Iudæorum, quarum numerus ultra centum adſcendit, vid. idem WOLFFIVS Vol. II. p. 595. ſeq. & Vol. IV. p. 270. ſeq. De qua *Grammaticarum Hebr.* copia iam dudum ALTINGIVS & PFEIFFERVS conqueſti ſunt, conf. I. I. SCHVDTII Præfat. ad *Genium & indolem linguæ S.* Inter illas præ ceteris commendantur IAC. ALTINGII *Fundamenta Punctationis linguæ S.* BUXTORFFII *Theſaurus Grammaticus linguæ S.* DANZII *Litterator Hebræo-Chaldaicus* eiusque Compendium, PETRI GVARINI *Grammatica Hebr. & Chald.* HERM. HARDTII *Brevia & ſolida Hebrææ linguæ fundamenta*, HILLERI *Inſtitutiones linguæ S.* I. H. MICHAELIS Erleichterte Hebräiſche Grammatik, Celeb. I. D. MICHAELIS Hebräiſche Grammatik, ABR. RVSCHATI *Grammatica Hebr.* H. B. STARCKII *Lux Grammatices Hebr.* WASMVTHI *Hebraiſmus Reſtitutus*, &c. ubi ſimul BIBLIANDER de *optimo genere Grammaticorum Hebr.* conferri meretur.

§. XXVIII.

Secundam ſcriptorum *Grammaticorum* claſſem conficiunt *Compendia* ex *Grammaticis* vel maioribus vel plu-

pluribus contracta. Sic enim ALTINGII *Grammaticam* contractiorem dederunt D. BASHUYSEN, HIRZELIVS, RELANDVS & RIESNERVS; IOH. BALDOVIVS ſcripſit *Medullam Grammaticæ Hebr. Buxtorffio-Erpenio-Troſtianæ;* RVD. BAYN DAVIDIS KIMCHII *Michlol* in Compendium redegit; MICH. BERINGERVS WEIGANMEIERI *Tabulas Grammatices Hebr.* in Compendio, ordine naturali diſpoſito, exhibuit; THOM. BLEBELIVS parentis THOM. BLEBELII *Inſtitutiones Gram. Hebr.* in Compendium contraxit; IOH. CAMPENSIS conſcripſit *Grammaticam Hebr. ex variis Eliæ Levitæ libellis collectam,* & IOH. FABER *Synopſin in Grammaticam Hebr.* IOH. AVENARII; IOH. GEZELIVS, I. S. MITTERNACHT & ANDR. MYLIVS, MARTINI TROSTII *Grammaticam Hebr.* in Compendia redegerunt; I. A. SCHERZERVS *Nucleum* & EVERHARDVS *van der* HOOGT *Medullam Grammaticarum Hebr.* collegerunt; PAVLVS IOSEPHVS IOH. MEHLFÜHRERI *Grammaticam Hebr.* contractiorem edidit, ABR. RVSCHATVS vero ALTINGII & BVXTORFFII *Grammaticas* cum invicem conciliavit; I. I. SCHMIDIVS ex BVXTORFFIO, SCHICKARDO, WASMVTHO, PFEIFFERO, OPITIO, DANZIO, STEINBRECHERO &c. *Manuductionem* ſuam *Hebr.* confecit; ipſe vero STEINBRECHERVS & CHR. REINECCIVS *Grammaticam Waſmuthianam* & ANDR. STÜBELIVS *Lineamenta Grammaticæ Waſmuthianæ* in lucem emiſerunt. Ad tertiam ſcriptorum Grammaticorum claſſem referuntur *Grammaticæ LL. OO. Harmonicæ:* quales ediderunt SENNERTVS, I. E. GERHARDVS, C. B. BERTRAMVS, I. F. NICOLAI, CHR. RAVIVS, HOTTINGERVS, LVDOVICVS *de* DIEU, TROSTIVS, CASTELLVS, ZECHENDORFFIVS, CHR. HAMMERVS, CHR. LVDOVICI, RHENFERDIVS, &c.

Sam. Frid. Bucheri Thesaur. OO. gram. Harm. Frf. & Lips. 1725. 4. 1066 p. et 35 de methodo.

&c. Ad quartam claſſem pertinent ſcripta, circa unum atque alterum Grammatices Hebr. momentum occupata, ſingula infra ſuis locis in medium producenda. Quintam denique claſſem efficiunt *Obſervationes* vel in rem Grammaticam Hebr. *in genere*: ut ſunt CHR. CRINESII, PAGNINI, RAPHELENGII, I. H. HÆNERI, IAC. WELLERI, IOH. TERENTII &c. vel in quorundam Grammaticas *in ſpecie*: ut IOH. COCCEI in IOH. BUXTORFFII *Epitomen Grammatices Hebr.* PET. CEVALLERII in ANT. RUD. CEVALLERII *Rudimenta Hebr. ling.* IOH. ISAACI, QUINQUARBOREI, GILB. GENEBRARDI & MERCERI in CLENARDI *Tabulas Gram. Hebr.* SIXT. AMAMÆ & CODDÆI in PETRI MARTINII *Gram. Hebr.* MUISII in BELLARMINI *Gram. Hebr.* P. VIGNALIS in QUINQUARBOREI *Inſtitut. ling. Hebr.* MICH. BECKII, SPEIDELII & WINZERI in SCHICKARDI *Horologium Hebr.* Doctiſſimorum Virorum G. S. NICOLAI & ZENCKELII in DANZII *Litteratorem Hebræo-Chald.* BÜRCKLINI in MAII *Gram. Hebr.* &c.

§. XXIX.

Subſidiis linguæ Hebr. II) annumeranda ſunt *Lexica*: quorum ſimiliter maximus exſtat numerus, ceu videre eſt apud LOESCHERVM de *Cauſis ling. Hebr.* L. I. c. 12. apud Anonymum in *Examine Danzii Litteratoris* Sect. II. maxime vero apud WOLFFIVM in *Hiſtoria Lexicorum Hebr.* eiusdemque *Bibliotheca Hebr.* Vol. II. p. 548. ſeq. & Vol. IV. p. 233. ſeq. quibus ex recentioribus addendum Celeb. RECKENBERGERI *Lexicon Hebr.* Vt prætermittamus Iudæorum *Lexica*, a WOLFFIO l. c. Vol. II. p. 546. ſeq. & Vol. IV. p. p. 231. 232. enumerata. Singula Chriſtianorum *Lexica* illa dividi poſſunt in *Vniverſalia* & *Specialia*. *Vniverſalia* vocamus, quæ ad univerſam linguam Hebr. totumque

tumque Codicem S. Hebr. ſpectant: e quibus præ cæteris laudantur IOH. COCCEI *Lexicon & Commentarius ſermonis Hebr. & Chald. V. T.* cum I. H. MAII *Animadverſionibus* & *Supplementis*, W. ROBERTSONI *Theſaurus linguæ S.* CHR. STOCKII *Clavis ling. S.* &c. EDUARDI LEIGHII *Critica S.* Lexicon magis *Reale* eſt quam *Verbale*. Omnibus illis palmam prærepturum erat IOH. HEESERI Lexicon, *Lapidis Adjutorii* nomine inſcriptum, niſi auctor illi immortuus ſolas tantum litteras א & ב abſolviſſet. Ad Lexica *Univerſalia* quoque pertinent *Lexica Harmonica* & *Polyglotta*: ut ſunt W. ALABASTRI, PHIL. AQUINATIS, SCHINDLERI, GERHARDI, I. F. NICOLAI, CRUCIGERI, VITALIS, CASTELLI, HOTTINGERI &c. De *Lexicis Univerſalibus*, per modum Indicis digeſtis, deinceps dicendi locus erit.

§. XXX.

Lexica linguæ Hebr. *Specialia* ſunt, quæ tantum circa quandam Hebraiſmi partem vel circa unum atque alterum Codicis S. Hebr. librum verſantur. Huc referuntur, 1) quæ ſaltem aliquam Hebraiſmi partem exponunt: ut ſunt IAC. GVSSETII *Commentarii linguæ Hebr.* IOH. CHR. CLODII *Lexicon Hebr. Selectum* &c. 2) Quibus ſola Nomina *Propria* V. T. explicantur, vel, ut vulgo inſcribuntur, *Onomaſtica S.* de quibus vid. *Onomaſticum* noſtrum *S. V. T.* Sect. I. §. 3. Quædam Lexica *Vniverſalia* etiam Nomina *Propria* illa continent: ut P. M. ALBERTI *Porta linguæ S.* ZACH. ROSENBACHII *Moſes omniſcius*, IOH. ROW *Chilias Hebraica*, G. B. RÜMELINI *Lexicon Biblicum* &c. 3) Quæ de ſolis Nominibus *Appellativis* tractant, ut *Arcanum* noſtrum *Formarum Nominum Hebr.* 4) Quæ ſolas *Particulas* exhibent: qualia *Lexica Particularum* IOH. MICHAELIS & CHR. KOERBE-

RVS adornarunt. Huc quoque ſpectant CHR. NOLDII *Concordantiæ Particularum Hebræo-Chald.* 5) Quæ ad certos quosdam Codicis V. T. libros reſtringuntur: ſic enim in ſolum Pentateuchum exſtat VICT. BYTHNERI *Clavis linguæ S.* in ſolum Pſalterium eiusdem *Lyra Prophetica Davidis*, BARTH. SCHERÆI *Itinerarium in Pſalterium Hebr. Davidis*, P. TOSSANI *Syllabus dictionum Hebr. in Pſalterio occurrentium*, H. VVLPII *Nomenclator Davidis*, &c. Quo etiam pertinent *Lexica*, ſecundum ſeriem librorum verſuumque Biblicorum digeſta: quippe quæ extra contextum Biblicum Lexicorum *Vniverſalium* loco minime inſerviunt. Talia ſunt IOH. HENR. OPITII *Hodegeticum Hebræo-Chaldæo-Biblicum*, IOACH. LANGII *Clavis Hebræi Codicis*, REINECCII *Ianua Codicis Hebr.* Quæ cæteroquin circa *Lexica* Hebr. obſervanda ſunt, docent IOH. STEENBVCHIVS de *Lexicorum Hebr. & Concordantiarum defectu*, PFEIFFERVS in *Critica S.* Cap. V. §. 10. & in Conſultatione Epiſtolica de editione *Lexici Biblici Hebræo-Chald. novi, mole modici, ſed planioris atque plenioris omnibus huc usque editis*, (k) aliique apud WOLFFIVM l. c. Vol. II. p. 564. Vtinam vero tandem aliquando cum orbe erudito communicarentur, quæ Vir Magnif. & S. R. CHRIST. BENED. MICHAELIS *Lexici Hebr.* exquiſitiſſimi & *Materialia* & *Formalia*, longo rerum uſu obſervata, collegit.

§. XXXI.

Inter *Subſidia* linguæ Hebr. III) haud ultimum quoque locum occupant *Concordantiæ*, ut vulgo vocantur, *Hebraicæ*: quæ quantum uſum habeant in linguæ Hebr. ſtudio atque Scripturæ S. expoſitione, complures docuerunt, conf. WOLFFIVS l. c. p. 565. & Vol.

(k) Quod tamen lucem non vidit.

Vol. IV. p. 246. Inter illas inſtar omnium ſunt BUXTORFFII *Concordantiæ Bibliorum Hebr.* a nonnullis in compendium redactæ; conf. idem WOLFFIVS Vol. I. p. 681. 682. Quia vero *Particulæ* Hebr. in iis deficiunt, adiungendæ ſunt NOLDII *Concordantiæ Particularum*, ſupra laudatæ. Quædam *Lexica* ſimul *Concordantiarum* vicem ſupplent, ut ROBERTSONI *Theſaurus linguæ S.* MARCI MARINI *Brixienſis Arca Noæ*, P. M. ALBERTI *Porta linguæ S.* &c. IV) *Annotationes* & *Commentarii* in V. T. vocabula locaque Biblica difficiliora enodantes, ideoque cum fructu conſulendi, ubi inſtitutiones *Grammaticæ* & *Lexica* deficiunt. V) *Obſervationes* & *Diſſertationes*, quibus vel ſingulæ voces vel integra loca Biblica illuſtrantur, & quarum copiam nobis faciunt SCHETELIGIVS in *Bibliotheca Diſputationum* atque Celeb. MICH. LILIENTHALIVS in *Archivario Biblico V. T.* VI) Scripta de lingua Hebr. eiusque *natura*, *qualitatibus*, *fatis* &c. Capite præced. a nobis citata. Denique huc referenda ſunt VII) ſcripta, quæ circa exteriora Textus V. T. verſantur, infra Sect. XII. in medium proferenda.

§. XXXII.

Quo vero *Subſidia* illa, hactenus recenſita, rite adhibeantur ſuumque in addiſcendis litteris Hebr. uſum præſtent, difficultates autem, ſtudium illud circumſtantes, feliciter ſuperentur, opus eſt *methodo* ſatis commoda viæque quaſi compendiis, quibus & facilior & brevior ad linguæ Hebr. penetralia aditus pateat. Hæc certe cura multorum ingenia poſt linguæ Hebr. reſtaurationem exercuit, ut vel ex inſolitis & partim monſtroſis Grammaticarum Lexicorumque Hebr. titulis apparet; conf. ſupra §. 10. Eo enim fine 1) quidam ex inſtituto de commoda linguam Hebr. diſcendi *methodo* conſilia ſuppeditarunt: quo pertinent SIXT.

AMAMÆ *Conſilium de ſtudio Hebr. recte inſtituendo*, additum eius *Coronidi* ad *Grammaticam Martinio-Buxtorfſianam;* MICH. HAVEMANNI *Methodus* p. 327. ſeq. THOM. BENNETI *Conſilium de ſtudio præcipuarum LL. OO. inſtituendo & perficiendo*, ſubiectum eius *Grammaticæ Hebr.* IOH. BUXTORFFII (filii) *Conſilium univerſale de lingua Hebr. ſtudio*, ſubiunctum eius *Grammaticæ Hebr.* IOH. COCCEI Exercitat. de *linguæ Hebr. analogia, utilitate, neceſſitate & diſcendi methodo*, inter eius *Symmicta* in Operibus *Anecdotis*; C. SCIOPPII Diatribe de *modo diſcendi linguas Hebr. & Chald.* in eius *Mercurio trilingui*; GEIERI *Obſervatiunculæ ad Hebr. linguæ ſtudium faciliorem ſternentes aditum*, in eius *Opuſculis Philol.* p. 400. ſeq. S. G. STARCKII Orat. de *neceſſitate ling. Hebr. deque docendi eandem diſcendique methodo breviori;* I. I. SCHVDTII *Deliciæ Hebr. Philol.* p. 272. ſeq. I. A. LOEWII Diſſert. de *methodo ſtudii Hebr.* LACKEMACHERI Progr. de *ratione optima linguam Hebr. diſcendi ac docendi*, in eius *Obſervat. Philol.* P. VI. I. C. SCHRAMMII Progr. de *lectione, præcipuo ad Hebr. linguam adiumento;* I. R. SALCHLINI Orat. de *facillima methodo docendi & diſcendi linguam S.* Cl. G. PROFII Diſſert. de *optima methodo linguas, imprimis ſanctam, diſcendi*, aliique apud WOLFFIVM in *Biblioth. Hebr.* Vol. IV. p. 312.

§. XXXIII.

Sunt, qui ad facilitandum linguæ Hebr. ſtudium 2) Grammaticam Hebr. *Tabulis* exhibuerunt: quæ methodus, ut ita dicam, *Tabularis* quam commoda ſit, pluribus oſtendit TH. CHR. VRSINVS in Epiſt. de *methodo artes tradendi per Tabulas.* Quidam 3) Grammaticam Hebr. per *Quæſtiones* & *Reſponſiones* propoſuerunt: quo pertinent FRID. BLANCKENBVRGII & OTH. GUALTPERII *Grammatica Hebr. linguæ*

guæ S. per quæſtiones & reſponſiones, G. WEIGANMEIERI *Præcepta linguæ Hebr. per quæſtiones reſoluta*, MICH. NEANDRI & HOTTINGERI *Erotemata linguæ S.* GUMPRECHTI Fundamental-Fragen aus der Hebr. Grammatik, I. M. HÜBSCHMANNI Geſchwinder Hebräer, &c. Alii 4) Grammaticas ſuas in certa *penſa* diſtribuerunt: ut I. M. DILHERRVS *Atrium* ſuum *linguæ S.* & IOH. WERNBORNERVS *Tabulam* ſuam *Hebr.* in *ſex* horas, IOACH. RACHELIVS *Hebdomadale linguæ S. ſtudium* & THOM. DUFOUR *Opus* ſuum *Grammat.* in *ſeptem* dies ſive *ſeptimanam*, CHR. VIWEGIVS *Hodegetam* ſuum *didacticum* in *decem* horas, A. PFEIFFERVS *Specimen* ſuum *didacticum* in *duodecim*, *Methodum* vero *Hebræam* in *viginti ſex* horas, IAC. HVMIVS Ῥᾳθυμαθειαν ſuam in *novendecim* dies, diviſerunt; SCHICKARDVS *Horologium* ſuum & CHR. CELLARIVS *Grammaticam Hebr. in Tabulis Synopticis* in *viginti quatuor* horas diſtribuerunt, &c. Neque etiam ex recentioribus deſunt, qui 5) methodum *philoſophicam* & *demonſtrativam* Grammaticæ Hebr. applicant: ut F. C. KOCHIVS in *Fundamentis linguæ Hebr. ſuis ubique rationibus ſolide firmatis* ſive *Grammatica Hebr. Philoſophica*; Doctiſſ. C. G. HASE im Verſuch eines Lehrgebäudes der Hebr. Sprache, Cl. I. W. MEINERVS in den wahren Eigenſchaften der Hebr. Sprache, aus richtigen Gründen, mit gehöriger Schärfe unterſucht und aufgeklärt, &c. conf. eiusdem KOCHII Diſſ. de *Methodo ſcientifica in addiſcendis linguis*, & STELLWAGII *Specimina*, *quibus methodum demonſtrativam etiam ad Grammaticam Hebr. utiliter converti poſſe oſtenditur*. Nonnulli 6) *Puncta* Hebr. omittere maluerunt, conſcriptis *Grammaticis ſine Punctis*: ut OLIVARIVS BVLÆVS VINSOBRIVS in *Methodo Hebr. per quam Hebr. lingua ſine Punctis facillime ſimul & accura-*

accuratiſſime diſci poteſt, I. C. KOHLHANSIVS im Hebräiſchen Trichter ohne Puncte, RICH. GREY, Anglus, in *A new and eaſy Method of learning Hebrew without Points*, & FRANC. MASCLEFIVS in *Grammatica Hebr. Punctis aliisque inventis Maſorethicis libera*, cui idem præmiſerat *Deſignationem Grammaticæ Hebr. novæ ad Hebræam aliasque orientis linguas antiquas, non habita Vocalium ratione, diſcendas.* Huic tamen methodo recte ſeſe oppoſuerunt PFEIFFERVS in *Introduct. in Orient.* p. 88. SCHARBAV in *Parergis* P. II. p. 150. ſeq. G. F. RICHTERVS in *Miſcellan. Lipſienſ.* T. VI. p. 222. ſeq. WOLFFIVS in Diſſert. de *methodo Hebraiſmi nova*, &c. conf. CARPZOVII *Critica S. V. T.* p. 262. & eiusdem WOLFFII *Biblioth. Hebr.* Vol. II. p. 611. & Vol. IV. p. 294. Quidam 7) linguæ Hebr. facilitati conſultum voluerunt, Codicem Hebr. V. T. in compendium redigendo inque certa *penſa* dividendo: ut LEVSDENIVS in *Compendio V. T.* ex 2,202 verſiculis tantum 2289 ſelegit, quibus omnes V. T. voces Hebr. & Chald. continentur, eosque in 72 dies ſive penſa distribuit; G. B. RÜMELINVS in *Arcula S.* 3321 dicta Biblica elegit inque dies 69 dispartitus eſt; NIC. TROTIVS *Clavem linguæ S.* edidit, quæ continet Grammaticalem explicationem 564 verſiculorum ex Pſalmis & 546 verſiculorum ex cæteris libris V. T. in quibus omnes *Radices* pure Hebraicæ cum nonnullis Chaldaicis inveniuntur; I. C. SVLZERVS haud ita pridem in lucem emiſit *Geneſeos ac Deuteronomii Compendium*, exhibens ex verſibus 2490 verſus tantum 867, nec eos integros; SEB. CVRTIVS omnes *Radices* Hebr. una cum maxima parte *Derivatorum* ſententiis moralibus, adagiis & narratiunculis hiſtoricis ex V. T. complexus eſt. Huc quoque referuntur, qui præcipua Textus V. T. dicta ſeorſim

ſeorſim ediderunt, ut SCHICKARDVS in *Epitome Bibliorum*, H. OPITIVS in *Bibliis Parvis* &c.

§. XXXIV.

Alii alia ratione linguæ Hebr. facilitatem promoverunt: ut 8) qui *Lexica* ſua per modum *Indicis* ita digeſſerunt, ut ſingulæ voces Hebr. ea forma, qua in Textu Hebr. occurrunt, exhibeantur: qualia ſunt LEVSDENI *Lexicon Novum Hebræo-Latinum*, IOH. MEHLFÜHRERI *Manuale Lexici Hebr.* H. OPITII *Lexicon Hebræo-Chaldæo-Biblicum*, ALBERTI *Porta linguæ S.* &c. 9) Qui voces Hebr. difficiliores *analytice* explicatas dederunt: ut Cl. I. F. HIRT in *Bibliis Hebr. analyticis*, SIXT. AMAMA in *Coronide* ad *Grammaticam Martinio-Buxtorffianam*, DILHERRVS in *Syllabe vocum irregularium ſanctarum*, DAN. HASENMÜLLERVS in *Ianua Hebraiſmi aperta*, SEB. MÜNSTERVS de *Vocabulis Hebr. irregularibus*, IOH. PASINVS in *Grammaticæ linguæ S. inſtitutione*, W. ROBERTSONIVS in *Manipulo linguæ S.* LEVSDENIVS in *Clave Hebr. V. T.* Anonymus in *Spicilegio Hebræarum vocum anomalarum & difficiliorum*, &c. 10) Qui *Analyſin* Hebr. ſcriptis particularibus enodarunt: ut ABR. GIBELIVS in *Difficultatum Etymologicarum Hebrææ litteraturæ Enodatione*, SENNERTVS de *inveſtigatione Radicis apud Hebræos*, SCHARFIVS in Diſſ. de *uſu ſive praxi præceptorum Grammaticæ Hebr.* NIC. NIEREMBERGIVS in *Proceſſu Analogiæ Hebr. analytico*, VYTHAGIVS in *Artificio inveſtigandarum Radicum Hebr.* DANZIVS in *Manuduct. ad Hebr. linguæ Analyſin facilius inſtituendam*, IOH. NEVMANNVS in *Novitatibus curioſis circa Analyſin Hebr.* WACKIVS in *Analyſi linguæ Hebr.* G. WEGNERVS in *Specimine Analyſeos Hebr.* SCHÜSLERVS in Diſſert. de *Analyſi Hebr.* F. C. KOCHIVS in Diſſert. de *Methodo*

 ſcien-

ſcientifica in addiſcendis linguis & de Analyſi Hebr. it. in *Praxi ſive Speciminibus Grammatices Hebr.* &c. Sunt quoque, qui *Analyſin* Hebr. per voces & integros verſus demonſtratam, *Grammaticis* ſuis ſubiecerunt, aut integra Capita libroſque Codicis S. iuxta hanc vel illam *Grammaticam analytice* explicatos ſeorſim ediderunt. Denique 11) qui tironum memoriæ in addiſcenda lingua Hebr. variis adminiculis ſublevandæ operam impenderunt: quo pertinent C. W. Falckii Beſondere Hebr. Gedächtnis-Vortheile, wodurch alle dieſer Sprache Wörter ſehr leicht können gelernet werden, H. B. Koesteri Schlüſſel der erſten und letzten Hebräiſch-Griechiſch-Teutſchen Harmonie, qui ope *harmoniæ linguarum* id efficere tentavit, Francus autem in Præfat. ad *Lexicon S.* & Ioach. Langius in Append. ad *Clavem Hebr.* mediantibus Nominibus *Propriis* fieri poſſe monſtrarunt. Eodem conſilio Nic. Abramus in *Epitome Rudimentorum ling. Hebr.* & Ant. Driessenius (l) Regulas Grammatices Hebr. verſibus Latinis comprehenderunt. Quid vero Andr. Reyherus ſuo *Rhadiomathias Hebr. Specimine Muſico pro exercitio coniugandi Hebraice*, & A. Burellus ſuo *A new Method to obtain the knowledge of the Hebrew tongue*, edit. Lond. an. 1738. ſibi voluerint, dicere non habemus; quia opuſcula illa oculis uſurpare nobis nondum contigit.

(l) Exſtat eius ſpecimen in *Miſcellaneis Groninganis* T. IV. p. 42. ſeq.

SECTIO

SECTIO II.

DE

ELEMENTIS

SIVE

LITTERIS ET PVNCTIS

LINGVAE HEBRAICAE.

Digitized by Google

Digitized by Google

Sectio II.

DE ELEMENTIS SIVE LITTERIS ET PVNCTIS LINGVAE HEBRAICAE.

Caput I.

DE LITTERIS.

§. I.

Cum *Subſidiorum* diſcendæ linguæ Hebr. primum atque præcipuum ſit *Grammatica*, ad exactam litteraturæ Hebr. cognitionem omnino requiritur momentorum Grammaticorum critica quædam pertractatio. De *Grammatica Hebr.* utiliter legi poſſunt Loeschervs de *Cauſis ling. Hebr.* L. II. c. 2. A. H. Franckivs in Diſſert. de *Grammatica Hebr.* Celeb. I. D. Michaelis in Append. ad *Grammat. Hebr.* aliique apud Wolffivm in *Biblioth. Hebr.* Vol. II. p. 620. Hic vero omnium primo nobis ſe offerunt linguæ Hebr. *Elementa*, *Litteræ* ſcil. & *Puncta*. Circa *Litteras* conſideranda veniunt earum 1) *numerus* & *ordo*, 2) *nomina*, 3) *figura*, 4) *valor* & 5) varia *diviſio*. Ad primum quod attinet, Hebræis ſunt *Litteræ* numero viginti duæ, ceu ex aliquot Threnorum Ieremiæ Proverbiorumque Salomonis Capitibus

 atque

atque ex Pſalmis, maxime centeſimo decimo nono, apparet. ORIGENES, HIERONYMVS, EPIPHANIVS, EVSEBIVS, ISIDORVS aliique Patres *Litterarum numerum* illum alludere crediderunt ad numerum librorum V. T. quod quidam in libros viginti duos diviſerunt; conf. infra Sect. XII. c. 2. Quia vero *Litteræ* Hebr. priores fuerunt libris Biblicis, alii rectius Codicem V. T. iuxta *Litterarum numerum* compendii iuvandæque memoriæ cauſa in totidem libros diviſum fuiſſe iudicant. Sunt tamen ex Grammaticis, qui plures vel pauciores *Litteras* Hebr. numerant: ut G. PRÆTORIVS, CLENARDVS, LEHDEBVRIVS, STEINBRECHERVS, HILLERVS &c. diſtinguendo שׁ & שׂ, viginti tres computant, procul dubio nixi hac ratione, quod שׁ & שׂ in integris vocibus ſignificationes varient, atque etiam Arabibus, Perſis & Turcis pro diverſis habeantur; conf. SIXT. AMAMA de *recta lectione linguæ S.* p. 6. & 7. PFEIFFERVS in *Introduct. in Orient.* p. 49. & STEINBRECHERVS in *Hebraiſmo Philologico-didactico* p. 3. ſeq. Contra vero VOSSIVS de *Arte Grammat.* L. I. c. 27. tredecim tantum Conſonantes Hebr. numerat, iis annumerandas non eſſe contendens, 1) *Gutturales* אהחע: quia *Spiritus* non ſit littera; 2) *Duplices* ז & צ, quæ non ſint peculiares *Litteræ*, ſed mera ſcribendi compendia; 3) *Adſpiratas* כ, שׁ & ת, adſpiratione ſaltem differentes a ק, ס & ט. Omnes viginti duæ Alphabeti Hebr. *Litteræ* occurrunt in viginti ſex verſiculis V. T. (notante id Maſora ad Ezech. 38, 12.) & una cum quinque ſic dictis *Finalibus* Zeph. 3, 8. & Ezech. l. c.

§. II.

Ordo Litterarum, ut in omnibus Grammaticis habetur, demonſtratur ex pericopis Textus S. V. T. ordine Alphabetico (procul dubio quo imbecillitati memo-

memoriæ conſuleretur) ſcriptis, ita ut verſiculorum voces vel initiales vel etiam mediæ a littera iuxta ordinem Alphabeti incipiat: quales ſunt Pſalmi XXV, XXXIV, CXI, CXII, CXLV, maxime vero Pſalmus CXIX, *Alphabetum magnum* exinde dictus, ut & Prov. 31, 10. ſeq. Thren. 1. &c. de quibus Doctiſſ. ZENCKELIVS in *Commentario Gram. ling. Hebr.* P. I. p. 7. ſeq. pluribus diſſerit. *Ordinem* illum *Litterarum* pronunciationis naturæ quoque reſpondere, in ipſis infantibus balbutire incipientibus conſpicuum, oſtendit LOESCHERVS de *Cauſis ling. Hebr.* L. II. c. 2. qui *Litteras* per quatuor ordines ita diſpoſitas exhibet, ut ſingulis *Spiritus* quidam, velut dux, præcedat, hoc modo:

א, ב, ג, ד,
ה, ו, ז, ח, ט,
י, כ, ל, מ, נ, ס,
ע, פ, צ, ק, ר, ש, ת.

Neque tamen perſpicimus, quomodo *Jod* pro *Spiritu* haberi, & contra *Cheth* numero *Spirituum* eximi iure queat. Singulæ porro Litteræ ſuis *nominibus* inſigniuntur, iisque pure *Hebraicis*, non vero *Chaldaicis*, ut I. I. *von* EINEM in *Methodo docendi diſcendique linguas orient. & occident.* p. 8. exiſtimat. Hic vero in genere obſervamus, 1) *nomina* Litterarum Hebr. eſſe antiquiſſima: ut exinde colligitur, quod Cadmus, qui tempore Ioſuæ e Phœnice in Græciam ſe recepiſſe putatur, ea una cum Litterarum *figuris* Græciæ intulit. 2) Quædam illorum *nominum* vulgo male punctata legi, ut deinceps diſpiciemus. 3) *Nomina* illa exacte reſpondere ipſis Litterarum *figuris*; quamvis HUGO de *prima ſcribendi origine* c. 7. & Auctor *Concordiæ naturæ & ſcripturæ* Sect. IV. c. 5. de eo dubitent. 4) *Figuras* Litterarum a rebus tritiſſimis inque communi vita quotidie occurrentibus fuiſſe petitas. 5) Easdem, ut in omni alia ſcriptura, ſucceſſu temporis muta-

Digitized by Google

mutationes aliquas ſubire potuiſſe. Quæ ſingula ut demonſtremus, Litteras ordine perluſtrabimus. Jackson in Chron. p. 835 … Graecis literis

§. III.

Aleph idem eſt cum אֶלֶף, quod in pauſa effertur אָלֶף: ſicut veteres Nomina *Propria Segolata* extra contextum Biblicum veluti in pauſa pronunciarunt, e. g. *Habel* pro *Hebel*, *Lamech* pro *Lemech*, *Pharez* pro *Pherez* &c. Notat autem אֶלֶף *bovem*, cuius caput & cornua quatuor huius litteræ extremitatibus ſic exhibentur: א. Certe ipſa illa figura in ſignis Zodiaci, quæ ultimæ eſſe antiquitatis nemo neſcit, *taurum* ſive *bovem* notat; conf. infra ad Litteram *Mem*. Aliis tamen אֶלֶף idem eſt cum אַלּוּף *dux*, quemadmodum אַלּוּף cum אֶלֶף in ſignificatione *bovis* convenit: ut adeo prima Alphabeti Littera tanquam litterarum *dux* ſpectetur. Potuit quoque Litterarum inventor ſimul reſpexiſſe *Radicem* אלף *didicit*: ut nomen illud quaſi excitationem quandam ad *diſcendum* ſimul inſinuet; ſicut nomen Litteræ Alphabeti mediæ *Lamed*. Secunda Littera dicitur *Beth*, pro בַּיִת, procul dubio, ſicut in *Regimine* Nominum, celerioris pronunciationis ergo; prout & LXX Interpretes עֵין 1 Chron. 4, 32. per *En* expreſſerunt. בַּיִת *domum* ſignificat, quam figura huius Litteræ exhibet, inferiore quidem linea fundamentum; linea ad latus dextrum ſurſum erecta parietem, ſuperiore autem tectum planum, qualia tecta domuum in oriente eſſe ſolent; ad ſiniſtrum denique latus ſpatium patens ianuam ob oculos ponit. Tertiæ Litteræ nomen eſt *Gimel*, veteribus Iudæorum Grammaticis ſine Punctis ſcriptum גימל; nec tamen legendum גִּימֶל, vt vulgo fieri ſolet, ſed גְּמִיל: quia גִּימֶל a *Forma* Nominis Hebr.

plane

plane abludit. Littera *Iod* hic mere eſt *Mater lectionis*, Chirek breve inſinuans, גִּמֵּל autem *Denominativum* a גָּמָל *camelus:* qualia Nomina Hebræi ſubinde ad *Formam Verbalium* ab aliis Nominibus formare ſolent, ut גִּלּוּל *idolum*, q. d. *ſtercoratum*, *ex ſtercore factum*, a גָּלָל *ſtercus;* תִּמּוֹר *palma factitia*, q. d. *palmatio*, a תָּמָר *palma;* בִּקֹּרֶת *flagellatio toro bovino*, a בָּקָר *bos*, &c. Sic ergo גִּמֵּל nihil aliud erit, quam *formatio cameli* ſive *camelus factitius:* quia Littera illa dorſo ſuo gibbus cameli refert, maxime hoc modo inclinata: ↴ ; prout & Arabes eandem inclinant, ج. Quarta Littera *Daleth* vocatur, quaſi in pauſa pro דֶּלֶת *ianua:* quia figura ד *ianuam* quandam non plane apertam exhibet; vel quia eadem figura deorſum inflexa *ianuam* ſive *introitum* tentorii cuiusdam refert, hoc modo: Λ; ſicut quoque veteres Ægyptii, immo & Græci, figuram huius Litteræ deorſum inflexerunt ſimulque infra clauſerunt, Δ; vel quod nobis probabilius videtur, דֶּלֶת proprie notat *valvam* ianuæ ſive portæ, quæ inter aperiendum *attollitur*, 1 Reg. 6, 34. a דלה *extulit*, conf. *Arcanum Form. Nom. Hebr.* p. 381. ut apud nos in aperiendis inſtitorum tabernis fieri ſolet: ſicque figura ד eiusmodi *valvam*, ſurſum aperiendo *elatam*, repræſentat.

§. IV.

Quinta Littera eſt *He*, Hebr. הֵא, quod alias *ecce* ſignificat: ut adeo quaſi quoddam *Nota bene* inſinuet, ad bene diſtinguendam figuram ה a figura cognata Litteræ ח. Poteſt tamen הֵא notare *adſpirationem*, coll. Rad. Arab. هاء *adſpiravit:* quia ה revera eſt nuda quædam *adſpiratio*; quæ quia lenior eſt *Spi-*

ritu

ritu ח, figura ejus ſic comparata eſt, ut imperfectum quoddam ה exhibeat. Aut ſi mavis, domum cum *ſpiraculo* ſive *feneſtra* repræſentat. Sexta Littera dicitur *Vav*, וָו, i. e. *uncinus*, cuius nominis rationem nemo non videt. Septima vocatur *Zain*, Hebr, זַיִן, quod Chaldæis & Syris *telum* quoddam *acutum* notat, cui & Hebr. אֲזֵנִים pl. concinit. Eiusmodi enim *telum*, ſive pugionem ſive aliud quid, figura ז exacte depingit, ſuperior ſcil. apex capulum, reliqua vero pars ipſam laminam. Sunt tamen, quibus figura ז *malleolum* ſive *aſciam* exhibere videtur: quomodo inferior pars manubrium ſive capulum refert. Octava Littera eſt *Cheth*, Hebr. חֵת, quod commode deducitur a חתה *cepit*, *accepit*. Sicut igitur a חתה deſcendit מַחְתָּה *forceps*, (ut optime exponitur,) ſic חֵת eius erit Synonymum & figura ח *forcipem* ob oculos ponet, qualem ante æris inventionem ex ligno confici neceſſe fuit, & ut hodienum fere anſulæ ligneæ, quibus librorum folia inter legendum continentur, fieri ſolent. Arabes vero ad exprimendum *Ch* ſuum præoptarunt figuram ح, *forcipis* formæ, qualis ex ære vel ferro excudi ſolet, convenientiorem; quod etiam Ægyptii atque Copti, immo & Græci, ſuo X fecerunt. Quia חֵית Chaldæis *ſaccum* notat, hinc RHENFERDIUS figuram ח *ſaccum inverſum* referre credit. Nona Littera *Teth* dicitur, quod vulgo Hebr. טֵית exprimitur; rectius tamen cum Chirek טִית, quam cum Tzeri טֵית effertur, commodeque derivatur a נטה *inclinavit*, *inflexit*, *reflexit ſe:* ut adeo טִית per Aphæreſin Litteræ *Nun* dictum ſit pro נְטִית *reflexio*, *figura reflexa*, ut שִׂיג pro נְשִׂיג, תִי pro נְתִי &c. vel, quod magis probamus, nomen huius Litteræ forſitan

ſitan rectius ſcribitur טיט, quod Arabibus *Tait* pronunciatur & *ſerpentem* ſignificat, quem figura ט exacte depingit. Decima Littera eſt *Jod*, Hebr. יוֹד, quod nominis vulgo pro Synonymo habetur cum יָד *manus*, (ut dicitur יוֹם & יָם *dies*, unde plur. יָמִים & יָמוֹת ſuperſunt,) cuius formam figura י ob oculos ponit. Ut autem *Jod* nomen habet a *manu* paululum in ſe reflexa, ita ſequens Littera *Caph* dicitur a כַּף *vola* ſive *manu concava*, quacum figura כ convenit. Sequitur Littera *Lamed*, quaſi in pauſa pro לָמֶד, quod eiusdem ſignificationis eſſe creditur cum מַלְמָד *ſtimulus boum:* ſicut שֶׁקֶל & מִשְׁקָל eodem ſenſu dicitur. Erat autem מַלְמָד agricolarum inſtrumentum, cuius altera extremitate latiore inter arandum glebas aliaque buri adhæreſcentia removebant, altera vero acutiore boves ſtimulabant; unde locutio proverbialis: *contra ſtimulum recalcitrare*, conf. SCHOETGENII Diſſert. de *ſtimulo boum.* Eiusmodi itaque inſtrumentum, veru aſſimile, figura ל exhibet. Videtur & inventor Litterarum illo mediæ Alphabeti Litteræ nomine reſpexiſſe ad Rad. למד *didicit*, ſimulque excitare voluiſſe ad *diſcendum.*

§. V.

Decima tertia Littera *Mem* vocatur, procul dubio exponendum per Hebr. מַיִם *aqua*, quod Punctis deſtitutum legi poteſt *Mem*, (ut ſupra בֵּית pro בַּיִת,) prout Syri atque Arabes illud Litteræ nomen per Iod efferunt eamque *Mim* vocant. At vero quæritur: quid מ affinitatis habet cum *aqua?* Vulgo figura illa *piſcinam* quandam referre putatur, quæ a parte ſuperiore *aqua* immiſſarium, ab inferiore autem emiſſarium

rium habeat. Magis tamen utriusque ſimilitudo apparet, ſi figuram illam in ſubſidium vocamus, qua veteres Ægyptii *M* ſuum expreſſerunt, quæque ad *undarum* formam acceſſit, notante LOESCHERO de *Cauſis linguæ Hebr.* p. 231. hoc modo: ≈; unde nec *Mem* Samaritanorum ≈ abludit, & in antiquiſſimis Zodiaci ſignis eadem figura *aquam* ſive *aquarium* exprimit. Probabile itaque eſt, etiam Hebræorum *Mem*, initio tortuoſius expreſſum, *undas* retuliſſe, lapſu vero temporis ſic in planiorem coaluiſſe figuram. Nomen Litteræ *Nun* Chald. & Syr. *piſcem* notat, quem figura eius ו, ut in codicibus vetuſtioribus mſcr. apparet, vel potius finalis, ן, ob oculos ponit: ſicut *piſcis* caudam inflectens cum *Nun* mediano, נ, convenit. Littera decima quinta *Samech* appellatur, quaſi in pauſa pro סָמֶךְ, quod Chaldæis vel Rabbinis *fulcimentum* notat, a Rad. סמך *innixus eſt:* quia ſuperior eius pars inferiori quaſi *innititur;* vel potius, cum Radix סמך etiam ſenſum habeat *adiunctionis* & *cohæſionis*, ſic dicitur, quia inter ſcribendum figuræ finis ad eius principium *adiungitur*. Litteram *Samech* excipit *Ain*, Hebr. עַיִן *oculus*, cuius figuram illa refert, maxime ſi, ut Arabum ع, inclinata ſcribatur, hoc modo: ع. Sicut igitur *Ain* ab *oculo* denominatur, ita *Pe* nomen accepit ab *ore*, Hebr. פֶּה: quia *oris* & naſi hominis, prout ex latere utroque comparet, formam exhibet. Littera Alphabeti decima octava eſt צדי, quod vulgo efferunt *Tzade*, alii rectius *Tzadi*, unde quidam ſtolide fecerunt *Tzadik*. Iuxta analogiam vero צדי punctandum eſt צְדִי. Scheva initiale veteres ſæpius per *a* pronunciarunt, ut פְּנוּאֵל *Phanuel*, כְּנַעַן *Canaan* &c. Notat autem צְדִי *venationem*, Metonymice *venationis* medium ſive inſtrumentum, a צדה, alias

alias צור & צדר *venatus eſt*, ſive feras ſive piſces ſive volucres. Vnde vulgo rationem nominis in eo quærunt, quod figura illius Litteræ finalis, ץ, formam *venabuli* referat. Quod ſi autem eius figuræ medianæ, צ, inhæreamus, eius tam pars ſuperior, in duos apices diviſa, *furcam aucupum*, qua aves pedibus concluſæ capiuntur, Germanis Klobe, quam inferior pars recurva *hamum*, quo piſces capiuntur, nobis repræſentabit. Litteræ decimæ nonæ nomen eſt קוף, quod alii *Koph*, alii *Kuph* efferunt. Quia קוֹף Hebræis *ſimiam* ſignificat, hinc nonnulli *ſimiæ* formam in eius figura reprehendere ſibi videntur; quam tamen nos non videmus: unde קוֹף nobis potius idem eſt cum Talmudico מְקוֹף ſive מַקּוֹף & Græco *κώπη*, *manubrium*, *capulus*: *capulum* enim teli alicuius vel *manubrium* ollæ, urcei, canthari ſimilisve vaſis Litteræ huius figuram exhibere, nemo non videt. Nomen porro Litteræ *Reſch*, רֵישׁ, quod Chaldæis & Syris idem eſt cum Hebr. ראשׁ *caput*, exinde deſumtum putatur, quod figura eius, ר, *capitis* partem poſteriorem ſive *occiput*, (omiſſa parte anteriore ſive facie, quam Litteræ ע & פ exhibent,) ſatis manifeſte prodat. Littera vigeſima prima שׁין vocatur, quod rectius legeretur *Schen* quam *Schin*, ut *Jod* ſit nuda *Mater Lectionis* Vocalis (ֵ): שֵׁן autem Hebræis notat *acutum* quid, a שָׁנַן *acuit*, ſpeciatim *dentem acutum* & *ſcopulum acutum*. Cum igitur שׁ tres habeat cuſpides, iure dicitur Littera *acuta* ſive *tridens*. Ultima denique Alphabeti Littera *Thau* appellatur, Hebr. תָּו i. e. *terminus*, ſcil. Alphabeti.

§. VI.

Ex his omnibus ſatis ſuperque apparet, 1) Litterarum Hebr. *figuras* revera eſſe hieroglyphicas: quia non ſolum elementorum pronunciationem inſinuant;

ſed certas quoque res ob oculos ponunt. 2) *Figuras* illas eſſe antiquiſſimas eiusdemque cum ipſis Litterarum nominibus ætatis: atqui nomina Litterarum Hebr. earundem figuris accurate reſpondentia, iam ante Cadmi tempora in oriente obtinuerunt, ut ſupra obſervatum: ergo, quæ hodienum in Codice V. T. habentur, Hebræorum genuinæ & antiquæ Litteræ ſint oportet; non vero Samaritanæ, ut quidam volunt, in quarum *figuras* nomina illa minime quadrant. 3) Litterarum inventorem fuiſſe virum ſapientiſſimum: quia non ſolum ſcribendi artem invenit, generi humano utiliſſimam, cuius beneficio memoria rerum, dudum ante nos geſtarum, conſervata eſt, qua artes & ſcientiæ propagantur, qua cum abſentibus, maioribus noſtris poſteriſque quaſi colloquimur, &c. ſed & quia ad tradendum ſingularum Litterarum valorem eiusmodi icones ſive figuras elegit, quarum nomina ab ipſa illa Littera, cuius valor deſignandus erat, incipiunt; quia res in vita communi tritiſſimas & pueris etiam notas eo adhibuit, & denique nomina ſingulis Litteris iuxta eiusmodi iconem ſive figuram impoſuit, ſicque Litterarum nomina & valorem tirones facillime & quaſi per ludum docere potuit. E. g. Litteram *b* eiusque valorem deſinituro, ſtatim ipſi occurrit notiſſima vox בֵּית ſive בַּיִת *domus*, ab illa Littera incipiens: pro eius itaque figura formam *domus* elegit eique figuræ nomen *Beth* impoſuit. Quodſi itaque puero figuram ב ob oculos poſuit ex eoque quæſivit: quid iſtud rei vel quodnam eius nomen ſit? puer illico cognoſcere potuit, *Beth* ſive *domum* eſſe, ipſamque Litteram illam inſtar *b* pronunciandam. Quæ omnia pluribus perſecutus eſt IAC. RHENFERDIUS in Diſſert. de *antiquitate Litterarum Iudaicarum*. (m) Quis vero ille inventor Litterarum fuerit, incertum eſt,

(m) Exſtat illa in eius *Operibus Philolog.* p. 225. ſeq.

eſt, conf. HERM. HUGO de *prima ſcribendi origine* c. 3. HOLMIVS in Diſſert. de *ſcriptura & ſcriptione*, PFEIFFERVS in *Introduct. in Orient.* p. 46. Auctor *Concordiæ naturæ & ſcripturæ* Sect. III. c. 1. &c. Cum itaque Litterarum Hebr. *nomina* ſint *ſignificativa*, hinc nunquam defuerunt, qui magna myſteria exinde elicere ſingulosque illorum ſignificatus in integrum orationis cuiusdam ſenſum connectere tentarunt: ut ex Patribus EVSEBIVS in *Præparat. Evangel.* L. X. & HIERONYMVS in *Epiſt.* CXV. *ad Paulam Vrbicam*, vid. BANGIVS in *Cælo orientis* p. 217. DRVSIVS in *Alphabeto Hebr.* p. 29. ſeq. PFEIFFERVS l. c. p. 55. & LOESCHERVS de *Cauſis ling. Hebr.* p. 270. ſeq. Ex recentioribus IOH. CHERADAMVS an. 1532. Lutetiæ in lucem emiſit *Alphabetum myſticum*, & ante aliquot abhinc annos G. B. RÜMELINVS *Grammaticam Hebr.* mſcr. typis excudendam, mihi transmiſit, in qua univerſam Hiſtoriam Eccleſiaſticam ex Litterarum Hebr. *nominibus* exſculpere voluit: e. g. *Aleph*, i. e. Chriſtus, qui eſt *Alpha* & *O mega*, exſtruxit *Beth*, *domum*, terram nimirum in eaque paradiſum, Eccleſiæ domicilium. Peccantibus protoplaſtis, ſequebatur *Gimel*, h. e. *retributio* & *pœna*. Deinde tamen eorum miſertus Deus Henochum vivum in cœlum *ſuſtulit* & *exaltavit*: quod erat *Daleth*, i. e. *elatio*, conf. ſupra §. 3. Hominibus vero denuo degenerantibus, Deus diluvium immiſit, ubi omnia *He*, h. e. *eheu!* reſonabant, & ſic deinceps. Riſum teneatis, amici! Sed hæc ſufficiant de Litterarum Hebr. *nominibus*.

§. VII.

Sequitur, ut de Litterarum *figura* agamus. Quam bene illa cum earundem nominibus conſpiret, modo oſtendimus. Litterarum quarundam *figuram* certis caſibus mutari, infra §. 14. & 15. docebimus. Hic ſingulares

 quo

quorundam circa Litterarum *figuram* hypotheſes conſiderandæ veniunt: quarum prima eſt, *figuram* Litterarum Hebr. qualis hodienum in Codice V. T. habetur, כְּתָב מְרֻבָּע, *ſcriptura quadrata*, vulgo dicta, non eſſe genuinam illam veterem, apud Samaritanos potius ſuperſtitem; *quadratam* autem iſtam a Chaldæis petitam & ab Esra pro Litteris Samaritanis ſubſtitutam, ideoque introductam, ut Iudæi, in captivitate Babylonica Litteris Chaldæorum adſueti, a Samaritanis, qui una cum religione Israëlitica etiam veteres genuinasque Hebræorum Litteras ſusceperant, eo ipſo ſeſe diſtinguerent. Qua de re ſuperiore ſeculo multum inter Theologos & Philologos disceptatum eſt. Fuerunt iam ex Patribus, quibus ea ſententia placuit, conf. Kippingii Diſſ. de *characteribus novis* §. 1. quos & plurimi recentiorum ſecuti ſunt, magno numero citati a Wolffio in *Biblioth. Hebr.* Vol. II. p. 419. ſeq. & Vol. IV. p. 164. & a Carpzovio in *Critica S. V. T.* p. 232. ſeq. Nemo vero acrius pro illa decertavit, quam Lvd. Cappellvs in *Arcano Punctationis Revelato* & in Diatribe de *veris & antiquis Hebræorum Litteris.* Ante complures abhinc annos Wilh. Whiston in *Conatu pro reſtaurando Textu V. T.* Propoſ. V. litem denuo movit, permutationem Litterarum Hebraicarum & Samaritanarum ineunte ſeculo ſecundo poſt Chriſtum natum a Iudæis factam eſſe contendens; quem vero Carpzovivs l. c. P. II. c. 4. pluribus confutatum dedit. Fuerunt tamen etiam, qui Litterarum Hebr. antiquitatem & γνησιότητα defenderunt, laudati ab eodem Carpzovio l. c. p. 227. quibus plures alii addi poſſunt: ut Sennertvs, Holmivs, Hænervs, Grabovivs, Ebertvs, Opitivs, Bvsmannvs, Wolffingivs &c. in peculiaribus *Diſſertationibus*, Crinesivs in Diſſert. de *linguarum confuſione* P. I. P. C. Kæmpffervs in Diſſert.

Diſſert. de *Litteris*, *Vocalibus & Accentibus in Scriptura V. T. Hebr.* c. I. SCHVDTIVS *in Deliciis Hebræo - Philol.* p. 71. ſeq. BENZELIVS in *Syntagm. Diſſertat.* P. I. p. 167. ſeq. &c. Nemo vero luculentius id præſtitit BVXTORFFIO in *Diſſert. Theol. Philol.* IV. STEPH. MORINO de *ling. prim.* & WASMVTHO in *Vindiciis S. Hebrææ Scripturæ* c. I.

§. VIII.

Argumenta pro antiquitate characteris *quadrati* hæc ſunt: 1) Chriſtus Matth. 5, 18. ne unum quidem *Iota*, i. e. ne minimam quidem litteram Legis, perditum iri affirmat: atqui *Iod* non in ſcriptura Samaritana, ſed Hebraica minima eſt littera. 2) Conſtat inter omnes, quam pertinaces ſemper fuerint Iudæi rerum πατροπαραδότων: unde minime credibile videtur, eosdem, Litteris maiorum ſuorum miſſis, alias a gentibus adſciviſſe. 3) Concipi nequit, quomodo Eſras ſingula Codicis S. exemplaria priora, paſſim exſtantia, abolere eorumque loco alia, Litteris ſcripta Chaldaicis, ſubſtituere potuerit. 4) Codex Pentateuchi Samaritanus ſubinde ab Hebraico diſſentire deprehenditur, ubi affinitas Litterarum Hebr. e. g. ב & כ, ד & ר, ה & ח &c. aberrandi occaſionem ſuppeditare potuit: unde colligitur, Codicem Samaritanum ex Hebraico, non vice verſa Hebraicum ex Samaritano eſſe deſumtum. 5) Litterarum nomina, dudum ante Eſram uſitata, non quadrant in ſcripturam Samaritanam, ſed in Hebraicam, ut ſupra §. 6. monitum. Qui vero pro antiquitate Litterarum Samaritanarum pugnant, ſequentibus potiſſimum argumentis nituntur: 1) *Figura* Litterarum Hebraicarum & Chaldaicarum, ut in Codice S. V. T. habetur, una eademque eſt; cum tamen ante captivitatem Babylonicam utraque fuerit diverſa, coll. Dan. 1, 4. ergo ulterutra in alteram mutata fuerit oportet. 2) Superſunt

ſunt hodienum nummi Hebræorum, Litteris conſignati Samaritanis, iique vel Davidis vel Salomonis tempore cuſi. 3) Talmudici aliique Iudæi ſcripturam *quadratam* vel Hebraicam, ut in Bibliis Hebraicis exſtat, vocant *Aſſyriacam*. 4) Ezech. 9, 4. homines, qui Hieroſolymorum abominationes deplorabant, *Thau* notati leguntur: *Thau* autem illud nihil aliud fuit, quam forma *crucis*, quam non Hebræorum, ſed Samaritanorum *Thau* exhibet. Quæ vero ex altera parte in contrarium regeri ſolent, legere licet apud auctores, præced. §. laudatos. Cum itaque ab utraque parte argumenta obverſentur ſatis firma, quidam neutri ſententiæ aſſentiri malunt, ut GVSSETIVS in *Commentar. ling. Hebr.* p. 9. & DEYLINGIVS in *Obſervat. S.* P. III. p. 195. neque Hebraicas neque Samaritanas eſſe veras & antiquas illas Litteras, Moſis tempore & antea uſitatas, exiſtimantes. Sunt quoque, qui utramque ſententiam conciliari poſſe iudicant, ſi ſupponatur, Iudæis olim geminam fuiſſe ſcripturam, *ſacram*, qualis in Codice S. habetur, & *profanam*, in communi vita tritam, eamque Samaritanam; vel Litteras Hebraicas & Samaritanas initio revera fuiſſe easdem, lapſu autem temporis, ſicut in omni alia ſcriptura, in diverſum deflexas: quæ ſententia eſt ZELTNERI in *Enneade Quæſtionum Philolog* quæſt. 6. BIANCONII *de antiquis Litteris Hebræorum & Græcorum* p. 25. ſeq. &c.

§. IX.

Secunda circa Litterarum Hebr. *figuram* hypotheſis ſingularis eſt FRANCISCI MERC. *ab* HELMONT, qui in *Delineatione Alphabeti vere naturalis* & in *Cogitationibus* ſuper quatuor priora Capita Geneſeos, pluribus demonſtrare voluit, *figuram* illam eſſe *naturalem*, vel, ut explanatius dicamus, eam organorum pronunciationis diſpoſitionem motumque ob oculos ponere & quaſi

quaſi depingere: quam in rem in *Delineatione* prædicta organorum inter pronunciandum motum atque diſpoſitionèm æri inciſam exhibet, ſic demonſtraturus, quam accurate ea Litterarum ductibus reſpondeat. Quam parum vero eius ſententia fundata ſit, oſtenderunt HOLMIVS in Diſſert. de *ſcriptura & ſcriptione* §. 18. SAM. ANDREÆ in *Examine Kabbalæ Philoſophicæ* & I. M. LANGIVS in Diſſert. de *charactere primævo Bibliorum Hebr.* c. 2. HELMONTII tamen ſententiam illam haud ita pridem recoxit anonymus quidam in *Concordia naturæ & ſcripturæ* Sect. II. idem de Litteris Ægyptiorum, quas ille pro antiquiſſimis habere videtur, aſſerens: eſſe nimirum ſcripturam illam naturæ ita accommodatam, ut cum Litterarum ductibus & figuris accurate conſpiret, neque pro organorum loquelæ ratione aliter ſe habere queat. Tertia circa Litterarum *figuras* ſingularis hypotheſis eſt CASP. NEVMANNI, quam primum in *Epiſt.* ad amicum protulit & deinde in *Biga difficultatum Phyſico-ſacrarum*, in *Geneſi* item & *Exodo linguæ S.* atque in *Clave domus Heber*, ulterius adornavit. Vt vero pateat, quænam eius mens ſit, breviter hic repetere placet, quæ in modo dicta *Biga difficultatum*, oſtenſurus, quid *Vrim* & *Thummim* fuerint, in medium producit. אור eſt *res lucida, micans* & *fulgens:* א enim ex eius hypotheſi nota eſt *omnis activitatis & motus generatim ſpectati*; ר vero *exterioritatis* ſive *egreſſus*, & *eius*, *quod emicat*, *effluit vel quomodocunque fines ſuos egreditur.* Quæ utraque ſimul ſumta, exhibent *rem lucidam & ſplendentem:* unde אור *ignis*, in continuo *motu* verſans caloremque & radios ab omni parte *emittens*. Sunt itaque אורים *res lucidæ & ſplendentes.* תם illi exprimit *continuam* ſive *continuatam ſuperficiei* alicuius *amplitudinem*, i. e. *ſuperficiem planam atque æqualem.* ת enim ex eius mente ſignificat *ſequelam* & *continuationem*,

tionem, ט vero nota eſt *amplitudinis* ſive *exampliationis*, *latitudinis* & *dilatationis*. Quibus ſuppoſitis, *Vrim* & *Thummim* nihil aliud fuerunt, quam *gemmæ* pectoralis Aaronitici, a *ſplendore planaque ſuperficie* ſic dictæ. Nova hæc hypotheſis mox ſuos admiratores invenit, quos inter VAL. ERN. LOESCHERVS, P. M. ALBERTI, I. G. ZIEROLDVS, FRID. OPFFERGELD, FR. NIEHR &c. compluribus ſcriptis eam explicatiorem atque emendatiorem reddere ſategerunt. Alios eiusdem ſententiæ fautores in *Arcano Form. Hebr.* Sect. I. §. 1. & in *Onomaſt. S. V. T.* p. 610. citatos videas, quibus addantur ANT. DRIESSENIVS in *linguæ Hebræo-biblicæ Interioribus*, I. G. WELLERVS de *felicitate vitæ*, *gratia divina ſuffulta*, IOH. ENGESTRÖM in *Gram. Hebr. Biblica*, & G. HENSELIVS in *Synopſi univerſæ Philologiæ* c. 4. qui eo usque progreditur, ut valorem illum Litterarum Hieroglyphicum ad omnes adeo linguas extendat, conf. *Introduct. in ling. Græc.* Sect. II. §. 16. Neque tamen etiam defuerunt, qui ſeſe hypotheſi illi *Neumannianæ* ſcriptis oppoſuerunt, laudati in *Arcano Form. Hebr.* & *Onomaſt. S. V. T.* l. c. quibus ſubiiciendi ſunt Celeb. MICH. LILIENTHAL in *Bibliotheca Biblico-Exegetica* p. 228. G. GRODDECK in Diſſert. I. *de vero originum Hebr. fonte & utilitate* Sect. I. §. 33. WOCKENIVS in Diſſert. de *Pietate Critica* §. 15. Conf. V. E. LOESCHERI Diſſert. de *noviter tentatis in Hebr. lingua*, & GVNDLINGII *Hiſtoria Litteraria* c. 3. §. 8.

§. X.

Ad Litterarum *poteſtatem* ſive *valorem* quod attinet, is vel *eſſentialis* eſt vel *accidentalis*. *Eſſentialis* dicitur, quem Litteræ habent in pronunciatione, quique ab omnibus Grammaticis tradi ſolet. Nos ſaltem hoc loco Alphabetum ita perluſtrabimus, ut hinc inde obſervationes quasdam, ad Litterarum pronunciationem ſpectantes,

ctantes, adſpergamus. Hic vero in genere notandum, quaſdam Litteras eſſe *Biſonas* ſive duplicis valoris: ut ſunt 1) Litteræ ſic dictæ *Adſpiratæ*, בגדכפת, quarum adſpiratio ſubinde tollitur, Puncto illarum medio inſcripto, quod *Dageſch Lene* vocatur; 2) *Schin*, interdum efferendum per ſimplex S, quomodo *Sin* appellatur: quod diſcrimen per Punctum quoddam *diacriticum* indicari ſolet, ut infra pluribus docebitur. *Aleph*, prima Alphabeti Littera, reſpondere putatur Græcorum *Spiritui Leni*, ideoque vulgo inter pronunciandum reticeri ſolet: quod quia cum natura Litteræ Conſonantis minime congruit, hinc LOESCHERVS de *Cauſis ling. Hebr.* p. 242. eius pronunciationem ponit in *obſirmatione* gutturis aliorumque loquelæ inſtrumentorum, ut adeo cum *robore* quodam & ἀκμῇ efferenda ſit; conf. C. NEVMANNI *Clavis domus Heber* P. I. p. 9. De *Aleph*, ſingulis ו initialibus iuxta quoſdam in pronunciatione præmittendo, vid. Sect. ſeq. III. *Beth*, adſpirationem ſervans, legitur ut *bh*, vel *v*, ſed paulo lenius. *Gimel* valet *gh*; quanquam BVXTORFFIVS genuinam eius, ut & τοῦ *Daleth*, pronunciationem Germanos latere iudicat; cum contra RVSCHATVS *Gimel* a Batavis & Saxonibus omnino recte enunciari doceat. *Daleth* valet *dh*. Idem tamen olim quandoque cum ſibilo quodam pronunciatum exinde colligitur, quod Arabes illud in duas diviſerint Litteras, *Dal* & *Dsal*. *He* reſpondet Græcorum *Spiritui Aſpero* ſive Latinorum H. Quia vero LXX Interpretes aliique Græci Hebræorum *He* per *Spiritum Lenem* exprimere ſolent, ideo ALHARDVS *de* RAADT de *natura Punctationis Hebr.* L. I. definit. 5. illud cum *Spiritu Aſpero* non plane convenire coniicit. *Vav* idem eſt cum Latinorum V, vel, ut quidam volunt, cum Anglorum W. *Zain* efferendum eſt per *ds* vel *z*, prout Galli ſuum *z* efferre ſolent: unde & LXX Interpretes illud ſemper per ζ ex-

primunt. Sunt tamen, qui *Zain* a veteribus per *sd* pronunciatum eſſe contendunt, adductis exemplis עֶזְרָא *Esdra*, עֶזְרִי *Esdri*, 1 Chron. 27, 26. & *Esdris*, 2 Macc. 12, 35. יִזְרְעֶאל *Esdrelom* ſive *Esdrelon*, &c. qua ratione & *Asdrubas* vel *Asdrubal* formatum a Phœnicio עזרובעל, & Græcorum ζ efferendum ſit per *sd*, conf. *Introduct. in ling. Græc.* Sect. II. §. 12. Plura de eius pronunciatione vid. apud PFEIFFERUM in *Introduct. in Orient.* Diſſert. III. quæſt. 10. *Cheth* a quibusdam exprimitur per *hh*, quod vero HILLERUS, SCHUDT aliique improbant. Tolerabilior tamen ſententia illa eſt, quam quod Cl. MEINERUS in *Gram. Hebr.* p. 18. ſeq. idem per ſimplex *h* pronunciandum præcipit. Eſt autem *Cheth* aſperior quædam populorum orientalium adſpiratio, occidentalibus pronunciatu difficilior, medium quaſi tenens *ch* inter & *h*: unde Arabes duplicem Litteram *Hha* & *Cha*, Græci autem ſuum *Eta*, H, olim ſimiliter *adſpirationis* notam, formarunt, conf. *Introduct. in ling. Græc.* Sect. II. §. 34. *Teth* cum Græcorum *Theta* & nomine & figura convenit: quare PAGNINUS, BEZA, RAVIUS, LOESCHERUS &c. ut Latinorum *th* vel Græcorum ϑ exprimendum eſſe volunt; ſic tamen, ut diſcrimen quoddam inter *Thet* & *Thau* obſervetur.

§. XI.

Paradoxon eſt, quando RAVIUS in *Delineat. Analogiæ & Orthographiæ Hebr.* p. 20. 29. 35. Litteras *Samech* & *Sin* per *ſch*, contra autem *Schin* per nudum *s* pronunciandum eſſe docet: quia *Samech* in ordine Alphabeti Arabum *Schin* reſpondeat & Arabes eius loco *Schin* adhibere ſoleant. *Ain* fortiſſima eſt adſpiratio, quam SPINOZA, MEIBOMIUS & HILLERUS ut חג vel *hg*, SCHINDLERUS contra ut *gh* pronunciant. KYBERUS de *re Grammat. Hebr. linguæ* p. 12.

ei

ei ſonum medium inter *g* & *n* tribuit: unde & Græci *Ain* Hebræorum ſæpius ab initio vocum per γ, in fine autem per *v* expreſſerint. Certe & Arabes exinde duplex elementum formarunt, *Ain* & *Gain*. Alioquin Græci pro *Ain* repoſuerunt *Spiritum* vel *Aſperum* vel *Lenem*. ERPENIVS idem deſcribit ut quandam *gutturis raſionem*, LOESCHERVS autem *Ain* nonnihil de *ſibilo* participare indeque pro Hebr. בְּעוֹר Græce Βόσορ 2 Petr. 2, 15. poni iudicat. Ridiculum videtur, tum quando I. I. *von* EINEM in *Methodo linguarum* p. 16. Litteræ *Ain* ſonum eſſe dicit ſimilem illi, qui exoriatur, ſicui vomitus moveatur; tum quando AMIRA *Ain* efferendum præcipit ſecundum *mugitum vitulorum*, cuius mentem MENINSCKIVS in *Grammat. Turc.* p. 6. ex MAGGII *Grammatica Turc.* paulo diſtinctius exponit, *Ain* ſcil. in imo gutture ſic formari, ut gula extendatur, linguæ autem cuſpis inferioribus dentibus imponatur, non adhibitis naribus, cum quodam *gutturis fragore* inſtar vocis *vituli matrem vocantis*. Plurimi, ad veterum exemplum, *Ain* in pronunciatione plane omittunt, conf. BVXTORFFII *Gram. Chald. & Syr.* p. 335. & DANZII *Litterat.* p. 6. ſeq. quia genuina eius pronunciatio adeo difficilis ſit, & ut SCHICKARDVS, DRVSIVS, TROSTIVS aliique credunt, plane ignota. Sic vero *Ain* cum *Aleph* confunditur. Iudæi eius pronunciationem ſibi veluti prærogativam tribuunt, ſtolide perſuaſi, eam Chriſtianos latere, quia non credant in Deum, vel quia Davidis maledictio Pſ. 115, 7. 8. eos feriat, conf. WAGENSEILII *Tela ignea Satanæ* p. 83. & PFEIFFERI *Introduct. in Orient.* Diſſertat. III. quæſt. 9. *Phe* effertur ut *ph*, ſine adſpiratione vero ut nudum *p*. *Tzadi* valet *tz* vel *ts*, ita tamen ut *s* magis percipiatur quam *t*: unde Græci illud per ſimplex σ exprimere ſolent. *Koph* eiusdem valoris eſt cum *k*, vel, ut quidam volunt, cum *q*, quocum & figura eius inverſa

verſa convenit. *Reſch* LXX Interpretes ſæpius per duplex ϱ proferunt. *Schin*, Punctum *diacriticum* in cornu dextro habens, vulgo effertur ut *ſch*; quod tamen nonnulli improbant. Puncto vero *diacritico* in cornu notatum ſiniſtro, *Sin* dicitur & ſimplex *S* valet. Sunt tamen, ut BVXTORFFIVS (pater), CAPPELLVS, GENEBRARDVS, VOSSIVS, BARTH. MAYERVS, RAVIVS, SAVBERTVS, MEINERVS &c. qui *Sin* pro Littera ſpuria ſimilisque poteſtatis habent cum *Samech*, quacum ſæpe permutatur, provocantes ad LXX Interpretes, HIERONYMVM & BALMESIVM, qui diſcrimen *Sin* inter & *Schin* omnino neſciant; conf. LOESCHERVS de *Cauſis ling. Hebr.* p. 249. BVXTORFFIVS tamen filius & PFEIFFERVS contrariam tuentur ſententiam: 1) quia *Sin* non ſemper & ubique cum *Samech* permutatur nec vice verſa; 2) quia *Sin* & *Samech* ſæpius ſignificationem variant, ut שָׂכַל *erudivit*, ſed סָכַל *infatuavit*; 3) quia nonnulli diſcrimen quoddam pronunciationis utriusque Litteræ obſervaverunt, olim, iudicibus EPHODÆO & GVSSETIO, ſatis notabile. Conf. PFEIFFERVS l. c. quæſt. 7. *Thau* valet *th* vel potius Græcorum *Theta* & Anglorum *th*. *Raphatum* ſive *Dageſch* deſtitutum Iudæi in medio & fine vocum legunt ut *S*: quæ pronunciatio etiam AVENARIO, BVXTORFFIO, WASMVTHO & DAN. SCHWENTERO in Orat. *de pronunciatione Litteræ Thau Raphatæ*, arridet, PFEIFFERO vero l. c. quæſt. 8. diſplicet; quam tamen DANZIVS in *Litterat.* p. 12. denuo confirmavit. MARTINIVS denique, PAGNINVS, RAVIVS & LOESCHERVS Hebr. *Thau* malunt efferre inſtar T Græcorum & Latinorum.

§. XII.

Plura de *pronunciatione* Litterarum Hebr. dabunt, quotquot vel de *recta lectione linguæ S.* ex inſtituto tradide-

diderunt, vel *Alphabeta Hebraica* ediderunt: ut IOH. BVLÆSIVS, HENR. *de* BVKENTOP, IOH. DRVSIVS, W. FRANCHIVS, GENEBRARDVS, MERCERVS, HIERON. MVNOZ, ANT. PALMONIVS, PETR. VIDOVÆVS, CHR. WECHELIVS, CEVALLERIVS ſive HENR. STEPHANVS, SIXT. AMAMA, A. S. NOVZENVS; quibus addantur SCHWENTERVS de *vera pronunciatione Conſonantium Hebr.* LOESCHERVS l. c. L. II. c. 1. §. 38. ſeq. BERNH. MONTFAUCON in Diſſert. de *veteri Litterarum & Vocalium Hebr. pronunciatione*, Tomo II. *Hexaplorum Origenis* p. 394. ſeq. inſerta, & a WOLFFIO in *Biblioth. Hebr.* Vol. II. p. 648. ſeq. repetita; G. F. HAGEN in Diſſert. de *pronunciatione Hebræorum vicinorumque aliquot populorum*, PETRVS GVARINVS in Præfat. ad Tomum II. *Grammatices Hebr.* p. 48. ſeq. GVIDACERIVS in *Peculio*, WOLFFIVS l. c. p. 625. HILLERVS, qui pronunciationem Litterarum Hebr. triplicem facit: *vulgarem* noſtri ævi, *veterem* illam Græcorum, & *naturalem* veterum Hebræorum, in *Inſtitut. Gram. Hebr.* c. 1. p. 5. ſeq. & porro p. 13. ſeq. ubi Litteras in *Simplices* & *Compoſitas* dividit. Illæ ex eius mente vel *Lenes* ſunt, a primo *Spiritu* א usque ad primum *ſibilum* ז, & *Aſperæ*, à ח usque ad ſecundum *ſibilum* ס. Reliquæ illi dicuntur *Compoſitæ*, ex *Lenibus* ſcil. & *Aſperis* modo dictis; פ quidem ex ב & ו, צ vero ex ט & ז, ק ex כ & ו, ש ex gemino ז & Iod inſerto, ת ex ד & Iod: unde & genuinam naturalemque Litterarum pronunciationem deducit, ita ut פ valeat *bw* vel *bv*, ק *cw* vel *qv*, ת *dj*, שׁ tenuis quidam ſibilus ſit, quem lingua admixto Iod dirigat ad dentes ſuperiores, ut contra שׂ ad inferiores.

§. XIII.

Valor Litterarum *accidentalis* ille dicitur, qui in *numerando* obtinet, Maſorethis quidem & Rabbinis tritiſſimus,

tiſſimus, in Codice vero S. plane inſolitus, ubi omnes numeri integris exprimuntur vocibus: id quod non ſine ſingulari Dei providentia accidit, quo ſic audaciæ Criticorum in corrigendis numeris, maxime in libris Chronicorum, obex poneretur, conf. HACKSPANIVS de *uſu librorum Rabbinicorum* p. 334. ſeq. licet ſecus ſentiant LVD. CAPPELLVS in *Critica S.* L. I. c. 10. CLERICVS paſſim in *Commentar.* ut ad 2 Chron. 3, 15. ad c. 22, 2. ad Eſr. 2, 46. ad Neh. 7, 66. Auctor *Concordiæ naturæ & ſcripturæ* Sect. V. c. 5. §. 3. & 4. aliique. Vtrum vero Maſorethæ & Rabbini *arithmeticum* illum Litterarum Hebr. *uſum* a Græcis mutuati, an Hebræi iam ante Græcos Litteris ſuis pro *numeris* uſi ſint? non conſtat: poſterius defendit PERIZONIVS in *Orig. Ægypt.* c. 3. Equidem IAC. ALTINGIVS quoque in *Inſtitut. ling. S.* Sect. I. §. 2. *uſum* illum apud Hebræos antiquiſſimum fuiſſe colligit ex Cabbaliſtica mutationis Litterarum in nominibus Abrahami & Saræ ſignificatione, ubi Deus Litteram *Iod*, numeri *denarii* indicem, ex nomine Sarai ablatam, in geminum ה, *quinque* denotans, diviſerit, alterum ה Abrahamo, alterum vero Saræ loco Litteræ *Iod* tribuendo, mutato ſcil. אַבְרָם in אַבְרָהָם, & שָׂרַי in שָׂרָה. Sed ex eiusmodi Cabbaliſtarum luſibus nihil certi definiri poteſt. Vt igitur Græci ad exprimendos *numeros* Litteras ſuas in tres claſſes diviſerunt, conf. *Introduct. in ling. Græc.* Sect. II. §. 14. ſic & Hebræi Alphabetum ſuum in totidem diſtribuerunt ordines; ita ut novem priores Litteræ deſignent *unitates* ſive *monades*, hoc modo: א' 1, ב' 2, ג' 3, ד' 4, ה' 5, ו' 6, ז' 7, ח' 8, ט' 9; ſequentes novem Litteræ *decades*: י' 10, כ' 20, ל' 30, מ' 40, נ' 50, ס' 60, ע' 70, פ' 80, צ' 90; reliquæ autem quatuor exprimant numeros *centenarios*: ק' 100, ר' 200, ש' 300, ת' 400. Singu-

Singulis illis Litteris ad latus ſiniſtrum apex ſuperimponitur, ad innuendum, eas ſuſtinere vicem *numerorum.* Cum itaque Alphabetum omnibus *numeris* non ſufficiat, hinc Maſorethæ reliquos numeros *centenarios* per quinque Litteras *Finales* denotare ſolent, ita ut ך 500, ם 600, ן 700, ף 800, & ץ 900 exprimat. Rabbini autem idem faciunt quatuor ultimarum Alphabeti Litterarum coniunctione, ut ת״ק 500, ת״ר 600, ת׳ש 700, ת׳ת 800, ת״ת״ק 900: quo caſu geminus apex ſuperimponitur. Iam vero quæritur: quomodo reliqui *numeri*, ut *millenarii*, interque *denarios* & *centenarios* intermedii, deſignentur? *Millenarii* quidem a Rabbinis ſemper ſcribuntur integris vocibus: ut אלף 1000, אלפים 2000, &c. a Maſorethis autem vel iisdem Litteris ſingulis, quibus *unitates*, *decades* & *centenarii* notantur, impoſitis tamen duobus punctis, hoc modo: א̈ 1000, ב̈ 2000, &c. vel adiecto infra ad latus ſiniſtrum apice, ut apud Græcos: א 1000, ב 2000, &c. vel *unitatibus* ſuperaddito א, (ex אלף *mille*,) ut אא̈ 1000, בא̈ 2000, &c. *Numeri* intermedii coniunctione duarum Litterarum indicantur: e. g. *undecim* denotatur per י״א (ubi Iod *decem* & א *unum* ſignificat,) ſic י״ב 12, י״ג 13. &c. כ״א 21, (כ ſcil. 20, & א *unum* indicat,) ſic כ״ב 22, כ״ג 23, ל״א 31, ל״ב 32, מ״א 41, &c. Vbi obſervandum eſt: 1) ſingulis *numeris* illis compoſitis ſimiliter geminum imponi apicem; 2) numerum maiorem ubique præmitti; 3) ad exprimendum numerum XV non adhiberi Litteras י״ה, ne nomen divinum יָהּ vel יְהֹוָה profanetur, ſed ט״ו, ubi ט *novem*, & ו *ſex* notat, quæ coniuncta *quindecim* conficiunt. Quod ſi igitur præſens annus 1753 Litteris Hebr. numerandus foret, ſic ſcriberetur אתשנ״ג. Iudæi autem, annos ſuos a creatione mundi computantes, iam numerant annos התקי״ג i. e. 5513, ſed omiſſo numero millenario compendii

pendii cauſa, ſcribunt תק״ג, quod vocant לפ״ק, i. e. לִפְרַט קָטוֹן *ſecundum computum minorem.* Omnium numerorum Hebr. ſchema ab *uno* usque ad *nongenties mille* videre eſt apud IOH. DRVSIVM in *Alphabeto Hebr.* p. 24. ſeq.

§. XIV.

Supereſt Litterarum Hebr. *diviſio*, eaque quadruplex: ratione ſcil. *figuræ*, *lectionis* ſive *pronunciationis*, *organorum* & *uſus*. Ratione *figuræ* Litteræ ſunt vel *Uniformes*, quæ eadem ſemper ratione, vel *Biformes*, quæ gemino modo ſcribi ſolent. *Biformes* illæ porro vel *Dilatabiles* ſunt vel *Finales*. *Dilatabiles* vocantur א, ה, ל, מ vel potius ם, & ת, quæ interdum *dilatari* ſolent, hoc modo: א, ה, ל, ם, ת; idque 1) *ornatus* cauſa, maxime in canticis quibusdam Biblicis, ſingulari quadam ratione exarandis, ut Exod. 15. Deut. 32. Judic. 5. &c. conf. DANZII *Litterat.* p. 25. ſeq. 2) *Neceſſitatis* cauſa, quo Litteris ſic dilatatis ſpatium linearum vacuum expleatur: quia Hebræi vocabula in fine linearum non, uti Græci & Latini, dirimunt, una parte in fine lineæ ſcripta, altera vero ad ſequentem lineam reſervata. Vbi tamen monendum, Hebræos, ſpatio lineæ vacuo per Litteras *Dilatabiles* non plane expleto, ſubinde quoque ſequentem vocem vel aliquot ſaltem eius Litteras ad lineæ oram adſcribere, ſed ſine Punctis Vocalibus: quemadmodum nos ad finem paginæ poſito *custode*, ut vulgo vocatur, facere ſolemus. Sunt, qui Litteris *Dilatabilibus* etiam ח & ר, & in codicibus mſcr. ב, ד, כ, נ, ק & ש annumerant; quanquam CASTELLVS in *Grammatica Harmon.* p. 3. ח raro ſic occurrere obſervat, PISTORIVS autem in *Enchiridio ling. S.* L. I. c. 1. §. 48. idem in exemplaribus Bibliorum correctis dilatatum conſpici plane negat.

§. XV.

Digitized by Google

§. XV.

Litteræ *Finales* vocantur 1) כ, נ, פ & צ, quæ in fine vocum inferiorem curvaturam ſuam recta deorſum inflectunt, hoc modo: ך, ן, ף, ץ. Quod inventum an Moſi & Prophetis tribuendum ſit? doctores Talmudici diſputant in Gemara *Megilla*, vid. DANZIVS l. c. p. 23. & WOLFFIVS in *Biblioth. Hebr.* Vol. II. p. 626. LOESCHERVS quidem de *Cauſis ling. Hebr.* p. 237. Litteras *Finales* inventas eſſe credit, quod Hebræis incongruum videretur, Litteras ponere apertas, ubi vox clauſa eſſe debet. Eadem mutatio Litteræ *S* apud Græcos, Latinos & Germanos accidit, ubi in fine vocum e. g. ſcribitur σῆς, *ſis*, ſas, pro σῆσ, *ſiſ*. ſaſ. HELMONTIVS autem in *Alphabeto Naturali* p. 84. & DANZIVS l. c. p. 24. Litteras *Finales* introductas eſſe putant ad explendos numeros *centenarios*, in Alphabeti ordine deficientes. Contra LACKEMACHER in *Obſervat. Philol.* P. VI. p. 394. eaſdem ex ſcribentium natas eſſe feſtinatione iudicat, qua factum, ut, quæ inferne ſubnectenda erat, lineola transverſa, neglecta eiusque loco recta illa paulo longius fuerit provecta. Denique AVG. BISCHOFFIVS in *Cadmo* c. 1. §. 16. Litteras illas olim, cum integra oratio inſtar unius vocis ſcriberetur, ita ut omnia citra ullum ſpatium intermedium cohærerent, facilitandæ lectioni & indicandis vocum finibus inſerviiſſe, contendit. Quam falſa vero ſit iſta ſententia de ſcriptione integræ orationis inſtar unius vocis, pluribus oſtendit Celeb. I. G. TYMPIVS in Diſſert. de *antiqua Hebræorum ſcriptione*. Cur vero non etiam ב in fine vocum ſic varietur, exinde derivat LOESCHERVS l. c. quod ב raro in fine vocum occurrat & facile ſic cum *Caph* finali confunderetur: quæ tamen ratio minus ſufficiens videtur Celeb. P. T. CARPOVIO in *Animadvers. Philolog.* p. 52.

Eſt & 2) ם ex Litteris *Finalibus*, ab omni parte in figuram quadratam, ם, concludendum.

§. XVI.

Hic vero quædam Codicis S. exempla ab analogia recedunt. Nam 1) in voce מנ Iob. 38, 1. *Nun medianum* occurrit pro *finali*; 2) loco *Mem finalis* exſtat *medianum* in הם Neh. 2, 13. & contra *finale* pro *mediano* in לםרבה Ieſ. 9, 6. Præterea hinc inde in Textu Hebr. Litteræ quædam inſolitæ occurrunt, iuſto vel *minores* vel *maiores*, *ſuſpenſæ* item ſive ſupra reliquas exſertæ, & *Nun* ſitu *inverſum*: quarum catalogum contexuerunt BVXTORFFIVS in *Tiberiade* c. 14. ſeq. & LEVSDENIVS in *Philologo Hebr.* Diſſ. X. Iudæi & complures quoque Chriſtiani magna in illis venantur myſteria. Aliis, aliud quid ſignificant: e. g. *Vau* maiuſculum in גחון Levit. 11, 42. media Littera eſt totius Pentateuchi. Sunt quoque, qui mera librariorum antiquiorum vitia, a ſequioris ætatis amanuenſibus vel ſtudio vel ex ſuperſtitione aſſervata, eſſe volunt. Conf. pluribus HACKSPANIVS in *Expoſitione Cabbalæ Iudaic.* §. 17. ſeq. LEVSDENIVS & BVXTORFFIVS l. c. PFEIFFERVS in *Introduct. in Orient.* Diſſert. III. quæſt. 13. & in *Critica S.* Cap. VI. ſect. 2. quæſt. 4. aliique apud WOLFFIVM l. c. Vol. II. p. 525. & Vol. IV. p. 225. 226. Ad Litteras *ſuſpenſas* in ſpecie quod attinet, vir quidam doctus in *Symbolis Litterariis Bremens.* T. I. P. 2. earum originem exinde arceſſit, quod veteres Hebræi litteram inter ſcribendum obliti vel ſpatii anguſtia præcluſi, eam voci ſuperimponerent, ut hodienum facere ſolent Iudæi. Vero ſimilius nobis videtur, Litteras illas inſolitas *ſymbola* ſive notas eſſe *Variantium Lectionum*, ut pluribus probatum dedit HILLERVS in *Arcano Kri & Kethibh*

L. I.

L. I. c. 8. ſeq. e. g. הֵמ Neh. 2, 13. innuit, alios codices ibi habuiſſe הֵם, alios הֵמָּה: quam *Lectionem Variantem* Maſorethæ per מ *medianum* pro *finali* inſinuare voluerunt. Litteras illas ex codicibus noſtris abolendas Textumque S. ſuo ordine imprimendum ſuadet Chr. Havemannvs in *Symbolis Bremens.* T. III. p. 488. cui tamen ſententiæ an multi ſint acceſſuri, vehementer dubitamus. Hæc de Litteris *Biformibus*. Reliquas, quotquot neque *Dilatabiles* ſunt neque *Finales*, *Uniformes* vocare licet.

§. XVII.

Ratione *lectionis* ſive *pronunciationis* Litteræ dividuntur in *Mobiles* & *Quieſcentes.* *Moveri* Hebræis idem eſt ac *legi*: unde Vocales vocant תְּנוּעוֹת *motiones*, easque cum *anima* comparant, ut Conſonantes cum *corpore*, quod ab anima movetur. Quam comparationem etiam apud veteres Grammaticos Latinos legere eſt. Sic enim Priscianvs L. I. „Tantum fere in„tereſt inter Vocales & Conſonantes, quantum inter „*animas* & *corpora*. Animæ enim per ſe moventur, ut „Philoſophis videtur, & corpora movent; corpora „vero nec per ſe ſine anima moveri poſſunt nec ani„mas movent. Vocales ſimiliter & per ſe moventur „ad perficiendam Syllabam, & Conſonantes movent ſe„cum, Conſonantes vero ſine Vocalibus immobiles „ſunt.„ Sic quoque incolæ Malabariæ Vocales vocant *vir* h. e. *vitam*, Conſonantes autem *meg*, i. e. *corpus*, referente C. T. Walthero in *Relat. Malabar.* Continuat. XXIX. p. 435. Vt autem *moveri* eſt *legi*, ſic *quieſcere* eſt *non legi*. Litteræ itaque *Mobiles* dicuntur, quæ *leguntur* & *pronunciantur*; ſuntque vel *Biſonæ*, geminam admittentes pronunciationem, ut Litteræ *Adſpiratæ* בגדכפת, & ש, de quibus iam ſupra §. 10. & 11.

 præce-

præcepimus; vel *Vniſonæ*, uno eodemque modo ſemper efferendæ, ut reliquæ omnes. *Quieſcentes*, vel, ut rectius appellantur, *Quieſcibiles*, ſunt אהוי, quæ interdum non leguntur ſive pronunciantur, ut Sect. ſeq. pluribus docebimus. Hic ſaltem monendum, Iudæos multum tribuere Litteris illis *Quieſcentibus*, vid. IOH. ISAACI *Gram. Hebr.* p. 15. eiusdemque *Annotat.* ad CLENARDI *Tabulas Hebr.* p. 12. eo quod 1) omnium leniſſime efferantur; 2) interdum *Radicales* ſint, interdum vero *Serviles*; 3) interdum legantur, interdum reticeantur; 4) facile cum invicem permutentur; 5) in *numeris* conficiant XXII, quot Litteræ in univerſum numerantur; 6) nomen *Tetragrammaton* יהוה contineant: qua in re Cabbaliſtis id μυςηριῶδες videtur, quod Litteræ *Quieſcentes* aptiſſimæ ſint ad Deum, ens *quietiſſimum* omnisque *quietis* fontem, repræſentandum, conf. I. H. MAII Diſſert. de *nomine* יהוה §. 10. 7) Quod *Matres* ſint *Lectionis:* quo nomine præſertim אוי Hebræis vocantur, qui iisdem loco Vocalium utuntur, ita ut א *a*, ו *o* & *u*, י *e* & *i* valeat. Sunt, qui eius rei quoque reliquias ſive veſtigia in Codice S. ſupereſſe putant: ut רָאשׁ pro רָשׁ *pauper*, דָּאג pro דָּג *piſcis*, &c. plura exempla congeſſit LEVSDENIVS in *Philolog. Hebr.* Diſſert. XIV. *Matres* illæ *Lectionis* Punctorum Hebr. impugnatoribus haberi ſolent pro veterum Hebræorum Vocalibus, & ſic quoque à IOSEPHO atque HIERONYMO vocantur: unde aliter fieri non potuerit, quin Litteræ illæ poſt Punctorum Vocalium inventionem quieſcant. Conf. BELLARMINVS in *Inſtitut. ling. Hebr.* p. 27. & MONTFAUCON in Diſſert. de *veteri Litterarum & Vocalium pronunciatione* apud WOLFFIVM in *Biblioth. Hebr.* Vol. II. p. 653. In ſcriptura *Iudæo-Germanica* etiam ע pro *Matre Lectionis* ſive Vocali uſurpatur & *e* notat.

§. XVIII.

§. XVIII.

Ratione *organorum* loquelæ Litteræ Hebr. ſunt vel *Gutturales*, quas quidam *Pulmonales* vocant, ut אחהע; vel *Labiales*, ut בומף; vel *Palatinæ*, ut גיכק; vel *Linguales*, דטלנת; vel denique *Dentales*, זסצרש. Quæ Litterarum diviſio quamvis ſit vetuſtiſſima, in antiquiſſimo adeo libro *Iezira* memorata, tamen a Grammaticis nonnullis ex parte mutatur: ut DAV. KIMCHIVS & IOH. ISAACVS ex מנ peculiarem claſſem Litterarum *Narinarum* conſtituunt, quibus & quoad *Nun* conſentit Auctor *Concordiæ naturæ & ſcripturæ* Sect. II. c. 3. HILLERVS in *Gram. Hebr.* p. 13. ſeq. *Linguales* plane omittit easque partim *Palatinis*, partim *Dentalibus* annumerat; contra vero Celeb. I. D. MICHAELIS in *Gram. Hebr.* p. 8. *Dentales Lingualibus* accenſendas eſſe docet. Eodem modo R. MOSES BEN CHABIB in שורש פרח & AMMANVS in Diſſert. de *loquela* p. 64. ſeq. peculiarem claſſem *Palatinarum* non agnoſcunt, conſ. G. F. HAGEN in Diſſert. de *pronunciatione Hebræorum* §. 26. Litteram ר multi ad *Linguales* referunt, ut CASTELLVS in *Gram. Harmon.* p. 7. STARCKIVS in *Luce Gram.* p. 12. HILLIGER in *Summario linguæ S.* p. 7. LVDOLFVS in *Gram. Æthiop.* p. 9. Doctiſſ. ZENCKELIVS in *Commentario Gram. ling. Hebr.* P. I. p. 15. Cl. MEINERVS in *Gram. Hebr.* p. 9. &c. 1) quia ר in Hithpahel non, ut aliæ Litteræ *ſibilantes* ſive *Dentales*, transponi ſolet; 2) quia ab edentulis pronunciari poteſt; 3) quia cum reliquis *Dentalibus* ſæpe permutatur. Aliam quoque Litterarum diviſionem ratione *organorum* inſtituit LOESCHERVS l. c. L. II. c. 1. §. 45. In genere hic obſervandum eſt, Litteras eiusdem *organi*, (n) ut & *Quie-*

 ſcentes

(n) Quod quomodo iure negare queat IOH. ENGESTRÖM in *Grammatica Hebræo-Biblica* p. 461. plane non videmus.

ſcentes ſæpiſſime cum invicem permutari; ubi tamen WASMUTHUS in *Hebraiſmo reſtit.* c. 1. ſect. 1. monet, *Linguales* & *Dentales* hoc caſu habendas eſſe pro Litteris eiusdem *organi*: quia etiam *Linguales* cum *Dentalibus* ſubinde permutantur. *Gutturales* eſſe *Spiritus* gradu ſaltem differentes, ideòque, cum facile fieri poſſit, ut eiusmodi *Spiritus* ſive adſpiratio mox intendatur, mox remittatur, inter ſe permutabiles, notat HERMANNUS HARDTIUS in *Fundamentis ling. Hebr.* p. 9.

§. XIX.

Denique & ratione *uſus* Litteræ Hebr. dividi ſolent. Eſt autem *uſus* ille vel *proprius* & *eſſentialis*, vel *improprius* & *accidentalis*. Ratione *uſus proprii* & *eſſentialis* illæ ſunt vel *Radicales* vel *Serviles*. Solent Hebræi *Primitiva* vocare *Radices*. Ut enim ex radice tota arbor una cum ſtirpe, ramis, frondibus & fructibus exſurgit; ita a *Primitivo*, (quod ut plurimum *Verbum* eſt tertiæ Perſonæ maſc. ſingularis Numeri Præteriti *Kal*,) omnes Perſonæ, Numeri, Tempora, Coniugationes & Nomina *Derivata* deſcendunt: id quod SCHICKARDUS in *Inveſtigatione Radicum Hebr.* ſub forma arboris, cum radicibus, ſtirpe, ramis & fructibus æri inciſæ ſimulque umbraculi vice inſervituræ lucubrantibus, ingenioſe ob oculos poſuit. Litteræ itaque illæ, quæ ſemper conſtituunt *Radicem*, dicuntur *Radicales*, ſuntque ג, ד, ז, ח, ט, ס, ע, פ, צ, ק, ר; quæ ut memoria facilius teneantur, a Grammaticis hoc memoriali comprehenduntur: טִפְסַר חַג זָע צֶרֶק *princeps ſaltavit, mota eſt iuſtitia.* Id tamen monendum, ex *Radicalibus* illis ד & ט interdum per accidens fieri *Serviles*, quoties in Coniugatione Hithpahel loco ת tranſpoſiti adhibentur. Reliquæ vocantur *Serviles*: quia in formandis Perſonis, Generibus, Numeris, Tempori-

poribus, Coniugationibus, Nominibus *Derivatis*, aliisque *Radicum* mutationibus & additionibus, *Radicibus* quaſi *ſerviunt*. Sic tamen appellantur, non quaſi ſemper *ſerviant*, ſed quia ſolæ *Serviles* eſſe poſſunt; cum contra *Radicales* nunquam ſint *Serviles*. Alioquin enim & ipſæ *Serviles* interdum *Radicales* eſſe poſſunt, e. g. in ישב *habitavit*, omnes tres *Radicales* eiusmodi Litteræ ſunt, quæ alias *Serviles* eſſe ſolent. Litteras illas *Serviles* Grammatici complectuntur tribus Nominibus *Propriis* מֹשֶׁה וְכָלֵב אֵיתָן, vel ut alii eas ordinant, אֵיתָן מֹשֶׁה וְכָלֵב, *Ethan*, *Moſes* & *Caleb*. Quam bene tria illa Nomina *Propria* huc adhibeantur, ostendit DANZIVS in *Litterat.* p. 32. Cæterum de Litteris *Servilibus* peculiares quorundam exſtant tractationes: ut IAC. EBERTI, HERM. RENNECHERII, HENR. VRANII, NOUZENI &c. in ſpecie de *Servilibus* משה וכלב IOH. DRVSII; quo etiam referendus eſt H. G. REIME de *diſcrimine inter Litteras actu Serviles & non-ſervientes facile conſtituendo.*

§. XX.

Subdividuntur autem Litteræ *Serviles* tum ratione *muneris* ſive *officii*, tum ratione *ſitus*. Ratione enim *muneris* vel *Conſignificativæ* ſunt, quæ per ſe peculiarem quandam ſignificationem conſtituunt, ut ſunt *Præfixa* vel *Affixa;* vel *Formativæ*, quæ tantum in formatione vocum adhibentur, nec per ſe ſeparatam quandam ſignificationem habent; quamvis ſignificationi aliquid ſuperaddant eamque diverſimode determinent ſive varient: quales ſunt, quæ Perſonas, Genera, Numeros, Tempora & Coniugationes indicant; nec non quæ *Heemanticæ* vulgo appellantur, voce הֶאֱמַנְתִּי i. e. *credidi*, comprehenſæ, & in derivatione Nominum

num a *Radicibus* ſuis adhiberi ſolitæ, quibus alii perperam addunt ו, ל, ut & ח, ר & ש; vel denique *Otioſæ*, quæ neque per ſe, neque aliis vocibus adiectæ, peculiarem quandam ſignificationem involvunt, ut ſunt *Epentheticæ* & *Paragogicæ*: ubi tamen ה *Paragogicum* excipitur, quod ſæpius *motum ad locum* notat & ſignificationem quoque ſubinde intendit, ut Sect. VIII. docebimus. Ratione *ſitus* Litteræ *Serviles* ſubdividuntur 1) in *initiales*, ab initio tantum vocum conſiſtentes, ut ב, ל & ש; 2) in *initiales & finales ſimul*, tam a principio quam a fine vocum ſervientes, ut כ & מ; 3) in *initiales*, *medianas & finales ſimul*, quæ ab initio, in medio & fine vocum ſerviunt, ut א, ה, ו, י, נ & ת. Hæc Litterarum *Servilium* ratione *ſitus* diviſio inſignem uſum habet in inveſtigatione *Radicis*. Cæterum memoratu omnino digna ſunt, quæ obſervat Cl. G. P. Zenckelius in *Commentar. Gram. ling. Hebr.* P. I. p. 16. 17. in ordine ſcil. Alphabeti Hebr. proportionatam quandam Litterarum *Radicalium* & *Servilium* viciſſitudinem ſemper obſervari, ita ut, quot *Radicales* vel *Serviles* præceſſerunt, totidem & ſequantur. Nam

1) occurrunt duæ *Serviles* א & ב, quas totidem ſequuntur *Radicales*, ג & ד; has

2) denuo excipiunt duæ *Serviles* ה & ו, totidemque *Radicales* ז, ח;

3) reciproce ponitur una *Radicalis* ט, eique ſubiicitur una *Servilis* י;

4) ſequuntur quatuor *Serviles*, כ, ל, מ, נ, totidemque *Radicales* ס, ע, פ, צ; denique

5) recurrunt duæ *Radicales*, ק & ר, agmen autem claudunt totidem *Serviles* ש & ת.

Vnde

Vnde patet, ordinem Alphabeti non eſſe temerarium, ſed conſulto & ex ratione ita inſtitutum.

§. XXI.

Ratione *uſus improprii* & *accidentalis* quædam Litteræ ſunt *Criticæ*, ut פ & ס, a Iudæis in *Critica S.* deſignandis *Paraſchis* ſive Sectionibus Pentateuchi uſurpari ſolitæ. De ipſis *Paraſchis* illis infra Sect. XII. c. 2. pluribus tractabimus. Hic ſaltem obſervandum eſt; פ primam eſſe Litteram ex integra voce פְּתוּחָה *aperta*, ſcil. פָּרָשָׁה *ſectio*; ס autem ex סְתוּמָה *clauſa*. Sectio Pentateuchi *aperta* dicitur, quæ cum nova linea incipit, ita ut ad finem præcedentis verſiculi ſpatium apertum ſive patens relinquatur; *clauſa* vero, quæ in medio lineæ incipit, ita ut ס utrinque vocabulis includatur. Monent vero DANZIVS in *Litterat.* p. 9. alii que, qui de *Paraſchis* Pentateuchi tractarunt, infra ſuo loco nominandi, illam Sectionum *apertarum* & *clauſarum* diſpoſitionem in codicibus, maxime impreſſis, raro accurate obſervari. Cum vero Sectiones Pentateuchi generis ſint duplicis, *maiores*, alias quoque dictæ *Sabbathicæ*, quia Iudæi ſingulis Sabbathis illarum unam in Synagogis ſuis prælegunt; & *minores*, aliquot ſaltem verſiculos complexæ: Litteræ illæ, פ & ס, *ſingulæ* poſitæ & figura *minuſcula* expreſſæ, Sectiones *minores* indicant; *maiuſculæ* autem & *ternæ*, Sectiones *maiores*. Litteris *Criticis* nonnulli quoque annumerant *Nun inverſum*, Num. 10, 35. & c. 11, 1. in duabus vocibus occurrens, in accuratiſſimis autem editionibus ad finem c. 10, 34. & 36. ſeorſim poſitum, vid. BVXTORFFII *Tiberias* c. 16. & LEVSDENI *Philologus Hebr.* p. 122. ſeq. Talmudicis habentur pro ſignis *Parentheſeos*; conf. HILLERI *Arcan. Kri & Kethibh* p. 188. ſeq.

CAPVT II.
DE
PVNCTIS.

§. XXII.

Quæcunque præter *Litteras* ad *Elementa* linguæ Hebr. pertinent, Hebræi vocant נְקֻדּוֹת ſive נִקּוּדוֹת *Puncta;* non quaſi omnia & ſingula nuda *Puncta* ſint, ſed quia maxima illorum pars ex *Punctis* conſiſtit. Denominatio itaque fit a potiori. *Puncta* illa commode dividuntur in *ſonum moderantia*, *tonum regentia* & *critica.* Diſtinguimus itaque inter *ſonum* & *tonum.* *Tonus* enim nihil aliud eſt, quam *intenſio* & *directio ſoni*, quæ fit vocem vel extollendo vel remittendo vel protrahendo. Ad *Puncta ſonum moderantia* quod attinet, duo circa ea conſideranda ſunt: 1) eorum *origo* & *antiquitas*, 2) eorundem variæ *ſpecies* ſive *diviſio* & *ſubdiviſio.* Iam dudum inter Philologos ac Theologos quæſtio agitata eſt, præſertim ſeculo proxime elapſo: (o) utrum *Puncta* Hebr. Litteris ſint coæva? an demum ævo ſequiori a Iudæis inventa & Textui S. Hebr. addita? Sunt, qui *Puncta* ab ipſis ſcriptoribus divinis adiecta adeoque Litteris coæva eſſe contendunt. Alii eorum inventionem Eſræ acceptam ferunt, qui veræ pronunciationis ſive genuinæ lectionis abſque Punctis, ab initio receptæ, partim ex traditione, partim ex θεοπνευςίᾳ gnarus, ut ne ea periret vel corrumperetur, notas illas invenerit. Neutra illorum pars auctoritati *Punctorum* derogat. Argumenta autem, quibus *Punctorum antiquitas* & *origo* divina confirmari ſolet, hæc ſunt:

(o) Conf. WASMVTHI Prolegomena ad *Vindicias S. Scripturæ Hebr.*

ſunt: I.) Sine *Punctis* vera linguæ Hebr. pronunciatio ſenſusque Textus S. Hebr. conſervari non potuit. II.) Infinita loca Biblica citra eorum opem intelligi nequeunt. III.) Rudiores & indocti ſine *Punctis* legere neſciunt; cum tamen Deus in tradendo Verbo ſuo illorum quoque habuiſſe rationem omnino putandus ſit. IV.) *Matres* ſic dictæ *Lectionis*, a quibusdam pro priſcis Hebræorum Vocalibus haberi ſolitæ, (conf. præced. §. 17.) etiam in codicibus non punctatis omittuntur: aliunde ergo, puta a *Punctis*, vera lectio petenda ſit oportet. V.) Nihil quicquam in ſcriptis Iudæorum de inventione *Punctorum* recentiore legitur. VI.) Matth. 5, 18. per κεραία commode *Puncta* intelliguntur. VII.) Maſorethæ *Punctorum* mentionem faciunt ut ſignorum iam exſtantium. VIII.) Eorundem mentio fit in libris *Maſora* & Talmude antiquioribus, ut in libris *Zohar* & *Bahir*. IX.) Omnes Iudæi, uno excepto ELIA *Levita* recentiore, *Punctorum* primævam agnoſcunt antiquitatem. His addere licet X.) Nomina *Punctorum* Hebraica ſunt: quod indicio eſt, ſigna illa iam exſtitiſſe, cum lingua Hebr. Iudæis vernacula adhuc fuit. Aliter ſe habent Nomina *Accentuum*, de quibus infra ſuo loco. Plura argumenta ſuppeditabunt ſcriptores, *antiquitatis* & *auctoritatis Punctorum* defenſores: quorum anteſignani ſunt BVXTORFFIVS (filius) in Tract. de *Punctorum Hebr. antiquitate*, LOESCHERVS de *Cauſis ling. Hebr.* L. II. c. 3. WASMVTHVS in *Vindiciis S. Scripturæ Hebr.* P. I. CALOVIVS in *Critico S.* p. 326. ſeq. LEVSDENIVS in *Philologo Hebr.* Diſſert. XIII. ſeq. HOTTINGERVS in *Theſauro Philolog.* p. 402. ſeq. & CARPZOVIVS in *Critica S. V. T.* p. 243. ſeq. Reliquorum copiam faciunt PFEIFFERVS in *Crit. S.* Cap. IV. ſect. 2. quæſt. 2. CRENIVS in *Theſauro librorum Philolog.* P. I. p. 242. ſeq. & WOLFFIVS in

Biblioth.

Biblioth. Hebr. Vol. II. p. 476. ſeq. & Vol. IV. p. 211. ſeq. quibus plures alii addi poſſunt: ut STARCKIVS in *Luce Gram. Hebr.* p. 23. ſeq. RACHELIVS, HIER. ERNESTI, I. C. HEBENSTREIT, PHIL. NIC. WOLFFIVS, DASERVS, Celeb. I. D. MICHAELIS, P. C. KÆMPFFERVS &c. in peculiaribus *Diſſertationibus*.

§. XXIII.

Alii vero *Puncta* recentius Iudæorum inventum eſſe ſtatuunt, in diverſas tamen partes abeuntes. Quidam enim eorum inventionem Maſorethis Tiberienſibus, qui ſeculo quinto floruiſſe creduntur, tribuunt: quam ſententiam primus excogitavit ELIAS *Levita* in Præfat. ad *Maſoreth Hammaſoreth*; ſive Maſorethæ genuinam pronunciationem, olim florente lingua Hebr. tritam, per traditionem oralem acceperint eamque novis illis ſignis exprimere voluerint; ſive univerſam legendi rationem ex ingenio effinxerint, ita tamen ut regularitate ſua, naturæ linguæ Hebr. conſentanea, minime deſtituatur. Sunt porro, qui *Punctorum* ſaltem partem aliquam ab Eſra inventam, vel eorundem inventionem non longe ab Eſræ temporibus abeſſe exiſtimant. Plurimi vero *Punctorum* uſum multo recentiorem faciunt, veluti introductum poſt ſeculum a Chriſto nato ſextum, vel ſeculo demum undecimo &c. Argumenta, quibus *Punctorum antiquitas* impugnari ſolet, ſunt: I.) Quia *Puncta* illa cum veterum Hebræorum pronunciatione minime conſpirant, ceu videre eſt ex Nominibus *Propriis*. II.) Multa vocabula habent *Puncta* plane incongrua. III.) Litteræ אוי priſcæ Hebræorum Vocales ſunt, *Matres Lectionis* exinde dictæ: quandoquidem nullum Alphabetum ſine Vocalibus eſſe poteſt, *Puncta* autem Hebr. inter *Litteras* Alphabeti non referuntur; cum tamen Græco-

rum

rum quoque *α* & *ι*, quæ Hebræorum elementis א & י reſpondent, Vocales ſint. IV.) In Talmude nuſpiam mentio fit *Punctorum*, neque etiam HIERONYMVS eorundem mentionem alicubi iniicit: unde patet, ea HIERONYMI ætate & ante conſcriptum Talmudem nondum fuiſſe inventa. V.) Iudæi in Synagogis ſuis in prælectionibus publicis utuntur codicibus *non punctatis*, eoque manifeſte produnt, codices *punctatos* nullius eſſe auctoritatis. Plura argumenta dabunt, qui *auctoritatem Punctorum* ſcriptis oppugnarunt, quorum catalogum habent PFEIFFERVS in *Critica S.* Cap. IV. ſect. 2. quæſt. 2. WASMVTHVS in *Vindiciis S. Scripturæ Hebr.* P. I. Cap. I. ſect. 3. CARPZOVIVS in *Critica S. V. T.* p. 255. ſeq. LOESCHERVS de *Cauſis ling. Hebr.* L. II. c. 3. & WOLFFIVS in *Biblioth. Hebr.* Vol. II. p. 479. ſeq. & Vol. IV. p. 214. ſeq. quibus addendi ſunt Celeb. I. A. WÆHNERVS in *Antiquit. Hebr.* Vol. I. p. 116. ſeq. SENNERTVS in Diſſert. de *Punctorum Vocalium Hebr. neque cum Litteris neque cum Verbo Dei ſcripto coævitate*, & in Heptade *Exercitationum Philologico-Crit.* p. 19. ſeq. CVNÆVS de *Republica Hebr.* L. I. c. 19. IOH. FRID. COTTA in Diſſ. de *origine Maſoræ Punctorumque V. T. Hebr.* COBIVS in Diſſert. de *mingente ad parietem* p. 4. KOHLHANSIVS in *Exercitationibus Glotticis*, RELANDVS in Præfat. ad Diſſert. de *pronunciatione Nominis Iehova* §. 4. ZELTNERVS in Enneade *Quæſtionum Philolog.* quæſt. 7. & in *Diſſert.* ad 2 Sam. 21, 8. §. ult. Id certum eſt, maximi nominis Theologis & ipſis Reformatoribus, LVTHERO, ZWINGLIO & CALVINO, *Puncta* videri inventum recentius: unde idem ZELTNERVS in Diſſert. ad 2 Sam. 21. l. c. æquum eſſe cenſet, ut omnes Lutherani cum LVTHERO ea in re conſentiant. Cum itaque ab utraque parte argumenta exſtent ſatis idonea, ideo multi iudicium ſuum in re tam

gravi

gravi ſuſpendunt: ut Andr. Masius ad Ioſ. 3, 16. Rivetus in *Iſagoge ad S. S.* c. 8. Chamierus in *Panſtratia Catholica* T. I. Libr. XII. c. 4. Sixtinus Amama de *recta lectione linguæ S.* p. 21. Marckius in *Sylloge Diſſertationum Philol. Theol.* Exercit. III. &c. De *antiquitate Accentuum* infra dicendi erit locus.

§. XXIV.

Puncta ſonum moderantia vel *dominantia* ſunt vel *ſervilia*. *Dominantia* ſunt ipſæ *Vocales:* quarum conſiderabimus 1) *numerum*, 2) *Quantitatem*, 3) *figuram*, 4) *nomina*, & 5) *pronunciationem.* Hebræis decem eſſe *Vocales*, omnes docent Grammatici. In vetuſtioribus tamen ſcriptis Iudæorum non omnes decem illæ *Vocales* memorantur, ſed, obſervante Vossio de *Arte Grammatica* L. I. c. 32. qui ante ſeculum ſextum vel ſeptimum ſcripſerunt, ſolum *Patach* & *Kamez* nominant, nomine Vocalis *Kamez* etiam *Tzeri*, quod alias *Kamez parvum* vocatur, nomine vero Vocalis *Patach* etiam *Segol*, alioquin *Patach parvum* dictum, complexi. Aben Esra, Abrahamus *de* Balmes ſive Balmesius, Elias *Levita* &c. tantum tres Vocales *ſimplices* easque antiquiſſimas ſtatuunt: *Patach, Tzeri* & *Chirek.* Apud veteres Grammaticos Iudaicos *Vocales* ſæpe appellantur מלכים i. e. *Reges*, numero ſeptem: *Kamez, Tzeri, Chirek, Cholem, Schurek, Patach* & *Segol*; ita ut ſub *Kamez* etiam *Kamez chatuph*, ſub *Chirek* utrumque *Chirek*, tam *longum* quam *breve*, & ſub *Schurek* etiam *Kybbuz* comprehendatur. Septem illos *Reges* ſive numerum *Vocalium* ſeptenarium defendit Alhardus *de* Raadt in Commentario de *Punctationis Hebr. natura* L. I. Definit. 1. & 2. multa tamen in contrarium excipit Starckius in *Luce Gram. Hebr.* p. 26. 27. conf. Drusius de *recta le-* [illegible]

ctione linguæ S. c. 2. *Vocales* Hebræorum, numero decem, *Quantitate* vel *longæ* ſunt vel *breves:* qua in re Hebraicam omnes alias linguas ſuperare, obſervavimus in *Introduct. in ling. Græc.* Sect. II. §. 17. *Longæ* ſunt *Kamez*, *Tzeri*, *Chirek longum*, *Cholem* & *Schurek; breves* autem *Patach*, *Segol*, *Chirek breve*, *Kamez chatuph* & *Kybbuz*. Nonnullis tamen Grammaticis quædam Vocales, maxime vero *Patach* & *Segol*, habentur pro *ancipitibus*. Sic LOESCHERVS l. c. p. 316. ſeq. *Chirek* & *Cholem* inter *ancipites* refert, quem etiam quod ad *Cholem* BVCHERVS ſequitur in *Theſauro Orient.* p. 8. & idem iam R. SALOMO in לשון למודים aſſeruit, conf. DRVSIVS l. c. c. 8. HILLERVS *Chirek*, *Schurek* & *Kybbuz* eſſe Vocales *ancipites* docet in *Inſtitut. Gram. Hebr.* c. 2. Quinimo LVD. CAPPELLVS in *Arcano Punctationis revelato* L. I. c. 13. Vocalium *longarum* & *brevium* discrimen inutile Grammaticorum inventum dicit; cui vero ALHARDVS *de* RAADT l. c. & LOESCHERVS p. 303. reſponderunt. Cæterum discrimen illud, iudice RVSCHATO in *Gram. Hebr.* p. 8. petitum eſt ex Muſica, ita ut Vocales *longæ* ſe habeant ad *breves*. quemadmodum e. g. Notæ *Muſicales*  ad . Tribuitur itaque Vocalibus *Quantitas*, ſive, ut Grammaticis quoque vocatur, *Tempus:* quia ad earum pronunciationem quoddam *temporis* ſpatium ſive *mora* requiritur, conf. DANZII *Litterat.* p. 59. Cum itaque Vocalis *longa* inter pronunciandum longius producatur quam *brevis*, hinc quoque maius *temporis* ſpatium ſive longior quædam *mora* in pronunciatione Vocalis *longæ* quam *brevis* conſumitur. Ad discrimen illud accuratius definiendum atque exinde Syllabarum naturam plurimasque *Punctorum* mutationes diſtinctius explicandas, primus IAC. ALTINGIVS Vocalibus *longis duo Tempora* ſive *inte-*

integram Moram, *brevibus* autem *unum Tempus* ſive *dimidiam Moram* aſſignavit: quam hypotheſin deinde DANZIVS paulo aliter adornavit, Vocalibus *longis* tribuendo duas *Moras*, *brevibus* autem *unam*. Incolas quoque Malabariæ Vocales ſuas ad certam quandam menſuram metiri, Vocali *longæ* geminam *mattierei* h. e. *menſuram* ſive *moram* temporis, *brevi* autem ſimplicem aſſignantes, teſtis eſt CHR. THEOD. WALTHERVS in *Relationibus Malabar.* Continuat. XXIX. p. 435.

§. XXV.

Sequitur *figura* Vocalium: quæ fere, ſi ſolum *Patach* excipias, per nudum Punctum, ſed diverſimode poſitum & multiplicatum, exprimitur; quod & in plerisque reliquis Punctorum *figuris* fieri ſolet. Vocalis *brevis Patach* per lineolam transverſam, (-), ſcribitur, *aperturam* oris, unde illa Vocalis nomen accepit, ob oculos ponens. Vocalis itaque longa *a* ſive *Kamez* ſimili lineola exprimitur; quia vero *a* longum eſt, lineolæ illi augmenti quaſi loco ſuperadditur Punctum, hoc modo: (ַ). Quibusdam, ut ABRAH. BALMESIO, ELIÆ *Levitæ*, DRVSIO, VOSSIO, RAVIO, TROSTIO, ALHARDO *de* RAADT &c. Punctum illud idem videtur eſſe cum *Cholem:* quia *Kamez* per *a* obſcurum & quaſi ex *Cholem* & *Patach* ſive ex *oa* mixtum efferatur, unde & *Kamez* cum *Cholem* ſæpius alternet, conf. ALB. SCHVLTENSII *Inſtitut. ling. Hebr.* p. 199. Multa tamen in contrarium excipit DANZIVS in *Litterat.* p. 47. 48. qui (ָ) ex gemino (-), altero ſuo more ſcripto & altero pendulo, conflatum eſſe credit. Eadem *figura* ſcribitur & *Kamez breve* ſive *Chatuph*, quod indicio eſt, utrumqne *Kamez* ſono non multum differre. Diſcrimen autem utriusque ex doctrina de *Syllabis* uberius liquet.

liquet. Quia tamen utriusque diſcrimen tironibus multum negotii faceſſit, diſtinctionis cauſa nonnulli veteriores *Kamez brevi* adiecerunt *Scheva*, hoc modo (ָ ְ): quomodo & in aliquot Bibliorum Hebr. editionibus, e. g. ARIÆ MONTANI, ſcriptum legitur, cum *Scheva* vero *Compoſito*, *Chateph Kamez*, ſic confunditur. Quam confuſionem ab ipſis adeo Grammaticis quibusdam admiſſam merito mireris: ſic enim *Kamez chatuph* & *Chateph Kamez* confuderunt WEIGANMEIERVS in *Inſtitut. Hebr.* p. 4. BELLARMINVS in *Inſtitut. ling. Hebr.* c. 3. KECKERMANNVS in *Gram. Hebr.* p. 33. G. MAYR in *Inſtitut. ling. Hebr.* p. 6. LOESCHERVS de *Cauſis ling. Hebr.* L. II. c. 4. §. 15. FABRICIVS CAPITO in *Inſtitut. Hebr.* L. I. c. 3. & 4. G. PRÆTORIVS in *Gram. Hebr.* p. 7. &c. Vitioſam vero illam Vocalis *Kamez chatuph* ſcriptionem recte explodunt PFEIFFERVS in *Introduct. in Orient.* p. 74. BVXTORFFIVS in *Theſauro Gram.* p. 23. PISTORIVS in *Enchiridio linguæ S.* L. I. c. 2. §. 32. ſeq. DRVSIVS de *recta lectione linguæ S.* c. 14. RAVIVS in *Delineatione Orthographiæ & Analogiæ Hebr.* p. 39. SIXT. AMAMA de *recta lectione linguæ S.* c. 4. & 9. & IAC. WELLERVS in *Specilegio* I. *Quæſtionum Hebræo-Syr.* quæſt. 5. Attamen BVXTORFFIVS l. c. p. 43. duo exempla profert, ubi *Kamez chatuph* revera ut *Chateph Kamez* ſcriptum legitur & ab ipſa quoque Maſora Parva ſic notatur, ſcil. יִפְרֳץ־ Exod. 19, 24. & שֳׁלָשׁ־ c. 21, 11. quomodo & in BVXTORFFII Bibliis punctata leguntur, cum nota Maſoræ Parvæ לֳ, i. e. *non eſt alias cum* (ֳ); cum contra aliæ editiones nudum (ָ) l. c. habeant. Diſpiciendum ergo eſſet, num Maſora apud BVXTORFFIVM recte ſe habeat? & an non (ֳ) illud, utpote omni analogiæ contrarium, ſit aſſumentum quoddam?

§. XXVI.

Reliquæ Vocales, uti dictum, nudo puncto, diverſimode poſito & multiplicato, exprimuntur. Longum enim *e*, *Tzeri*, duobus punctis iuxta ſe poſitis ſcribitur, hoc modo: (‥). Ex gemino *Chirek* compoſitum putat DRVSIVS l. c. c. 6. Brevi *e*, *Segol*, diſcriminis cauſa præter duo puncta ſubiicitur punctum tertium, (∵). Vocalis *i* exprimitur uno puncto, Conſonanti ſubſcribendo. Quod ſi itaque Conſonantem illam ſequatur *Iod* Quieſcens, tum ipſum hoc *Iod* punctum illud præcedens producit, cumque eo quaſi coaleſcens, *i* longum ſive *Chirek longum* conſtituit. Fieri tamen poteſt, ut *Iod* iſtud Quieſcens deficiat, neque tamen præcedens *Chirek breve* ſit, ſed *longum*, defectivè ſic ſcriptum, atque ex analogia dignoſcendum: qua de re Grammatici conſulendi ſunt; vid. e. g. ALTINGIVS in *Fundamentis Punctat. Hebr.* Sect. II. §. 10. & DANZIVS in *Litterat.* §. 7. Sic e. g. *Chirek* poſterius in תַּנִּינִם Gen. 1, 21. *longum* ſit oportet, licet *Iod* Quieſcens deficiat: quia terminatio Nominum plur. in *im* alioquin *Chirek longo* ſcribi ſolet. Longum *o*, *Cholem* dictum, pariter unico puncto deſignatur, ſuperne inter duas Conſonantes collocando, ut בֹּא; non vero Conſonantibus ſubiiciendo, ne cum *Chirek* confundatur. Ut plurimum pro fulcro habet *Vav* Quieſcens, e. g. בּוֹא, & defective ſcriptum tunc putatur, quoties *Vav* illud abeſt: qua de re plura tradunt Grammatici. De *figura o* brevis ſive *Kamez chatuph* dictum eſt præced. §. Denique & Vocalis longa *u* ſive *Schurek* unico puncto exprimitur; neque tamen ſupra aut infra Conſonantes ponendo, ſed medio *Vav* Quieſcentis, tanquam fulcri, inſcribendo, ut אוּר. Aliquoties quidem *Iod* Quieſcenti inſcriptum legitur, ut שֻׁפִּי Iob. 33, 21. ſed ſic *Lectionem Variantem* ex *Kri* marginali inſinuat, qua de

de re infra ſuo loco dicetur. Sunt, quibus eiusmodi *Iod* habetur pro *Vav* decurtato, ſed merito ridentur a DANZIO l. c. p. 116. Contra vero *u* breve ſive *u*, *Kybbuz* dictum, per tria puncta oblique poſita ſic indicatur, (ֻ): cuius ſcriptionis cauſam Cl. C. G. HASE in *Gram. Hebr.* p. 22. in eo quærit, quod ſonus Vocalis illius quaſi mixtus ſit ex tribus Vocalibus, *Cholem*, *Schurek* & *Chirek*.

§. XXVII.

Nomina Vocalium vulgo a Grammaticis ſic punctantur, ut ſingulorum Vocalis prior ipſa illa ſit, quam *figura* denotat; invita tamen *Formarum* Hebraicarum analogia. Sunt autem *nomina* illa deſumta partim a *pronunciatione*, partim a *figura* Vocalium. *Kamez*, Hebr. קָמֵץ, quaſi in pauſa dicitur pro קֶמֶץ, i. e. *collectio* ſive *contractio*, ſcil. oris vel labiorum: quia in pronunciatione *a* obſcuri os *contrahi* ſolet; vel quia eius figura ex *Patach* gemino vel ex *Patach* & *Cholem contracta* eſt. Huic oppoſitum eſt *Tzeri*, Hebr. צֵרֵי ſimiliter in pauſa, (ad *Formam* חֲצִי) pro צֶרִי, i. e. *ruptio*, *diremtio*, a *Rad.* Chald. Syr. & Arab. צרא *radit*, *ſcidit*, *ſeparavit*, *diremit*: quia eius figura *ruptam* quaſi lineolam exhibet; vel quia in pronunciando *Tzeri* os *diſtrahitur* & *diducitur*. *Chirek*, Hebr. חִירֶק, (ut vulgo punctatur,) i. e. *ſtridor dentium*: effertur enim cum *ſtridore* quodam per dentes emiſſo. Secundum analogiam vero Hebr. legendum eſſet חֵירֶק, ad *Formam* חֵרֶשׁ. *Iod* enim nuda eſt *Mater Lectionis*. *Cholem*, Hebr. חוֹלֶם, h. e. *integritas*: quia pronunciatur ore pleno & *integro*, unde Grammaticis veteribus vocatur מְלוֹא פּוּם *plenitudo oris*, oppoſite ad *Scharek*, quod dicunt קִבּוּץ [illegible] *contractionem oris*. *Schurek*, Hebr. שׁוּרֶק,

ſibilus: quia ſi ore ſubobſcure *ſibiletur*, revera ſonus *u* auditur. Iuxta analogiam Hebr. punctandum eſſet שׁוֹרֶק, ad *Formam* קוֹדֶשׁ, vel שׁוּרַק, ad *Formam* סוּגַּר. Fallum itaque eſt aſſertum KECKERMANNI in *Gram. Hebr.* p. 25. *nomina* trium Vocalium *Chirek*, *Cholem* & *Schurek*, nihil ſignificare, ſed mere eſſe *technica*. *Patach*, vulgo Hebr. פַּתָּח, rectius ſecundum analogiam Hebr. פֶּתַח, (in pauſa פָּתַח,) vel פַּתַּח, i. e. *apertio*, oris ſcil. qua Vocalis illa profertur. *Segol* Hebr. ſcribunt סֶגּוֹל, pro analogo סְגוֹל, Chald. *uva*, quam eius figura quodantenus refert. *Kamez chatuph*, i. e. *raptum* ſive *correptum*, ſic dicitur a חטף *rapuit*. *Kybbuz*, Hebr. קִבּוּץ, pro regulari Forma קִבּוּץ, *collectio*, *contractio*, *conſtrictio:* quia ore *contracto* pronunciatur. Præter *nomina* illa Vocalium Hebraicarum apud Iudæos etiam alia quædam occurrunt, quibus easdem ſubinde appellant: e. g. *Kamez* etiam dicitur *Kamez magnum* & *latum*, ut contra *Tzeri* etiam *Kamez parvum* & ſimpliciter *Kamez; Patach* vocatur quoque *Patach magnum* ſive *latum*, ut contra *Segol Patach parvum; Kamez chatuph* etiam dicitur *Kamez chateph*, *Kybbuz* autem *Schurek parvum* ſive *Tria Puncta* ſive *Kibbuz Sephathajim*, h. e. *contractio labiorum*; & denique *Chirek breve Schebber*, h. e. *fractio*, ſcil. *ſoni*. Conf. ALHARDI *de* RAADT *Commentar.* de *Punctationis Hebr. natura* L. I. & I. H. MICHAELIS *Gram. Hebr.* p. 19. Decem illæ Vocales ſic pronunciantur: *Kamez* ut *a* obſcurum & quaſi ex *oa* mixtum, *Tzeri* ut *e* longum, *Chirek longum* ut *i longum*, *Cholem* ut *o* longum, *Schurek* inſtar *u*, *Patach* ut *a* clarum, *Segol* ut *e* breve, vel ut nonnulli volunt, inſtar *æ*, *Chirek breve* ut *i* breve, *Kamez chatuph* ut *o* breve, & denique *Kybbuz* ut *y* ſive *u* Gallicum. De pronunciatione illa pluribus agunt, quotquot de lectione linguæ Hebr. ſcripſerunt, ſupra §. 12. laudati.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Alteram *Punctorum ſonum moderantium* ſpeciem conſtituunt *Puncta Servilia*, eaque vel *Notæ abſentium Vocalium* vel *Affectiones Conſonantium*. *Notæ abſentium Vocalium* ſunt *Scheva* eiusque *vicaria*, quo nomine vocantur tria *Schevaim Compoſita* & *Patach* ſic dictum *furtivum*. Dicuntur autem *Notæ abſentium Vocalium*, quia tum demum adhibentur, quando Vocales abſunt. Quidam veterum Grammaticorum etiam *Scheva* éiusque *vicaria* Vocalibus annumerant atque *Vocales breviſſimas* vocant: quod tamen cum doctrina de *Syllabis* conſiſtere nequit; conf. PFEIFFERI *Introduct. in Orient.* p. 75. Circa *Scheva Simplex* conſideranda ſunt 1) *nomen*, 2) *figura* & 3) *pronunciatio* eius. *Scheva* Hebraice ſcribitur vel שְׁוָא vel שְׁבָא. Priorem ſcriptionem conferunt cum שָׁוְא *inanitas*, *nihilum*: quia *Scheva* revera *nihil* eſt nudamque veri Puncti abſentiam notat. Alii ſic dictum volunt a שוה *æquatus eſt*, vel quia conſtat duobus punctis *æqualiter* & *perpendiculariter* poſitis, vel quia eius pronunciatio interdum ad ſequentis Vocalis ſonum *æquatur* & accommodatur, conf. ſeq. Sect. §. 8. Alteram ſcriptionem שְׁבָא nonnulli referunt ad שבה *captivum tenuit* ſive *vinxit*, q. d. *vinculum*: eſt enim *Scheva* revera nudum *vinculum* Conſonantium, quo mediante in unam Syllabam connectuntur. Habet idem & alia nomina vel potius cognomina. Sic enim vocatur עֶבֶד *ſervus*, & עֶבֶד עֲבָדִים *ſervus ſervorum*, ut contra Vocales מְלָכִים *Reges*, conf. ſupra §. 24. Quia itaque nomen *ſervi ſervorum* ipſe ille titulus eſt, quem Pontifex Romanus affectat, hinc SCHERZERVS *Scheva* dixit *Papam Grammaticum*. KECKERMANNVS p. 28. idem vocat Vocalium veredarium, **Poſtreuter**. *Scheva* illud ſcribitur, ut modo dictum, duobus punctis perpendiculari-

cularibus, (ְ). In fine tamen vocum ſive ſub Conſonante finali mobili non exprimitur, exceptis quibusdam caſibus. Exprimitur autem I) in Caph *finali* hoc modo: ךְ; cuius rationem quidam volunt eſſe, ut Caph illud diſtinctius dignoſcatur a Nun *finali*, ן; vel ut Erpenio in *Gram. Hebr. Generali* p. 11. & C. Nevmanno in *Clave domus Heber* P. III. p. 67. videtur, ornatus gratia: quia figura ך finalis ad recipiendum Scheva quaſi comparata videtur; rectius vero, ut docent Doctiſſ. G. S. Nicolai in *Annotat.* ad *Grammaticam Danzianam* p. 34. & Cl. C. G. Hase in *Gram. Hebr.* p. 26. ne confundatur cum ר, maxime quia duæ illæ litteræ, ר & ך, in codicibus mſcr. non multum differunt. Teſtatur autem Dav. Kimchivs in *Michlol* c. 1. & ex eo Isaacvs in *Gram. Hebr.* p. 11. (ְ) antiquitus non niſi ךְ Affixo fœmin. fuiſſe inſcriptum, ne cum Affixo maſc. ךָ confunderetur. II) *Scheva* in littera finali exprimitur, præcedente alio (ְ) vel (ַ) *furtivo*: cuius cauſam eſſe credunt, ne quis putet, quia Conſonans penultima iam habeat (ְ), ultimæ ſubiiciendam eſſe Vocalem, forſitan prætermiſſam; vel potius, quia eiusmodi (ְ) finale poſt aliud (ְ) proprie *Mobile* eſt & ſaltem per accidens *Quieſcens* ſive *Mutum* evaſit: unde quidam (ְ) finale poſt aliud (ְ) ad vocem ſequentem referunt, conf. Sect. ſeq. §. 8. Aliam cauſam affert Nevmannvs l. c. ne ſcil. litterarum ultimarum, a Vocali, de qua participant, nimis remotarum, fiat oblivio. *Nun* tamen finale hoc caſu excipitur, partim quia *Scheva* exprimendo minus accommodatum eſt, partim ut a Caph finali magis diſtinguatur. III.) *Scheva* in fine vocum aliquot ſpecialium exprimitur, ut 2 Sam. 14, 2. 3. 1 Reg. 17, 13. addunt quidam Gen. 3, 13. Ier. 3, 4. Ezech. 23, 40. quæ tamen in editionibus noſtris vulgo aliter leguntur, vid. Maſora Parva ad Gen. 3, 13. Ex ſpecialibus exem-

exemplis illis HILLERVS in *Inſtitut. ling. S.* p. 53. hanc Regulam format: *Thau poſt* א *aut* י *ſilentes* (ſive quieſcentes) *accipit Scheva;* quæ tamen omnino fallit. Cur vero alibi *Scheva* ſub litteris finalibus omittatur, hanc afferunt cauſam, quia per ſe conſtet, litteram vocis ultimam cum præcedentibus eſſe connectendam, ut adeo *Scheva* ſic ſupervacaneum foret. Eſt enim, ut NEVMANNVS l. c. p. 58. & 67. obſervat, *Scheva* litterarum, propriis Vocalibus deſtitutarum, quaſi *cuſtos*, eas vel cum præcedentibus vel cum ſequentibus, Vocali propria notatis, connectendas eſſe indicans. Conf. PFEIFFERI *Methodus Hebr.* p. 10. Pronunciatio τȣ (ְ) optime ex diverſis ipſius ſpeciebus cognoſcitur, de quibus Sect. ſeq. §. 8.

§. XXIX.

Schevaim Compoſita ſunt Puncta, ex Vocali brevi & *Scheva Simplici* conflata. Proprie autem in gratiam Litterarum *Gutturalium* inventa ſunt, quæ maiori oris apertione efferendæ, pluſculum temporis, quam aliæ Conſonantes, requirunt, ita ut in coniungendis illis cum aliis Conſonantibus ſonus quidam intermedius, Vocali fere ſubſimilis, percipiatur. Hinc *Schevaim* illa ex Vocali conſtant & ex *Scheva Simplici:* Vocalis quidem ſubindicat, quo ſono intermedio eiusmodi Littera *Gutturalis* pronuncianda ſit; *Scheva* autem, ſonum illum non eſſe veram Vocalem, inſinuat. Vocales breves, huc apprime commodæ, ſunt *Patach*, *Segol* & *Kamez chatuph;* reliquæ autem Vocales breves neque figura neque pronunciatione compoſitioni illi conveniunt, atque etiam commode ſub tribus illis Vocalibus comprehenſæ eſſe poſſunt, quandoquidem *Chirek* cum *Segol*, & *Kybbuz* cum *Kamez chatuph* multum habent cognationis, conf. DANZII *Litterat.* p. 102. & STARCKII *Lux Gram. Hebr.* p. 38. Ex *Patach* itaque, *Segol* & *Kamez chatuph* tria exoriuntur *Schevaim Compoſita:*

poſita: חֲטַף פַּתַח *correptio* τῦ *Patach* ſive *correptum Patach*, חֲטַף סְגוֹל *correptio* τῦ *Segol* ſive *correptum Segol*, & חֲטַף קָמֶץ *correptio* τῦ *Kamez* ſive *correptum Kamez:* e quibus (ֲ) per *a* breviſſimum, (ֱ) per *e* breviſſimum, (ֳ) autem per *o* ſimiliter breviſſimum efferuntur: ut adeo ſingula oris *aperturam*, gradu ſaltem differentem, notent.

§. XXX.

Notis abſentium Vocalium annumerandum quoque eſt *Patach* ſic dictum גְּנוּבָה i. e. *furtivum*. HERMANNVS HARDTIVS in *Fundamentis ling. Hebr.* p. 30. illud deſcribit ut *ſignum adſpirationis claræ*, Litterarum ſcil. *Gutturalium*, quarum cauſa *Patach* illud non minus, ac *Schevaim Compoſita*, adinventum eſt. HIERONYMVS & Grammatici nonnulli recentiores, ut PISTORIVS, GVALTPERIVS &c. ſæpe id cum *Patach Vocali* confuderunt; immo HILLERVS in *Inſtitut. ling. S.* p. 41. MEINERVS in *Gram. Hebr.* p. 107. & RAVIVS in *Delineat. Orthographiæ & Analogiæ Hebr.* p. 41. *Patach furtivum* a *Vocali* non diſtinguunt, eo quod actu pronuncietur, cum contra *Scheva* in fine vocum mutum ſit; & quod in Accentuatione ſpectetur ut vera Vocalis, ubi e. g. רוּחַ habetur pro diſſyllabo. Sed vid. SIXT. AMAMA de *recta lectione linguæ S.* p. 42. Singularis eſt ſententia ALBARDI *de* RAADT de *Punctationis Hebr. natura* L. I. Definit. 13. RAVII l. c. p. 7. 10. 41. MEINERI p. 106. STARCKII in *Luce Gram. Hebr.* p. 43. & Celeb. WÆHNERI in *Gram. Hebr.* p. 25. itemque in Præfat. *Patach furtivum* partem eſſe *Scheva Compoſiti* (ֲ) eiusdemque uſus cum illo, cuius ſolum (ְ) omiſſum ſit, in fine quippe vocum non exprimi ſolitum: ideoque iure meritoque dici *furtivum*, quia

(:)

(:) quaſi *furtim ſurripiatur.* Alioquin vulgo *furtivum* dictum putatur, quod quidem inſtar Vocalis *Patach* pronuncietur; ſed tamen *furtim* quaſi, ita ut *a* non ſatis percipiatur: quale *a* Helvetii noſtri plerisque Vocalibus adiiciunt, dicentes e. g. Liacht pro Licht, ſic tamen ut *a* vix audiatur. Plura de *Notis illis abſentium Vocalium* Sect. ſeq. recurrent.

§. XXXI.

Affectiones Conſonantium pariter per nudum Punctum exprimuntur, ſuntque Punctum *Diacriticum* litteræ ש, *Dageſch* ſive *Dages* & *Mappik.* Ad Punctum *Diacriticum* quod attinet, iam ex ſuperioribus conſtat, ש duplicis eſſe pronunciationis, nunc efferendum per ſimplex *S*, ſicque *Sin* appellari, nunc per *Sch*, eoque caſu *Schin* vocari. Diverſa illa lectio Puncto diſtingui ſolet, quod inſcriptum dextro illius litteræ cornu, hanc *Schin* dici, cornu vero eius ſiniſtro impoſitum, *Sin* eſſe indicat. Hic tamen obſervandum eſt, quoties Punctum illud *Diacriticum* cum *Cholem* concurrit, toties per ſcribendi compendium unicum punctum utriusque, & Puncti *Diacritici* & τȣ̃ *Cholem*, vicem ſuſtinere. Cornu quidem dextro litteræ *Schin* inſcriptum, Vocalem *Cholem* connotat, quoties præcedens Conſonans aliam Vocalem aut *Notam abſentis Vocalis* non habet, ut in חֹשֶׁךְ; impoſitum vero cornu ſiniſtro, ſimul pro *Cholem* ſtare intelligitur, ſi ipſummet *Schin* alia Vocali aut *Nota abſentis Vocalis* deſtituatur, ut in שֹׂרֶק. *Dageſch*, Hebr. דָּגֵשׁ (quaſi in pauſa pro דָּגֶשׁ) nomen habet a *Rad.* Syr. דגש *pupugit*, adeoque nihil aliud notat quam *Punctum*, quod medio litterarum inſcribitur: unde EPIPHANIO ϛίγμα καὶ κέντημα dicitur. Eſt autem vel *Forte* vel *Lene*. *Dageſch Forte* nudum eſt ſcribendi compen-

 dium

dium, adeoque cum *ſicilico* Latinorum convenit ſive cum linea, quæ Conſonantibus geminandis imponitur, ut in *an̄us* pro *annus*, *ſum̄us* pro *ſummus*. Nam & *Dageſch Forte* medio litterarum geminandarum inſcribitur, ut צִלּוֹ Cant. 2, 3. quod tantundem valet ac צִלְלוֹ Iob. 40, 22. Quoties incidit in Litteras *Adſpiratas*, בגדכפת, toties ſimul earum adſpirationem tollit, ut טַפִּים *tappim*, non *taphphim*. Id ipſum vero alioquin munus eſt *Dageſch Lenis*, cuius quippe eſt, auferre adſpirationem dictarum litterarum בגדכפת. In antiquiſſimis libris *Iezira* & *Zohar* litteris illis leniter *dageſſabilibus* etiam ר accenſetur, recentiores vero Grammatici recte τὸ ר ex earum numero exemerunt, conf. DANZII *Litterat*. p. 29. Nec enim ר eiusmodi *Dageſch Lene* opus habet, ſiquidem, obſervante HILLERO in *Inſtitut. ling. S.* p. 63. per ſe ab initio vocum *aſpere*, in fine autem *leniter* pronunciatur, ceu videre eſt ex lingua Græca, ubi littera ρ ab initio Syllabæ *Spiritu Aſpero*, in fine autem Syllabæ, ſequente alio ρ, *Spiritu Leni* notari ſolet. Sunt, quibus *Dageſch Lene* ſpurium quid & inventum recentius eſſe videtur, ut LUD. CAPPELLO in *Arcano Punctationis revelato*, & in *Critica S.* RAVIO l. c. p. 5. 11. 17. 41. VOSSIO de *Arte Grammatica* L. I. c. 27. GENEBRARDO in *Iſagoge Rabbinica* &c. quia litteræ בּ, גּ & דּ a LXX Interpretibus & HIERONYMO ſemper ut *leniter dageſſatæ* efferantur, contra vero כּ ſemper ut *adſpirata*. Ad litteras vero בּ, גּ & דּ quod attinet, earum diſcrimen Græci exprimere neſciunt, peculiari nota, qua id fieri poſſit, omnino deſtituti, כּ autem ab iisdem ſæpiſſime per κ adeoque ut *leniter dageſſatum* pronunciatur, e. g. in Κῦρος, Καρμήλιον, Κιττιεῖς &c. Magis vero dubium movere poſſet פּ: 1) quia in lingua Arabica ſemper adſpiratur; 2) quia veteres

discri-

Digitized by Google

diſcrimen inter פ *adſpiratum* & *non adſpiratum* non obſervarunt, cuius rei exempla dedit DANZIVS in *Litterat.* p. 29. 3) HIERONYMVS diſerte ſcribit, linguam Hebr. non habere *p*. Conf. DRVSIVS in *Alphabeto Hebr.* p. 19. BVXTORFFIVS de *antiquitate Punctorum Hebr.* p. 223. ſeq. & SCHVLTENS in *Inſtitut. ling. Hebr.* p. 77. Vnde RAVIVS l. c. פ Hebr. ſemper ut *ph* ſive *f* pronunciandum præcipit. Falli autem HIERONYMVM, LOESCHERVS de *Cauſis ling. Hebr.* L. II. c. 1. §. 44. probat exemplo פֶּסַח, quod veteres ſemper per *p*, nunquam per *ph* pronunciarunt. Singularis eſt ſententia HILLERI l. c. p. 59. ſeq. *Dageſch Lene* non tollere *adſpirationem*, ſed litteras בגדכפת durius efferendas indicare: ב ut *p*, ג fere ut *c*, ד fere ut *t* &c. Et tamen idem p. 7. docet, כ tantundem valere ac Græcorum χ. De utroque *Dageſch* plura tradet Sectio ſeq.

§. XXXII.

Punctum *Mappik*, Hebr. מַפִּיק i. e. *producens*, *protrudens*, (a נָפַק *prodiit*,) medio litteræ ה inſcribitur, quoties ea non quieſcere, ſed pronunciari & quaſi *protrudi* debet, e. g. ut *h* Latinorum in *ah*, *vah*. Antiquitus *Mappik* litteræ ה non inſcribi, ſed ſubſcribi conſueviſſe, teſtantur ERPENIVS in *Gram. Hebr. General.* p. 16. SCHINDLERVS in *Gram. Hebr.* p. 21. BELLARMINVS in *Inſtitut. ling. S.* p. 28. &c. fere ut apud Græcos *Iota ſubſcriptum*: cuius rei quædam exempla hodienum ſupereſſe in Codice S. Hebr. ut יִצְרָה Ieſ. 45, 18. obſervat SCHINDLERVS; quæ tamen in editionibus noſtris non comparent, conf. PISTORII *Enchiridion linguæ S.* L. I. c. 4. §. 22. Omnino ſubſcribendum eſſe *Mappik*, non inſcribendum, contendit quoque RAVIVS l. c. p. 18. Sunt præterea, qui *Mappik* etiam litteræ *Iod*, ad indicandum eius motum, in-

inſcribi docent, e. g. in כְּקִיִּם, ut Gvaltperivs in *Gram. Hebr.* p. 10. Mercervs ad Clenardvm p. 16. Weiganmeiervs in *Inſtitut. ling. Hebr.* p. 6. Bellarminvs l. c. p. 29. Corn. Bertramvs in *Gram. Harmon.* p. 5. aliique apud Pfeifffervm in *Introduct. in Orient.* Diſſ. III. quæſt. 17. quod tamen Punctum aliis potius eſt *Dageſch Forte*, conf. Danzivs l. c. p. 118. & Starckivs in *Luce Gram. Hebr.* p. 60. ſeq. Pfeiffervs l. c. rem ſic decidi poſſe iudicat, ut Punctum illud pariter pro *Dageſch Forti* & pro *Mappik* habeatur; quemadmodum Punctum *Diacriticum* litteræ ש interdum ſimul quoque *Cholem* notat. Denique Mercervs l. c. Conr. Neander in *Elementali Hebr.* &c. etiam litteræ *Vau Mappik* tribuunt; quod multo minus ferendum. Vterque error exinde ſubnatus eſt, quod Hebræi litteras ו & י mobiles in fine vocum *Mappikim* dicere ſolent.

§. XXXIII.

Vtriusque, tam *Dageſch Lenis*, quam Puncti *Mappik*, poteſtas tollitur per lineam quandam, quæ רָפֶה *remiſſio*, *lenitas*, (quaſi in pauſa pro רֶפֶה,) vel רָפֶה *lenis*, (ſcil. littera,) dicitur, & imponi ſolet tum litteris בגדכפת, quoties adſpirationem retinent, tum litteræ ה, quoties ea ex analogia *Mappikata* quidem ſive mobilis eſſe debebat, ſed tamen quieſcit. Ut adeo linea illa *Raphe* conveniat cum *Ruchoch* Syrorum. In codicibus mſcr. eadem frequentius occurrit, in ſcriptura Iudæo-Germanica frequentiſſime. In Codice vero S. Hebr. nullius plane uſus eſt & omitti a recentioribus ſolet, partim ne cum Accentibus confundatur, conf. Loeschervs l. c. L. II. c. 4. §. 21. partim quia neceſſaria non eſt, cum ex abſentia *Dageſch Lenis* & Puncti *Mappik*, litteras בגדכפת adſpiratas eſſe, ה vero quieſcere, ſatis intelligatur.

ligatur. Superſunt tamen quædam eius exempla in Textu S. maxime in Decalogo, ut Exod. 9, 18. c. 20, 9. 13. Num. 15, 28. c. 32, 42. Deut. 5, 17. 1 Sam. 20, 20. Zach. 4, 7. Iob. 31, 22. c. 39, 13. Quod vero in Decalogo litteræ *raphatæ* ſimul quoque ſunt *leniter dageſſatæ*, (quod ἀσύςατον videtur,) id unice a gemina Decalogi Accentuatione dependet. *Raphe* autem etiam abſentiam *Dageſch Fortis* indicare, ut Cl. MEINERVS in *Gram. Hebr.* p. 151. docet, ex unico exemplo Iud. 16, 16. non ſatis tuto probatur, maxime quia editiones, quotquot evolvimus, *Raphe* l. c. non exhibent. Tantum de *Punctis ſonum moderantibus.*

§. XXXIV.

Circa *Puncta tonum regentia* ſive *Accentus* conſideranda veniunt eorum 1) *antiquitas* & *auctoritas*, 2) *figura*, 3) *nomina*, 4) varia *diviſio*, 5) *munus* ſive *officium*, 6) *uſus* & cognitionis Accentuationis Hebr. *neceſſitas*, 7) Accentuationis Hebr. *difficultates*, 8) *duplex* quarundam pericoparum Biblicarum *Accentuatio*, 9) Accentuationis Hebr. *ſubſidia*, & 10) Accentuum *privatio* ſive *ſublatio* per lineam ſic dictam *Makkaph*. *Antiquitatem* & *auctoritatem Accentuum Hebr.* quod concernit, de ea æque ac de *antiquitate* Punctorum *Vocalium* disceptatur, & quibus argumentis *antiquitas Vocalium* probatur, eadem quoque maximam partem de *Accentibus* valent. Illis ſequentia ſuperaddi ſolent: 1) Absque *Accentibus* Textus V. T. Hebr. obſcurus, incertus & ambiguus foret. 2) Nonnulli *Accentus* cauſæ ſunt mutationis Vocalium: ergo Vocalibus ſunt coævi. 3) In ipſo Talmude & Maſora mentio fit *Accentuum* tanquam ſignorum antiquiſſimorum, ut uterque BVXTORFFIVS, pater quidem in *Tiberiade* p. 69. ſeq. filius autem in Tract. de *Punctorum antiquitate* p. 313. ſeq. oſtendit. 4) Accentuatio a Iudæis recentioribus, veri S. S. ſenſus parum gnaris

gnaris, excogitari non potuit. Et quæ ſunt alia. Contra autem alii obiiciunt: 1) multa loca N. T. ex V. T. citata aliter diſtingui, ac *Accentus* Hebr. requirunt. 2) Omnes reliquas orientis gentes *Accentibus* deſtitui. 3) *Accentuum* copiam nimiam & ſuperfluam omnino prodere, eosdem eſſe Inventum recens nimisque artificioſum. 4) In *Ketibh* & *Kri* Textus Hebr. mentionem *Accentuum* non fieri. 5) Si veteres Hebræi in diſtinguendo, tot tamque variis ſignis adhibitis, adeo curioſi fuiſſent, certe *Parentheſes*, ſigna *interrogandi* & *exclamandi* &c. non omiſiſſent. 6) Nomina *Accentuum*, origine quippe *Chaldaica*, haud obſcure indicare, eos tum temporis fuiſſe inventos, cum lingua Chaldaica vel Syro-Chaldaica Iudæis eſſet vernacula, conf. Sect. I. §. 20. Ut alia argumenta prætermittamus. Scripta in utramque partem videas apud Wolffium in *Biblioth. Hebr.* Vol. II. p. 492. ſeq. & Vol. IV. p. 218. ſeq. quibus addi poſſunt Zeltneri Enneas *Quæſtionum Philol.* quæſt. 8. Davidis Clerici Quæſt. S. VIII. Sennerti Heptas *Exercitationum Critico-Philolog.* p. 29. ſeq. Celeb. I. D. Michaelis *Accentuatio Hebr.* p. 59. ſeq. P. S. Kæmpfferi Diſſert. de *Litteris*, *Vocalibus & Accentibus Hebr.* &c. Quidam Punctorum quidem *Vocalium antiquitatem* admittunt, *Accentus* vero pro invento recentiori habent, ut Danzius l. c. p. 58. H. G. Reime in Præfat. ad *Compendium doctrinæ Accent.* Alb. Schultens in *Inſtitut. ling. Hebr.* p. 88. &c.

§. XXXV.

Circa *Accentuum figuram* in genere obſervandum eſt, nonnullos ob *figuræ* affinitatem facile poſſe confundi, ſollicite adeo ab invicem diſtinguendos. Sic ergo 1) Accentus *Kadma* a *Paſchta* bene diſcernendus eſt, quorum ille ſemper initio vel medio vocis, ubi tonus figitur, hic vero, utpote Accentus *Poſtpoſitivus*, ultimis litte-

litteris, ubicunque tonus ſit, imponitur. 2) *Ietbibb* a *Mahpach*: *Ietbibb* enim, tanquam Accentus *Præpoſitivus*, ſemper ponitur ante primam vocis Vocalem, *Mahpach* vero poſt Vocalem tono affectam, ſive hæc ſit ultima ſive penultima. 3) *Rebbia* a Vocali *Cholem* defective ſcripta: *Rebbia* enim ſemper medio litterarum ſuperimponitur & figuræ quantitate Vocalem *Cholem* excedit, quæ ſuperne inter duas litteras interponi ſolet. 4) *Silluk* ab Accentu *Euphonico*, *Metheg* dicto: *Silluk* enim ultimæ verſiculi voci ſubiicitur, ſequentibus duobus punctis, *Soph Paſuk*, i. e. *finis verſus*, dictis vocique illi ad latus ſiniſtrum adiectis. *Nomina Accentuum* Hebr. partim a *ſitu* & *figura*, partim ab *uſu* eorum petita &, ſi non omnia, tamen maximam partem origine ſunt *Chaldaica*. Explicationem eorum, ſed diverſa ratione, dederunt LOESCHERVS de *Cauſis ling. Hebr.* p. 345. ſeq. BVXTORFFIVS in *Theſauro Gram. Hebr.* L. I. c. 5. WASMVTHVS in *Hebraismo reſtituto* c. 1. ſect. 6. HILLIGER in *Summario Accent.* p. 158. ſeq. HILLERVS in *Inſtitut. ling. S.* c. 4. IOH. HEIMRICHIVS in Diſſert. de *Accentuum Hebr. figuris & nominibus*, &c. *Accentus* Hebræis in genere vocantur טְעָמִים, a טַעַם *ratio*, *ſenſus*: quia *ſenſum* orationis indicant; ut & נְגִינוֹת *modulationes*: quia Iudæi in prælectione Textus Hebr. publica voces iuxta *Accentus* quaſi *modulari* ſolent. *Nomina* vero eorundem *ſpecialia* una cum *Figuris* ordine iam perluſtrabimus proque ſententia noſtra, adhibitis *Formarum* ſignificatibus, exponemus.

§. XXXVI.

Silluk, ׽, סִלּוּק i. e. *finitio* ſive *finis*, ſcil. verſiculi, a *Rad.* Chald. סלק *finitus eſt*. *Athnach*, ֑, אַתְנָח *reſpiratio*, *quies*, ex Coniug. *Ithpehel* Verbi נוח *quieſcere*. *Segolta* ֒, סְגוֹלְתָּא, Chald. idem eſt

cum

cum סֶגוֹל: refert enim *Segol* inverſum. *Sakeph*, זָקֵף, (quaſi in pauſa pro זְקֵף,) i. e. *erectio*, ſcil. duorum punctorum, ſive *erectus*, a *Rad.* Hebr. זקף *erexit.* Ille duplex eſt, *Sakeph katon* ſive *minor*, ◌֔, & *Sakeph gadol* ſive *maior*, ◌֕, qui duobus illis punctis lineam *erectam* ſuperaddit ideoque *maior* dicitur. Alii *Sakeph* dictum volunt a vocis *elatione*. *Tiphcha*, ◌֖, טִפְחָא Chald. idem ſignificat cum Hebr. טֶפַח *palma*, quam eius figura quodammodo refert. *Rebbia*, ◌֗, רְבִיעַ, i. e. *cubans*, *incubans*, a *Rad.* Chald. רבע *cubuit:* quia medio litteræ *incumbit;* vel nomen accepit ex ſignificatione *Radicis* Hebr. *quadratus fuit:* quia proprie punctum *quadratum* exhibet, (ut *Cholem rotundum*,) & ſic quoque in nonnullis Bibliorum editionibus, e. g. Hutteri, exprimitur. *Sarka*, ◌֮, זַרְקָא, *ſparſio*, i. e. *inflexio*, *circumflexio*, ſive *ſparſus*, *inflexus*, a *Rad.* זרק *ſparſit*, Arab. *inverſus fuit*, *retroceſſit*, ob formam *reflexam*, qua Accentum Græcorum *Circumflexum* refert. *Paſchta*, ◌֙, פַּשְׁטָא, *extenſio* ſive *extenſus:* quia figuram habet manus *extenſæ;* ſecundum alios autem a ſono *extenſo* & *protracto*. *Thebhir*, ◌֛, תְּבִיר i. e. *fractus:* quia conſtat puncto & circulo *fracto* ſive dimidio; aliis a ſono *fracto*. *Schalſcheleth*, ◌֓, שַׁלְשֶׁלֶת Chald. *catena*, cuius formam habet. *Iethibh*, ◌֚, יְתִיב i. e. *ſedens:* quia formam hominis *ſedentis* quodammodo refert. *Paſer*, ◌֡, פָּזֵר, (quaſi in pauſa pro פְּזֵר,) aliis פָּזֶר, *ſparſus*, i. e. *inflexus*, ut *Sarka*. *Karne phara*, ◌֟, קַרְנֵי פָרָה i. e. *cornua vaccæ*. *Theliſcha*, תְּלִישָׁא i. e. *evulſum*, ſcil. cornu vaccæ, quocum eius forma convenit; eſtque ille duplex, *Theliſcha gedola*, ◌֠, & *Theliſcha ketanna*, ◌֩: quorum diſcrimen

men non a *figuræ* magnitudine, ſed a *dignitate* in diſtinguendo pendet; cum *Theliſcha gedola Diſtinctivus* ſit ſive *Rex*, *Theliſcha ketanna* vero *Coniunctivus* ſive *Servus*. *Gereſch*, ◌֜, vulgo exponitur *expulſio*, ſcil. vocis; malumus nos conferre Talmud. *guriſcha* i. e. *criſta galli*, ad cujus formam *Gereſch* accedit. *Garſchajim*, (vulgo minus recte dicunt *Graſchaim*,) ◌֞, i. e. *geminus Gereſch*. *Pſik*, פְּסִיק i. e. *intercíſio*, vel *ceſſatio*, a *Rad.* Chald. פסק *diſcidit*, it. *ceſſavit*: eſt enim lineola erecta inter duas voces interpoſita, *intercíſionem* ſive *ceſſationem* quandam inſinuans. Merca, ◌֥, מֵרְכָא vel potius מַרְכָא, ex Statu abſoluto מַרַךְ, contract. ex Particip. Præt. *Aphel* מַאֲרַךְ i. e. *prolongatus*, *in longum tractus*: quia figuram habet ex curvo in longius *protractam*. Interdum geminatur, ◌֦, ſicque vocatur *Merca kephula* i. e. *geminatus*. *Munach*, ◌֣, מוּנָח vel potius מוּנַּח ſive מֻנַּח i. e. *ſpatium liberum & patens*: quia eius figura *ſpatium* quidem includit, ſed a parte poſteriore & ſuperiore *patens* atque *liberum*. *Mahpach*, ◌֤, מַהְפַּךְ (Particip. Præt. *Aphel*,) i. e. *inverſus*: eſt enim *Munach inverſus*. *Darga*, ◌֧, דַּרְגָּא *gradus*, *cochlea*, cuius formam refert. *Ierach*, ◌֪, יָרֵחַ *luna*, proprie *nova*, quacum eius figura fere convenit. *Kadma*, ◌֨, קַדְמָא i. e. *antecedens*, oppoſite ad ſimilis figuræ Accentum *Paſchta*, conf. præced. §. 35. Præter *Accentus* hos, qui in Accentuatione *Proſaica* uſurpari ſolent, dantur & alii, in ſola Accentuatione *Metrica* uſitati; qui tamen ab Accentibus *Proſaicis* vel ſolo *ſitu* vel *uſu* differunt, vel ex gemino Accentu *Proſaico* componuntur: ut *Merca Mahpachatus*, ◌֬, conſtans ex *Merca* & *Mahpach*; *Rebbia Gereſchatus*, ◌֝, ex *Rebbia* & *Gereſch* compo-

 ſitus,

ſitus, &c. Præter Accentuum *nomina*, hactenus recenſita, iidem etiam aliis nominibus vel cognominibus inſigniuntur, quibus tamen non immorabimur. Vide illa in b. I. H. MICHAELIS *Accentuatione Hebr.* p. 8.

§. XXXVII.

Omnes *Accentus* in genere dividuntur in *Tonicos* & unum *Euphonicum*. *Tonici* vocantur, quos præced. §. enumeravimus, numero 25 vel 27 vel 28 vel 29, vel iuxta quosdam Grammaticos 30 vel 31: cuius diverſitatis cauſa eſt, obſervantibus ISAACO in *Gram. Hebr.* p. 154. & BVXTORFFIO in *Theſauro Gram.* L. I. c. 5. quod nonnulli Accentus plura habeant nomina, quodque alii *Simplices* ſint, alii *Compoſiti*, quos Grammatici veteriores, quorum ætate Accentuatio Hebr. nondum exculta fuit, non ſatis diſtinxerunt. Exempla multorum, ſi non omnium, Accentuum *Tonicorum* occurrunt Ioſ. 1,8. 15. 2 Reg. 1,6. Ier. 21,7. 1 Chron. 28,1. Accentus *Euphonicus* vocatur מֶתֶג i. e. *frenum:* quia in pronunciatione vocum idem præſtat, quod *frenum* in curſu equi, Vocalem, cui ſubiicitur, quaſi retinendo & cohibendo, ne iuſto citius elabatur. DANZIVS in *Litterat.* p. 122. *Metheg* diſtinguit in *adſtrictum* & *laxum*, prout *frenum* vel *adſtringitur* vel *laxatur.* Habet idem Accentus *Euphonicus* & alia nomina ſive cognomina. Vocali enim brevi ante *Scheva Compoſitum* additus, dicitur מַאֲרִיךְ *prolongans*; *Chirek brevi* adiectus, vocatur חִירוּק; & denique *Scheva* initiali præmiſſus, גַּעְיָא i. e. *clamor, ſonus:* quia, cum alias *Scheva*, utpote *Nota abſentis Vocalis*, proprie pronunciari non debeat, hoc caſu eidem *ſonum* quendam tribuendum eſſe notat.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Sed ad Accentus *Tonicos* ut redeamus, iidem ſubdividuntur ratione *ſitus*, *figuræ*, *dignitatis* & *uſus*. Ratione *ſitus* ſunt vel *Superni*, qui ſupra voces; vel *Inferni*, qui infra voces collocantur; vel *Inferni & Superni ſimul*; vel *Lateralis* unus, qui ad latus ſiniſtrum apponitur; vel denique *Præpoſitivi*, qui primæ vocis litteræ præponuntur; vel *Poſtpoſitivi*, qui ultimis litteris incumbunt. Sunt autem *Superni: Rebbia, Rebbia Gereſchatus, Sakeph* uterque, *Segolta*, *Paſchta*, *Schalſcheleth*, *Sarka*, *Paſer*, *Gereſch*, *Garſchajim*, *Karne phara*, *Theliſcha* uterque, *Kadma*, & in Accentuatione *Metrica Munach ſuperior*. *Inferni* ſunt: *Silluk*, *Athnach*, *Tiphcha*, *Thebhir*, *Iethibh*, *Munach*, *Mahpach*, *Ierach*, *Merca*, *Merca kephula* & *Darga*. *Superni & Inferni ſimul* ſunt Accentus *Compoſiti: Merca Mahpachatus*, *Merca Sarkatus* & *Mahpach Sarkatus*. *Lateralis* eſt unicus *Pſik*. *Præpoſitivi* ſunt ex *Supernis*, modo adductis, *Theliſcha gedola*, *Gereſch* ex *Rebbia Gereſchato*, & *Sarka* ex *Mahpach Sarkato*; ex *Infernis* autem *Tiphcha* in Accentuatione *Metrica*, & *Iethibh*. *Poſtpoſitivi* ſunt ex *Supernis Segolta*, *Paſchta*, *Theliſcha ketanna* & *Sarka*. Ratione *figuræ* Accentus ſunt vel *Compoſiti* vel *Simplices*. *Compoſiti* ſunt ex *Supernis Rebbia Gereſchatus*, *Garſchajim* & *Karne phara*; ex *Infernis Merca kephula*, & *Lateralis Pſik*, qui ſæpe cum *Munach*, *Mahpach*, *Kadma*, *Theliſcha ketanna* & *Schalſcheleth* componitur vel ſaltem coniungitur. Reliqui omnes ſunt *Simplices*, & ſi ex *Supernis* ſint, ſemper medio litterarum imponuntur; ſi vero ex *Infernis*, proxime poſt Vocalem tono affectam, vel ſub litterarum medio collocantur. Attamen etiam Accentus *Simplices* ſubinde geminari ſolent, & quidem vel *iidem* vel *diverſi*. Quod ſi Accentus *idem* ex *Præpoſitivis* geminatur, poſterior ſedem toni deſignat, ut in

 אולי

אוּלַי Gen. 18, 28. ſi vero *idem* ex *Poſtpoſitivis* duplicatur, prior ſedem toni notat, ut in הַמַּ֫יִם Gen. 1, 7. Si Accentus *diverſi* geminantur, prior vicem Accentus *Euphonici* gerit, ut in וּלְמוֹעֲדִים Gen. 1, 14. Apud Hebræos enim tonus nunquam Syllabam antepenultimam occupat. Quod ſi tamen Accentus *Tonicus* in antepenultima occurrat, ille vel *Præpoſitivus* eſt, vel, uti dictum, *Euphonici* officio fungitur, cum interim vera toni ſedes in ultima ſit vel penultima, e. g. in בִלְבַבְכֶם Pſ. 4, 5. pro בִּלְבַבְכֶם, conf. infra §. 41.

§. XXXIX.

Circa Accentuum *diviſionem* ratione *dignitatis* duo præmonemus: I.) Accentuationem Hebr. commode proponi poſſe ſub forma *regiminis* cuiusdam: quæ diſpoſitio Sam. Bohlio & poſt eum Casp. Ledebuhrio debetur, quos deinde alii ſecuti, eam indies cultiorem reddiderunt. Equidem iam antea Iudæi Accentus diviſerant in *Reges* & *Servos*, neque tamen ulterius progreſſi; Bohlius autem primus in rem accentuatoriam accuratius inquiſivit & *Reges*, quo nomine Iudæi *Diſtinctivos* intelligunt, pro diverſis diſtinctionum gradibus in plures claſſes ſubdiviſit. Iuxta diviſionem itaque illam quivis Textus Biblici verſiculus inſtar *imperii* cuiusdam repræſentatur. Sicut enim in imperio unus ſummus eſt *imperator*, a quo omnia dependent, & ſicut eiusmodi *imperatori* plures alii *domini* minores ſubſunt, qui & ipſi ſuos *ſubalternos*, ſinguli vero ſuos *ſervos*, proxime ipſos comitantes, habent: ſic ſe quoque habent Accentus Hebraici. Extrema verſiculi cuiusvis Biblici dictio ſedes quaſi eſt *imperatoris*, unde omnes voces præcedentes quoad diſtinctiones

nes ſuas dependent. II.) Accentuationem Hebr. duplicis eſſe generis, *Proſaicam* & *Metricam*. *Metrica* dicitur, quæ in tribus ſaltem Codicis S. libris uſu venit, in *Pſalmis*, *Proverbiis* & *Iobo*, (voce *technica* אֱמֶת comprehenſis,) longeque difficilior eſt Accentuatione *Proſaica* reliquorum librorum. Quod vero Accentuatio in libris אמת paulo aliter ſeſe habeat, id non tam a *metro* quodam derivandum eſt, quo conſcripti quibusdam videntur, quam quia breviorum ſunt ſententiarum affectuumque refertiſſimi. Pro duplici itaque Accentuatione illa Accentus quoque ratione *dignitatis* dividi ſolent; immo in Accentuatione *Proſaica* aliquot Accentus occurrunt, in Accentuatione *Metrica* plane inuſitati, & vice verſa. In utriusque generis Accentuatione *Silluk* ſummam obtinet *dignitatem* ideoque *Imperatoris* nomine venit. In Accentuatione *Proſaica Silluk* regulariter alium *Imperatorem* ſub & iuxta ſe habet, Accentum *Athnach:* quo caſu imperium quaſi diviſum comparet. *Imperator* dicitur, qui aliquot *reges* ſibi habet ſubiectos. Eiusmodi itaque *Reges* ſive Accentus *Regii* ſunt in Accentuatione *Proſaica: Segolta*, *Sakeph* uterque & *Tiphcha*. *Reges* excipiunt *Duces:* quales in Accentuatione *Proſaica* ſunt *Rebhia*, *Sarka*, *Paſchta*, *Thebhir*, *Pſik* cum *Schalſcheleth*. & *Iethibh*; quibus quidam addunt *Merca kephula*, ab aliis vulgo inter *Servos* referri ſolitum. *Duces* ſequuntur *Comites*, numero ſex: *Paſer*, *Karnephara*, *Theliſcha gedola*, *Gereſch*, *Garſchajim* & *Pſik* cum *Munach* ſive *Pſik Munachatum*. Fuerunt quidem, quibus Accentus *Regios* ſive *Diſtinctivos* aliter dividere atque etiam *Archiduces*, *Dynaſtas*, *Toparchas* ſive *Barones* & *Nobiles* inſerere placuit. Noſtra tamen ætate diviſio modo dicta omnibus fere probatur. Vbicunque *domini* ſunt, ibidem & *ſervos* proxime ad manus eſſe oportet. Tales itaque *Servi* ſunt Accentus *Coniunctivi:* in Accentuatione quidem *Proſaica*, *Merca*,

Merca kephula, *Munach*, *Mahpach*, *Darga*, *Ierach*, *Kadma* & *Theliſcha ketanna*.

§. XL.

In Accentuatione *Metrica* iſta *regiminis* forma paulo aliter ſe habet. Hic enim *Silluk* ſolus eſt *Imperator*, *Reges* autem, illi ſubiecti, ſunt *Merca Mahpachatus* & *Athnach*: quibus tamen & hic quidam *Imperatorum* nomen tribuunt; qua vero ratione *Reges* deficiunt. *Duces* ſunt quinque: *Rebhia Gereſchatus*, *Pſik* cum *Schalſcheleth*, *Rebhia*, *Sarka Poſtpoſitivus* & *Tiphcha Anterior* ſive *Præpoſitivus*. *Comites* tres ſunt: *Paſer*, *Pſik* cum *Kadma*, & idem *Pſik* cum *Mahpach*. *Coniunctivi* ſive *Servi* ſunt *Merca*, *Munach* uterque, *Supernus* ſcil. & *Infernus*, *Mahpach*, *Kadma*, *Tiphcha Tonicus*, (i. e. qui ponitur, ubi ſedes toni eſt, a *Tiphcha Anteriore* ſive *Præpoſitivo* bene diſtinguendus,) *Ierach*, *Sarka Conſervus*, ſcil. *Mahpachi*, quocum Accentum *Compoſitum* conſtiſtituit, ut ſupra dictum. Nonnulli etiam *Schalſcheleth* addunt. Sicut vero *reges* aliique domini ſæpius *legatos* amandare ſolent, qui penes alios ipſorum perſonas repræſentent: ſic quoque in utraque Accentuatione dantur *Legati*, quo nomine Accentus *Coniunctivi* ſive *Servi* veniunt, quoties *Diſtinctivorum* ſive *Dominorum* ſuorum officio funguntur: e. g. *Sarka* pro *Subdiſtinctivo* ordinario habet *Gereſchum*; loco *Gereſchi* vero ſubinde ponitur eius *Servus* ſive *Coniunctivus*, *Kadma*, qui hinc *Legatus Gereſchi* dicitur. Habent porro *reges* aliique domini ſuos *vicarios*, qui eorum vicem gerunt, e. g. *reges* habent ſuos *proreges*. Tales *Vicarii* etiam in Accentuatione Hebr. reperiuntur, e. g. *Rebhia* pro *Servo* ſive *Coniunctivo* ordinario habet *Munachum* proque *Subdiſtinctivo* ſuo *Gereſchum*; interdum vero *Munach* ille ut *Vicarius* vicem ſuſtinet *Gereſchi*. Conf. Fr. Theod. Mülleri Diſſert. de *Accentibus Hebr. Legatis*,

gatis, *Vicariis & Baronibus*, & Cl. I. F. HIRTII Diſſ. de *Vicariis & Legatis*, *ſub Ducibus inprimis loco Gereſchi occurrentibus.*

§. XLI.


Ratione *uſus* Accentus ſunt vel *Diſtinctivi* vel *Coniunctivi.* *Diſtinctivi* dicuntur, qui orationem in ſua membra *diſtinguunt*, vocemque unam cum ſequente altera quoad ſenſum non cohærere indicant: quo munere regulariter funguntur Accentus *Regii* ſive *Domini*, ut *Imperatores*, *Reges*, *Duces* & *Comites*. *Coniunctivi* vocantur, qui voces ſenſu cohærentes *coniungunt*, id quod *Servi* facere ſolent. Neque tamen eiusmodi *diſtinctiones* cum *diſtinctionibus* Latinorum & Græcorum conveniunt. Hi enim pauciſſimis *diſtinctionibus* utuntur: ut ſunt *Punctum*, *Colon*, *Semicolon* & *Comma*. Hebræi autem ulterius progreſſi, multo accuratius & ſubtilius diſtinguunt, ſingulas voces, ſenſu non cohærentes, *diſtinctione* aliqua vel *ſubdiſtinctione* ab invicem ſeparando, & contra voces ſenſu cohærentes, mediante Accentu *Coniunctivo* ſive *Servo*, coniungendo. Sic vero Latinorum Græcorumque *diſtinctiones* cum Accentibus Hebr. conferri poſſunt, ut *Silluk* cum *Puncto*; *Athnach* & *Merca Mahpachatus* cum *Colo*; *Rebbia*, *Rebbia Gereſchatus*, uterque *Sakeph*, *Segolta* & *Tiphcha* cum *Semicolo* & *Commate* fere conveniant. Pro brevitate tamen vel prolixitate verſiculi & propoſitionis alicuius etiam Accentus vel maiori vel minori diſtinguendi poteſtate valent. Ex modo dictis iam ex parte liquet, quodnam ſit Accentuum Hebr. *officium* ſive *munus*. In genere *ſigna* ſunt *rectæ pronunciationis*. Illius autem eſt, I.) ut tonus convenienter figatur, idque vel in *ultima*, qualis vox מִלְרַע vocatur; vel in *penultima*, quæ מִלְעֵיל exinde appellatur; nunquam vero in *antepenultima*. Excipiunt quidem בַּעֲמְדָה Ieſ. 50, 8. ſed recte monet Cl. ZEN-

CKELIVS in *Commentar. Gram. ling. Hebr.* P. I. p. 205. vocem illam in Accentuatione haberi pro *laborante* adeoque pro *diſſyllaba:* ſiquidem (-) ſub ע, ortum ex (־), non habetur pro vera Vocali, ſed ita æſtimatur, quaſi *Scheva* adhuc eſſet. Ex ipſa tamen eiusdem Accentuationis ratione, qua (:) *Mobile*, ortum ex Vocali, Syllabam conſtituere traditur, I. H. HÆNERVS in *Miſcellan. Philolog. Crit.* §. 7. infert, tonum ſive Accentum omnino interdum cadere in *antepenultimam*, adducto exemplo הָרְגוּ אִישׁ Gen. 49,6. ubi הָרְגוּ iuxta Accentuationem habeatur pro *triſyllabo*. II.) Ut voces ſenſu cohærentes coniungantur & non cohærentes ſeparentur, adeoque aliæ tardius, aliæ celerius proferantur. III.) Ut aliæ voces in pronunciatione eleventur, aliæ demittantur.

§. XLII.

An vero Accentus Hebr. etiam habeant *uſum Muſicum?* in utramque partem disputatur, conf. WOLFII *Biblioth. Hebr.* Vol. II. p. 495. ſeq. & Vol. IV. p. 221. BVXTORFFII Tract. de *antiquitate Punctorum Hebr.* p. 243. ſeq. PFEIFFERI *Introduct. in Orient.* p. 83. MICH. BECKII Diſſert. de *Accentuum Hebr. uſu Muſico & abuſu Hermeneutico*, I. G. ABICHTI *Accentus Hebr. ex uſu Muſico explicati*, & eiusd. *Vindiciæ uſus Accentuum Muſici & Oratorii.* SAM. BOHLIVS quidem in Diſſert. I. §. 23. pro *miniſterio ſenſus S. S.* ſic ſcribit: *ars Satanæ fuit, quando Chriſtianis perſuaſit, Accentus eſſe Muſicales.* Id certum eſt, Iudæos in Synagogis ſuis Textum Hebr. iuxta Accentus modulari ideoque Accentus vocare נְגִינוֹת *modulationes*, (conf. ſupra §. 35.) mirifice illa arte ſibi placentes; quam tamen PFEIFFERVS in *Manuduct. ad Accentuat. Hebr.* p. 25. *catulorum ululatum* vocat. Vtuntur eum in finem tabula quadam, quam *Sarka* appellant: quia ab Accentu *Sarka* inci-

incipit. Tabulam illam ſub forma *Notarum Muſicalium* exhibent ALSTEDIVS in *Triumpho Biblico* p. 153. 154. BARTOLOCCIVS in *Bibliotheca Rabbin.* T. IV. p. 249. ſeq. PFEIFFERVS l. c. JABLONSKIVS in Præfat. ad *Biblia Hebr.* §. 24. &c. Iuxta illam e. g. Gen. 1, 1. ſic modulandum foret:



Quam modulandi rationem convenire cum modulatione Evangeliorum & Epiſtolarum *dominicalium* atque orationum quarundam, in Eccleſiis uſitata, obſervant PFEIFFERVS l. c. & HENSELIVS in *Synopſi univerſæ Philologiæ* p. 191. qui ex ore CASP. LOESCHERI ſe audiiſſe narrat, ipſum aliquando Iudæorum Magiſtrum vidiſſe & audiiſſe, qui artificioſiſſime, loco *Notularum Muſicarum* Accentuum *Metricorum* ductu, cecinerit & chelyn *de gamba*, ut vocant, digitis plectroque pulſaverit. Veteres autem Hebræos eodem modo iuxta Accentus cantillaſſe ſive Accentus fuiſſe eorum *Notas Muſicas*, de eo merito dubitamus. Equidem I. C. SPEIDELIVS in den Unverwerflichen Spuren von der. alten Davidiſchen Singe-Kunſt, in eam ſententiam devenit, quinque Hebræorum Vocales, tam longas quam breves, una cum *Scheva Compoſito*, apud veteres Hebræos indicaſſe *tonos Muſicos*: ut adeo tantum quinque illis fuerint *toni;* Accentus autem inſinuaſſe partim *valorem* illarum *Notarum*, partim utrum toni illi *inferne?* an *ſuperne* canendi eſſent? Accentus nimirum *Infernos* innuiſſe quinque tonos *infernos*, *Supernos* autem, quin-

que tonos altiores eſſe canendos. Cuius rei quoque exemplum ex Pſ. 46. exhibet; quod tamen haud facile cuipiam ſe probaverit. Huc quoque tendit DACHSELIVS in *Bibliis Accentuatis* P. II. p. 612. ſeq. qui ad Accentus *Infernos* vocem demittendam, ad *Supernos* vero elevandam eſſe tradit, & HENSELIVS l. c. p. 196. qui ad Accentus *Supernos Diſcantum*, quem vocant, ad *Infernos* vero *Baſſum* cantandum eſſe contendit.

§. XLIII.

Quod ſi itaque Accentibus Hebr. *muſicum* quid tribuere velimus, tunc eorum *officium* omnino quadruplex fuerit: *Grammaticum*, *Logicum* ſive *Hermeneuticum*, *Rhetoricum* ſive *Oratorium* & *Muſicum*. *Officium* Accentuum *Grammaticum* in eo conſiſtit, ut ſedem toni denotent, Vocalis brevis *Moram* deficientem in Syllaba *Simplici* compenſent, & Vocalem longam in Syllaba *Compoſita* quaſi fulciant. *Officium Logicum* ſive *Hermeneuticum* eſt, ut indicent, quænam voces quoad ſenſum cohæreant vel non cohæreant. *Rhetoricum* ſive *Oratorium* eſt, ut doceant, quænam voces in pronunciando combinandæ ſint vel ſeparandæ. Quidam & alia Accentuum *officia* addunt: ut HOMILIVS ad *oraculum* Ier. 31, 22. *de conceptione Meſſiæ*, & CHRIST. SCHOCHIVS in peculiari *Programmate*, (p) etiam Accentuum Hebr. *nomina* emphaſin vocum ſimul exprimere putant, & CHR. SEEBACHIVS in *Accentuatione Metrica recluſa* Accentibus *myſticum* quoque *officium* tribuit, cui e. g. *Silluki* ditio ſchema eſt regiminis Dei Patris, ditio *Athnachi* regiminis Spiritus S. &

(p) Exſtat illud in Doctiſſ. BIDERMANNI *Actis Scholaſticis* Vol. I. p. 55. ſeq.

& *Merca Mahpachati*, ex Accentu *Inferno* & *Superno* compoſiti, ditio imago eſt regiminis Jeſu Chriſti Θεανθρώπȣ; *Silluki* tres *Servi* notant tria media regiminis divini, legem *naturalem*, *moralem* & *evangelicam* ſive gratiam in Ieſu Chriſto; Athnachi *Servus Merca libertatem*, & alter, *Munach*, *ſervitutem; Merca Mahpachati Servus Ierach Legem*, alter vero, *Merca*, *Evangelium* præfigurant. Et quæ ſunt plura hominis fanatici ſomnia. Conf. Celeb. SPERBACHII Diſſert. de *Accentuum Hebr. officio & uſu.* Accentus vero *Euphonici*, *Metheg*, *officium* ſive *munus* in eo conſiſtit, ut 1) Vocalis brevis *Moram* deficientem in Syllaba *Simplici* compenſet; 2) Vocalem longam in Syllaba *Compoſita* ſuſtineat & quaſi fulciat; 3) Vocalem longam in antepenultima a tono inſtar *freni* retineat, ne corripiatur: quo etiam pertinet, ſicubi inter Vocalem longum & *Scheva Mobile* ponitur. Cæterum Accentum *Euphonicum* frequentiſſime, maxime in libris אמת, ubi adeſſe debebat, deſiderari, communis eſt Grammaticorum querela, conf. BVXTORFFII *Theſaurus Gram.* p. 53. ERPENII *Grammatica Hebr. Generalis* p. 45. & I. I. SCHVDTII Commentarius Gram. de *genio & indole linguæ S.* c. 8. §. 10. & c. 10. §. 9. E contrario Auctor libri *Or Thora* conqueritur, in Germanorum libris mſcr. eundem iuſto frequentius occurrere indeque illum vocat *frenum pro aſino.*

§. XLIV.

Ex iis, quæ hactenus de Accentuum Hebr. *uſu* & *officio* dicta ſunt, ſponte iam fluit Accentuationis Hebr. *utilitas* & *neceſſitas.* Nam, miſſo etiam Accentuum *uſu Rhetorico* & *Muſico*, manet tamen *uſus Grammaticus* & *Hermeneuticus.* In Grammatica certe omni Accentuum cognitione deſtitutus parum profecerit; immo ne quidem accurate legere noverit, niſi de

Ac-

Accentus tonique ſede ipſi conſtet; multæ quoque Punctorum mutationes ab Accentibus dependent, &c. Vnde tritum illud veterum Grammaticorum Hebræorum: *Si cupis in Grammatica eſſe perfectus, adiunge cor tuum, ut intelligas Accentus.* In *Hermeneutica* Accentuationis Hebr. cognitio eo nomine utilis eſt ac neceſſaria, quia multa loca in V. T. occurrunt obſcura & ambigua, in quibus explicandis Accentuatio uſum præſtat plane inſignem, e. g. Gen. 49, 10. Deut. 32, 5. Iud. 6, 24. Ieſ. 9, 3. Eccleſiaſt. 8, 2. &c. id quod complures ſingularibus ſcriptis oſtenderunt, ut WASMVTHVS in *Vindiciis S. Scripturæ Hebr.* P. II. HIER. *ab* ALPHEN in *Inquiſitione, qua inveſtigatur uſus Accentuum in libris Biblicis*, I. R. RVS de *uſu Accentuationis Hebr. Pentade dictorum V. T. demonſtrato*, H. M. SCHÜTTE de *Textu V. T. eiusque Accentuum uſu*, M. B. de *neceſſitate & utilitate Accentuationis Hebr.* IOH. FRANCKIVS in *Systemate Ethices divinæ* ex libro Coheleth, in *Abyſſo* item *myſteriorum & beneficiorum ductu Accentuum detecta*, & in *Miniſterio Accentuum Hebr.* DAN. WEIMARVS de *uſu Accentuationis*, DACHSELIVS in *Bibliis Accentuatis*, Celeb. RECKENBERGER in *Arte Hebræorum characteriſtica*, &c. Conf. quoque G. C. PETRI Diſſertationes VII. de *uſu Accentuum S. Codicis Hebr.* I. H. MAII Diſſ. de *Hebraicæ linguæ eiusque Accentuationis neceſſitate & utilitate*, & NIC. PANECII Diſſ. de *neceſſitate Accentuationis Hebr.* Quam utilis vero ac neceſſaria eſt Accentuatio Hebr. tam intricata eadem eſt ac difficultatibus circumſepta. Iudæi, ut ſupra monitum, pauca hic præſtiterunt; conf. I. L. LENZII Diſſ. de *ignorantia Iudæorum in doctrina Accentuum.* Primi glaciem quaſi fregerunt Chriſtiani; neque tamen eo usque progreſſi ſunt, ut omnes difficultates ſuperaverint: quo e. g. pertinent anomaliæ circa *Legatos* & *Vicarios*, circa voces ſic di-

dictas *laborantes*, circa Accentuum *transpoſitiones*, de quibus exſtat peculiaris L. C. BLOSSII *Diſſertatio*; maxime vero nodi Gordii ſuperſunt in Accentuatione *Metrica*: qua in re ut plurimum ad *emphaſes*, commune illud ignorantiæ aſylum, confugitur.

§. XLV.

Difficultatibus illis etiam accenſenda eſt *Accentuatio duplex*, in quibusdam V. T. locis obvia, eaque vel in *ſingulis vocibus*, vel in *integris ſententiis*. In *ſingulis vocibus* Accentuatio *duplex* inſinuat vel *compoſitionem* vocis, ut in בָּגָד ex בָּא גָד Gen. 30, 11. מֵהֶם ex מָה הֵם Ezech. 8, 6. &c. vel *geminum reſpectum* vocis ſive *geminam analogiam*, ut in נָבֵל Ieſ. 40, 7. 8. ubi Accentus ob vicinitatem alterius ex ultima in penultimam retrahendus erat, quam retractionem *Munach* repræſentat; quia vero ſic (¨) ultimum in (ᵛ) corripiendum foret, eoque facto confuſio *Formarum* vocum oriretur, ideo tonus in ultima manet, quem *Merca* indicat; quamvis JABLONSKIVS in Præfat. ad *Biblia Hebr.* §. 17. eiusmodi exempla in mendo cubare iudicet. Præterea Accentuatio *ſingularum vocum duplex emphaſin* involvere creditur, vel, ut uſus Accentuum *Muſici* defenſores volunt, *duplicem* vocis *modulationem*, e. g. in זֶה Gen. 5, 29. Accentuationis *geminæ* in *integris ſententiis* duo exſtant exempla, Gen. 35, 22. & in Decalogo Exod. 20. & Deut. 5. Ad priorem quidem locum quod attinet, quidam in *gemino* eius Accentuatione ſimilem quandam *emphaſin* quærunt, ut ANDR. REINBECKIVS in *Doctrina de Accentibus Hebr.* p. 218. I. H. MICHAELIS in *Inſtitut. Accent. Hebr.* p. 28. &c. Alii, ut BVXTORFFIVS, WASMVTHVS,

PFEIF-

PFEIFFERVS, HILLIGERVS &c. eam arceſſunt a diverſo reſpectu ad *finem* & ad *argumentum* illius loci, quem *Piska*, ibi exſtans, ſubindicet. Ab iis non multum abeunt Auctor libri *Or Thora* & HILLERVS in Præfat. ad *Arcanum Kri & Kethibh*, quibus *duplex* illa Accentuatio *Lectionem Variantem* inſinuare videtur, quod alii codices unicum tantum verſiculum ibi exhibuerint, alii vero eundem in duos diviſerint. *Duplex* Decalogi *Accentuatio* non in omnibus verſiculis offenditur, ſed in ſolis præceptis vel *longioribus* vel *brevioribus*; præcepta autem, quæ neque adeo prolixa ſunt neque admodum brevia, ſed conſueta verſuum magnitudine definiuntur, ſimplici Accentuatione inſtructa comparent: e. g. præceptum de *ſabbatho* ſatis prolixum eſt, aliquot conſtans verſibus, ideoque *duplicem* habet Accentuationem; tria præcepta de *vitando homicidio*, *adulterio* & *furto* verſibus iuſto brevioribus continentur, duobus ſaltem vocabulis comprehenſa, adeoque *gemina* notantur Accentuatione. Contra vero præcepta de *non profanando nomine divino* deque *vitanda prava concupiſcentia* conſueta verſuum magnitudine abſolvuntur, eoque ſimplicem Accentuationem præ ſe ferunt.

§. XLVI.

Quod ſi vero quis de cauſa *duplicis* Decalogi Accentuationis quærat, primus SAM. BOHLIVS in *Vera diviſione Decalogi* detexit, eam dependere a duplici reſpectu ad *præcepta* & ad *verſus:* unam ſcil. Accentuationem conſuetæ verſuum diviſioni, alteram vero præceptorum argumento eſſe accommodatam, e. g. Exod. 20, 13. תִּרְצָח *Tiphcham* habet reſpectu *verſus* ibi nondum finiti; *Sillukum* autem reſpectu *præcepti*, ibi terminati: unde etiam ת pariter & *Dageſch Lene* habet & lineam *Raphe*, quæ *Dageſch* illud tollit,

Digitized by Google

lit, reſpectu habito ad præcedens vocabulum לֹא, Accentu tam *Diſtinctivo* quam *Coniunctivo* notatum; צ autem (-) (q) ſub ſe habet ob *Tiphcham*, ſimulque (ׇ) propter Accentum *Pauſantem Silluk.* Hillervs l. c. cauſam *geminæ* illius Decalogi Accentuationis ſimiliter, ut Gen. 35, 22. derivat a *Variantibus* diverſorum codicum *Lectionibus*. Contra vero longius petita eſt ſententia Dachselii in *Bibliis Accentuat.* P. II. p. 631. eam ſubindicare *duplicem* enunciationem Dei & *irati* & *reconciliati;* & D. G. Plarrii in *Philologia Aphoriſtica* p. 18. eandem eſſe ex *gemina* Decalogi prælectione publica, quarum altera ſecundum *præcepta* feſto Pentecoſtes, altera iuxta *verſiculos* menſe Schebat facta ſit. Ut taceamus rationes, a Iudæis afferri ſolitas.

§. XLVII.

Id tamen minime prætermittendum eſt, quod, cum præcepta de *vitanda idololatria* & de *imaginibus non formandis* ſimiliter ut præceptum unicum *duplici* Accentuatione inſtructa ſint, Lutherani exinde probant, unicum revera eſſe præceptum, & contra, quia præceptum de *fugienda prava concupiſcentia* per Sectionem ס, i. e. *clauſam*, diviſum conſpicitur, iidem illud in duo præcepta dividunt. Reformati vero hæc excipiunt: 1) Nondum ſatis domonſtratum eſt, Moſen Accentuum, multo minus *duplicis* Accentuationis eſſe auctorem, vid. Bvxtorffii *Theſaurus Gram.* p. 59. 2) Poſito etiam, ſed non conceſſo, *duplicem* Accentuationem ab ipſo Moſe oriundam eſſe, tamen exinde Decalogi diviſio probari nequit, ut oſtendit Hackspanivs in *Notis Philo-*

(q) *Vocalem*, non Patach *Furtivum*, ut voluerunt Drvsivs de *recta lectione linguæ S.* c. 28. Pistorivs in *Enchiridio linguæ S.* c. 2. §. 68. & Schickardvs in *Horologio* vel Auctor *Supplementorum* ejus, Reg. XII.

Digitized by Google

Philolog. ad Exod. 20. 3) Sectiones ſive *Paraſchæ* Pentateuchi recentioris ſunt inventionis, adeoque auctoritatis nequaquam divinæ. 4) Exod. 20, 14. Deut. 5, 18. Sectio illa 'ס in plurimis codicibus deficit. 5) Antiquiſſimus Paraphraſtes Chaldæus JONATHAN ſingulis præceptis præfatiunculam quandam præmittit, idque ſic facit, ut eius diviſio decem præceptorum diviſioni Reformatorum reſpondeat. Eodem modo etiam JOSEPHVS *Antiquit. Iud.* L. III. c. 4. Decalogum dividit. 6) Verba: *ne concupiſcas domum proximi tui*, vel ideo præceptum nonum conſtituere nequeunt, quia Deut. 5. eorum loco exſtat: *ne concupiſcas uxorem proximi tui.* Conf. LEVSDENI *Philologus Hebr.* Diſſertat. IV. Plura vero de *Accentuatione duplici*, præter eos, qui præcepta Accentuationis Hebr. ex inſtituto tradiderunt, dabunt BOHLIVS l. c. G. VOSSIVS in Diſſertat. de *diviſione Decalogi*, FR. BALDVINVS in Diſſert. de *diſtinctione Decalogi*, DASERVS in Tract. *quo Auguſtiniana Decalogi diviſio ſtabilitur & vindicatur*, BVXTORFFIVS in Diſſert. de *Decalogo* §. 64. ſeq. LOESCHERVS de *Cauſis ling. Hebr.* L. II. c. 5. FR. DASDORFFIVS in *Decalogo ex fundamento Accentuum rite examinato*, DANZIVS in *Litterat.* p. 250. ſeq. PFEIFFERVS in *Introduct. in Orient.* Diſſert. IV. quæſt. 11. KROMAYERVS in *Polymathia Theolog.* P. I. c. 7. MICH. BECKIVS in Diſſertat. de *duplici Accentuatione Decalogi*, WOLFFG. FRANZIVS de *diſtributione præceptorum Decalogi*, I. H. REGENFVS de *interpunctione Decalogi*, HENR. OPITIVS in Diſſertat. de *uſu Accentuationis geminæ in Decalogo*, G. OTHO in Diſſertat. de *gemina Accentuatione*, ANDR. TROTTE in Diſſertat. de *duplici Accentuatione Hebr.* IOH. RVDGERVS LVTTRINGHAVSEN in Specimine Theologico-Philol. de *diviſione Decalogi iuxta ſententiam*

tentiam Reformatorum explicata, HILLERVS in *Inſtitut. ling. S.* p. 143. ſeq. Cl. I. F. HIRT de *ratione duplicis Accentuationis*, &c.

§. XLVIII.

Sequitur, ut paucis quoque *Subſidia* Accentuationis indicemus, quæ duplicis generis ſunt: vel enim *theoriam* illius doctrinæ explicant, vel Accentuationis uſum *practice* demonſtrant. Poſterioris generis ſcripta quia iam ſupra §. 44. prælibavimus, hic ſaltem præcipuas & melioris notæ *Inſtitutiones Accentuationis Hebr.* recenſebimus. Huc itaque pertinent G. S. DOERFELII *Tirocinium Accentuationis Hebr.* IOH. FRANCKII *Diacritica S.* HENR. OPITII *Inſtitutiones Accentuatoriæ*, H. G. REIME *Novum doctrinæ Accentuatoriæ Hebraicæ Compendium*, MATTH. WASMVTHI *Inſtitutio methodica Accentuationis Hebr.* DAV. WEIMARI *Doctrina Accentuationis Hebr.* PHIL. OUSELII *Introductio in Accentuationem Metricam & Proſaicam*, ANDR. REINBECKII *Doctrina de Accentibus Hebr.* H. B. STARCKII *Lux Accentuationis Hebr.* C. F. BAUERI Vernünftige Gewisheit der Hebräiſchen *Accentuation*, I. H. MICHAELIS Gründlicher Unterricht von den *Accentibus Proſaicis* und *Metricis* der Heiligen Schrift Alten Teſtaments, THOM. BOSTONI *Tractatus Stigmologicus Hebræo-Biblicus*, Celeb. I. D. MICHAELIS Anfangs-Gründe der Hebräiſchen *Accentuation*, Cl. C. A. BÜTTNERI *Introductio ad Accentuationem Hebræorum*, I. L. RECKENBERGERI *Compendium doctrinæ de Accentibus Hebr.* I. G. ABICHTI *Ars diſtincte legendi & interpretandi V. T.* CHR. SANCKII Vollſtändige Anweiſung zu den *Accenten* der Hebräer. Reliquorum copiam faciunt PFEIFFERVS in frontiſpicio *Manuductionis ad*

Accentuationem Hebr. WOLFFIVS in *Bibliotheca Hebr.* Vol. II. p. 500. ſeq. & Vol. IV. p. 221. ſeq. Celeb. CARPOVIVS in *Animadverſ. Philolog. Crit.* p. 55. & Cl. I. G. HAGER in *Notitia de Accentibus Hebr. Litteraria*: quibus ex recentioribus addendum eſt I. F. HIRTII *Syſtema Accentuationis Hebr.*

§. XLIX.

Supereſt Accentuum *privatio.* Fieri illa ſolet per lineolam, duabus vocibus transverſim interpoſitam, qua Accentus ſive tonus prioris tollitur, ipſa autem vox illa cum ſequente ita connectitur, ut cum ea uno Accentu comprehendatur & efferatur. Lineola illa vocatur מַקָּף *copulatum* ſive *coniunctum*, a *Rad.* Chald. נקף vel יקף *copulavit*, *coniunxit.* Alii tamen rectius dicunt מַקֵּף i. e. *coniungentem*, ut HILLIGERVS in *Summario ling. S.* p. 16. DANZIVS in *Litterat.* p. 129. STARCKIVS in *Luce Gram. Hebr.* p. 62. &c. Sunt, qui eandem cum *Hyphen* Græcorum & Latinorum comparant. Poſſent & vocabula, mediante eiusmodi *Makkeph* coniuncta, conferri cum Græcorum dictionibus *Encliticis*, ordine tamen inverſo. Inventa autem eſt lineola *Makkeph*, 1) ad voces, iuxta regulas Syntacticas cohærentes, arctius coniungendas; 2) propter Accentuationem, & 3) propter plurium monoſyllaborum concurſum. Interdum tamen, etiam præſente *Makkeph*, Accentus retinetur, qui vero vel Accentus *Euphonici* vicem explet, vel prior pars eſt Accentus *Compoſiti*, ut Pſ. 1, 3.

§. L.

Hactenus de *Punctis ſonum moderantibus* & *tonum regentibus.* Iam quoque *Puncta Critica*, Maſorethis

rethis uſitata, conſiderabimus. Sunt autem illa *circulus* ſive *asteriſcus* & *punctorum congeries*. *Circulus*, cuius loco in nonnullis Codicis S. editionibus *asteriſcus* adhibetur, vocibus vel *ſuperimponitur* vel *interponitur*. *Circulus*, vocibus *ſuperimpoſitus*, notat 1) *Variantes Lectiones*, *Kri* & *Ketbibh* vulgo dictas, de quibus Sect. XII. c. 1. pluribus tractabitur; 2) vocabula, quæ litteras habent *inſolitas*, ut *maiuſculas*, *minuſculas*, *ſuſpenſas* &c. de quibus conf. ſupra §. 16. 3) litteras & voces vel totius libri alicuius Biblici *medias*, vel ſaltem verſuum *mediorum initiales*, ut Levit. 10, 16. c. 11, 42. &c. 4) in quibusdam codicibus vel editionibus Bibliorum *asteriſcus* ſingularem quandam *Punctorum* anomaliam indicat, ut Gen. 2, 25. c. 4, 4. &c. *Circulus*, vocabulis *interpoſitus*, orationem in medio verſu abruptam innuit, ut Gen. 35, 22. Interſtitium autem ſive ſpatium illud, quod *circulus* ſic facit, *Piska*, i. e. *interſectio* ſive *pauſa* vocatur. Eiusmodi *Piska* ſubinde indicem eſſe *Variantis Lectionis*, ſententia eſt IOH. HENR. MICHAELIS in *Inſtitut. Accent. Hebr.* p. 4. & 5. Alii vero, ut IOH. MORINVS, LVDOV. CAPPELLVS, GROTIVS &c. ex eodem *Piska*, quædam in Textu S. deeſſe, concludunt, quandoquidem Gen. 4, 8. Verſiones Græca LXX Interpretum, Samaritana, Chaldaica, Syriaca & Arabica revera aliquid addant, quod in Textu Hebr. deficit. Occurrit autem *Piska* in locis XXV vel, ut alii volunt, XXVII ſive XXVIII, conf. LEVSDENI *Philologus Hebr.* Diſſert. XXII. BVXTORFFIVS tamen in *Tiberiad.* c. 11. tantum XXIII loca numerat. Quæ discrepantia exinde derivanda eſt, quod *Piska* in editionibus noſtris non ubique expreſſum legatur. *Congeries* denique *punctorum* eſt, ſicubi vel uni atque alteri vel ſingulis vocis litteris punctum quoddam imponitur. Quæ myſteria atque emphaſes,

omnino ridiculas, Iudæi, HIERONYMVS aliique ex eiusmodi *punctis* inſolitis eliciant, videre eſt apud BVXTORFFIVM l. c. c. 17. & in *Theſauro Gram. Hebr.* c. 5. Probabilior eſt ſententia HILLERI in *Arcano Kri & Kethibh* L. I. c. 7. *congeriem* illam *punctorum* nihil aliud indicare, quam *Variantes Lectiones*, quas Maſorethæ poſteriores ſic notarunt. HILLERI ſententiam illam haud ita pridem I. H. HÜPEDEN, veluti proprium inventum, uberius expoſuit in der Vermuthung von der wahren Urſache und Bedeutung der auſſerordentlichen Puncte, welche über einigen Buchſtaben und Wörtern der Hebr. Bibel gefunden werden. Aliter ſentit CHR. HAVEMANNVS in *Symbolis Litterar. Bremens.* T. III. P. III. p. 472. ſeq. qui antiquiores Iudæos ea, quæ notare voluerint, *punctis* inſcriptis ita ſignaſſe credit. Cæterum vocabula, eiusmodi *punctis* notata, adducta leguntur apud BVXTORFFIVM in *Tiberiad.* c. 17. & LEVSDENIVM l. c.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO III.

DE

S Y L L A B I S

LINGVAE HEBRAICAE.

Digitized by Google

Digitized by Google

SECTIO III.

DE

SYLLABIS.

§. I.

Ex *Litteris* & *Punctis* apud Hebræos exoriuntur *Syllabæ*. Circa *Syllabas* conſideranda ſunt 1) *ordo* ſyllabizandi ſive ſcribendi & legendi apud Hebræos, 2) *materia*, 3) *Quantitas*, & 4) *Forma Syllabarum*. Hebræi a dextra ad ſiniſtram verſus ſcribere & legere ſolent: quæ ſcribendi ratio ex quinque ſcripturæ generibus, penes diverſas gentes uſitatis, commodiſſima eſt naturæque convenientiſſima, 1) quia charta, litteris inſcribenda, libere ſic oculis patet; cum contra, ſi inter ſcribendum a ſiniſtra ad dextram pergatur, ſpatium, ubi litteræ exarandæ ſunt, penna ac manu ſcribentis tegatur. 2) Hoc modo ſpatium, ſingulis vocibus neceſſarium, accuratius metiri licet, ne eas in fine linearum dividere opus ſit. 3) Manus dextra honoratior eſt, ideoque in ſcribendo recte præcedit. Quæ SCALIGER, VOSSIVS, ANGELVS ROCCHA, WALTONVS, BECANVS, HERM. HUGO aliique contra illum ſcribendi *ordinem* excipiunt, tanti non ſunt, ut iure meritoque taxandus ſit. Conf. PFEIFFERVS in *Introduct. in Orient.* Diſſert. III. quæſt. 4. LOESCHERVS de *Cauſis ling. Hebr.* L. II. c. 1. HELMONTIVS in *Alphabeto Natur.* Colloq. VI. p. 91. ſeq. SCHÆVIVS in *Diſſertat. Philolog.* VII. quæſt. 10. MORINVS de *lingua prim.*

p. 14. ſeq. & I. I. SCHVDT de *genio & indole linguæ S.* c. 3. Ex ipſo vero ſcribendi & legendi *ordine* illo, Hebræis recepto, ſponte fluit, Conſonantes Vocalibus, iis vel ad latus ſiniſtrum adſcriptis vel ſubſcriptis, inter legendum præmitti: unde nec *Patach Furtivum* excipiendum eſt, quod vulgo ante Conſonantem ſuam legitur; cum tamen loco *Scheva Quieſcentis* poſitum, *Syllabam* claudere debeat. Rectius itaque neque ante, neque poſt Conſonantem ſeorſim & diſtincte profertur, ſed ſaltem Conſonantem *Gutturalem*, cui ſubiicitur, ore aperto & cum roncho quodam pronunciandam eſſe indicat.

§. II.

Circa *materiam Syllabarum* in genere & in anteceſſum obſervandum eſt, apud Hebræos nec ſolam Conſonantem, nec ſolam Vocalem conſtituere *Syllabam*, ſed utramque ad eius conſtitutionem requiri. Conſonans enim ſola ad *Syllabam* non ſufficit, quia per ſe muta eſt. Cur vero nec ſola Vocalis apud Hebræos *Syllabam* efficiat, ALHARDVS *de* RAADT de *Punctationis Hebr. natura* Definit. V. §. 1. & H. B. STARCKIVS in *Luce Gram. Hebr.* p. 27. inde derivant, quod Vocalis, utpote nudum punctum, ſic ſola, more plane inconveniente, in linea exiſteret. I. I. SCHVDT vero l. c. c. 4. §. 7. eius cauſam arceſſit a tribus *Moris*, ad conſtitutionem ſingularum *Syllabarum* neceſſariis & ex parte in Conſonantibus comprehenſis. Denique ALTINGIVS in *Fundamentis Punctat. Hebr.* §. 27. cur ſola Vocalis *Syllabam* non abſolvat, exinde fieri credit, quod Vocalis ſine *Spiritu* aliquo efferri nequeat, *Spiritus* autem apud Hebræos per Conſonantes exprimantur. His vero repugnare videntur quædam Textus Hebr. exempla, ubi *Syllabam* conſtituere videntur vel ſolæ *Conſonantes:*

tes: ut אֵת Ier. 38, 16. vel ſolæ *Vocales*, e. g. מַלְךְ 2 Reg. 11, 20. ·· c. 19, 37. &c. Sed anomaliæ iſtæ mera ſymbola ſunt *Variantium Lectionum*; conf. HILLERI *Arcanum Kri & Kethibh* L. I. c. 7. §. 1. & 2. & *Analyſis* noſtra *Lectionum Maſorethicarum, Kethibhan & Krijan vulgo dictarum*, p. 4. & 80.

§. III.

Omnes itaque *Syllabæ* apud Hebræos *Litteris* conſtant & *Punctis*. *Litteræ* vel *Mobiles* ſunt vel *Quieſcentes*. Moventur autem ſive leguntur *Litteræ* ope *Vocalium*: idque vel *immediate*, Vocalibus ſcilicet, Litteris vel *ſubſcriptis* vel ad latus ſiniſtrum proxime *adſcriptis*, ut שָׁנִי; vel *mediate*, mediantibus nimirum *Scheva* eiusque *Vicariis*, ut פְּרִי. *Litteræ Quieſcentes*, i. e. quæ non moventur ſive leguntur, tales agnoſcuntur, quoties *Punctum* aliquod *ſonum moderans* neque ſubſcriptum neque proxime ſequens habent, ut א & י in בְּרֵאשִׁית. Quieſcunt autem א quidem, ה & י in Vocali immediate antecedente, ו autem in Vocali ſibi inſcripta, puta in *Cholem* & *Schurek*. Vt vero quieſcant, Vocales præcedentes quieti earum opportunæ ſint oportet. Requirit itaque א Vocalem longam quamcunque, vel (ֵ), in medio tamen vocis Vocales quoque (-) & (ֶ) admittit. ה ante ſe patitur tres longas, (ֵ), (ָ), (ֹ), & unam brevem (ֶ), in ſolo מַה, ſequente Dageſch Forti *Dachik* vel expreſſo vel implicito, (-). Falluntur ergo Cl. ZENCKELIVS in *Commentar. Gram.* P. I. p. 47. & Doctiſſ. G. S. NICOLAI in *Annotat. ad Grammat. Danz.* p. 29. quorum ille τὸ ה poſt omnes Vocales, excepto *Kamez chatuph*, hic poſt *Chirek longum* etiam quieſcere poſſe, tradunt. Quieſcit ו, uti modo dictum, in *Cholem*

lem & *Schurek*, *Jod* autem in (¨) vel (·), in medio vocum etiam ſubinde in (ᵛ). Quia itaque Litteræ *Quieſcentes* ſic in pronunciatione ſilent, ſæpius etiam in ſcribendo plane omittuntur, implicite quaſi in Vocali præcedente comprehenſæ. Conferri hic poſſunt, quæ hanc in rem diſſerunt HERM. HARDTIVS in *Fundamentis ling. Hebr.* p. 7. ſeq. & I. I. SCHVDT de *genio & indole linguæ S.* c. 5. §. 8. & c. 6. §. 11. Quod ſi autem Litteræ illæ *Quieſcentes* vel potius *Quieſcibiles* neque *Punctum ſonum moderans* ſibi proprium, neque Vocalem antecedaneam opportunam, ſed Litteram *Mobilem* vel ante, vel poſt ſe habeant, tum *Otioſæ* fiunt, nec quicquam ad *Syllabæ* conſtitutionem faciunt, e. g. א in חֵטְא, י poſterius in יָדָיו &c.

§. IV.

Syllabarum materiam porro conſtituunt *Puncta*, eaque tam *ſonum moderantia*, quam *tonum regentia* ſive *Accentus*. *Sonum moderantia*, ut Sect. præced. §. 24. dictum, vel *dominantia* ſunt vel *ſervilia*. *Dominantia* ſunt ipſæ *Vocales*, quæ Litteras movent ſive quarum ope Litteræ leguntur. Poteſt autem Conſonans moveri per unicam tantum Vocalem, ut לוֹ, non לָוֹ; e contrario una eademque Vocalis plures Conſonantes, nec tamen niſi *duas*, ante & poſt ſe movere poteſt, e. g. (-) in וְשַׂמְתָּ, conf. I. I. SCHVDTIVS l. c. c. 5. §. 12. Hinc ſequitur, 1) וַיֶּאֱהָבֵוּ 1 Sam. 18, 1. aliaque ſimilia non eſſe genuinæ *Formæ* vocabula, ſed ſymbola *Variantium Lectionum*. 2) Nomina in ו eſſe *ſingularis Numeri tantum;* alioquin e. g. ab אָחוּ dicendum foret אֲחוּיִם (*achuim*). 3) Hebræos carere *Diphthongis* propric dictis; ſecus ac quidam Grammaticorum veteriorum voluerunt, & inter recentio-

centiores Ioh. Engeström in *Grammatica Hebræo-Bibl.* p. 47. ſeq. quamvis negari nequeat, Jod *Mobile* poſt (ָ), (וֹ), (וּ), (ַ) & (ִ) habere aliquid *Diphthongo* ſimile, conf. Drvsivs de *recta lectione linguæ S.* c. 29-32.. Wellervs in Spicilegio II. *Quæſtionum Hebræo-Syr.* Vossivs in *Ariſtarcho* L. II. c. 2. Pfeiffervs in *Introduct. in Orient.* Diſſ. IV. quæſt. 3. & Schvdtivs l. c. c. 4. §. 10. *Puncta ſervilia*, ad *materiam Syllabarum* referenda, ſunt utrumque *Dageſch*, *Forte* & *Lene*, *Scheva* eiusque *Vicaria.*

§. V.

Dageſch Lene nihil quidem ad τὸ *eſſe*, ſed tamen ad τὸ *bene eſſe Syllabarum* facit, tollendo adſpirationem litterarum בגדכפת, quoties iſta adſpiratio ingrata foret atque pronunciatu difficilior: id quod cuivis facile patebit, qui utramque pronunciationem, *adſpiratam* & *lenem*, iis locis, ubi *Dageſch Lene* inſcribitur, cum invicem contulerit. Fit autem illud tribus potiſſimum caſibus: 1) poſt (וּ) *Quieſcens*; 2) poſt Accentum *Diſtinctivum*, ſive ubi oratio ſiſtitur & hinc legendo ſive loquendo denuo pergitur; 3) in concurſu duarum litterarum *adſpiratarum*, priore *ſchevata*, ut בב, בפ, כב, כפ, ככ, & ſecundum quosdam כג, conf. Danzii *Litterat.* p. 111. Idem etiam accidit apud Græcos, more tamen diverſo. Vbi enim in lingua Græca 1) una eademque littera *adſpirata* duplicatur, prioris adſpiratio perit, ut *κάτθανε*, *κάπφαγε*, *κακχεῦσαι*, pro *κάθθανε*, *κάφφαγε*, *καχχεῦσαι*, &c. 2) Etſi litteræ *adſpiratæ* ſe immediate non tangant, tamen prior in *tenuem* mutatur, ut *τρέφω* pro *θρέφω*, *τίθημι* pro *θίθημι* &c. In quibus ſingulis euphoniæ ratio habetur. Conf. quæ de illa *Dageſch Lenis* euphonia diſſerit Nevmannvs in *Clave domus Heber* P. III. p. 20. ſeq. Exceptiones

a

a tribus illis caſibus, modo adductis, ipſæ quoque ſuis rationibus non carent, quibus tamen brevitatis ſtudio non immorabimur. Circa *Dageſch Forte* conſideranda ſunt tum eius *munus*, tum eius *ſedes*, tum denique eiusdem variæ *ſpecies*. *Munus Dageſch Fortis* triplex eſt: 1) ut geminet litteras; 2) ut easdem ad diverſas *Syllabas* referat, priorem quidem, quam ipſum *Dageſch Forte* exhibet, ad *Syllabam* Vocalis præcedentis, quæ littera ſi ſit ex *Quieſcentibus* & Vocalem antecedaneam quieti opportunam habeat, quieſcit, e. g. in צִיּוֹן *Jod*, in *Dageſch Forti* latens, quieſcit; alterum vero *Jod* ad *Syllabam* ſequentem refertur. 3) Ut ſimul *Dageſch Lenis* munere fungatur, quoties in litteras בגדכפת cadit, quarum adſpirationem & ipſum tollit.

§. VI.

A prima triplicis illius *muneris Dageſch Fortis* parte recedit vox שְׁתַּיִם, ubi *Dageſch Forte* litteram ת non geminat, ideoque a nonnullis potius pro *Dageſch Leni* habetur, qui in lectione litteræ שׁ præmittendum eſſe אֶ vel אִ præcipiunt, qua *Forma* hæc vox apud Arabes venit; & veteres Hebræos ſic quoque legiſſe, teſtis eſt DAV. KIMCHIVS in *Michlol*, conf. SCHVDTIVS l. c. c. 9. §. 6. DANZIO vero in *Litterat.* p. 103. ſeq. *Dageſch* illud neque *Forte* eſt neque *Lene*, ſed ſaltem litteræ ת inſcriptum videtur ad tollendum eius *ſibilum*, quo a Iudæis efferri ſolet, quoties *Dageſch* deſtituitur, (conf. Sect. præced. §. 11.) quia iam alia littera *ſibilans*, שׁ, præcedat. Sed excipi poſſet: cur non etiam alibi *ſibilus* ille tollitur, e.g. in שְׁתֵי? SIXTINVS AMAMA de *recta lectione linguæ S.* p. 42. *Dageſch* plane *extraordinarium* eſſe putat, Syncopen litteræ נ tantum inſinuans, cui &

PFEIF-

Pfeifferus in *Introduct. in Orient.* Diſſertat. III. quæſt. ult. ſuffragari videtur, & nos quoque ſuffragari non dubitamus, ſymbolum potius ſubeſſe *Variantis Lectionis* coniicientes, a Maſorethis poſterioribus additum, quo vox שְׁתַּיִם etiam שְׁנַיִם legi poſſe intelligatur. Conſtat enim, *Numeralia* a *tribus* usque ad *decem* ſub terminatione *maſculina* Generis eſſe *Fœminini* & vice verſa. Maſorethæ itaque ſic ſe quoque habere voluerunt numerum *binarium*, adeoque in Genere *Fœmin.* dicendum eſſe שְׁנַיִם, cuius *Puncta* revera ſubſtrata ſunt alteri terminationi שתים, alioquin iuxta analogiam ſic punctandæ, שְׁתַּיִם, per Syncopen pro שְׁנְתַּיִם. Cur vero irregularis illa punctatio ſive ſymbolum *Variæ Lectionis* in *Kri* marginali non notetur, eius cauſam eſſe putamus, quod ſemper ita ſcriptum legatur: qualia vocabula Maſorethæ non annotant, e. g. יִשָּׂשכָר nunquam notatatur, quia ſemper ſic ſcriptum occurrit. Doctiſſ. G. S. Nicolai ſententia in *Annotat. ad Grammat. Danz.* p. 88. quaſi ſit *Dageſch Lene Euphonicum*, inſcriptum, ne Conſonantes iuſto plures ante Vocalem occurrant, eadem difficultate premitur, qua Danzii aſſertum laborat. A ſecunda triplicis *muneris Dageſch Fortis* parte abeunt voces, quarum litteris ultimis *ſchevatis Dageſch* illud inſcribitur, ut אַתְּ, כָּרַתְּ &c. ubi ת poſterius per accidens & vocem & *Syllabam* terminat.

§. VII.

Sedes Dageſch Fortis vel *propria* eſt vel *impropria*. *Propria* eſt in medio vocis; *impropria* vero, quoties litteris vocum initialibus inſcribitur, excepto tamen *Vau.* Quidam Grammatici, ut Pfeiffervs in

Metho-

Methodo Hebr. p. 15. DANZIVS in *Litterat.* p. 108. HILLERVS in *Inſtitut. ling. Hebr.* p. 64. STARCKIVS in *Luce Grammat.* p. 55. &c. etiam litteras בגדכפת ſic excipiunt, nixi auctoritate KIMCHII in *Michlol*, cui *Dageſch*, Litteris illis impreſſum, *Lene* eſt, non *Forte*. Eſt autem eiusmodi vox, ubi *Dageſch Forte* ſedem habet *impropriam*, vel *monoſyllaba*, vel *diſſyllaba penacuta*. Singularia ſunt 1) vocabula *polyſyllaba* poſt מַה, & 2) vox *acuta* לֵאמֹר, in Pentateucho aliquoties *Dageſch* eiusmodi *improprio* notata. Occupat vero *Dageſch Forte* primas vocum litteras vel præcedente linea *Makkeph*, ut עֹשֶׂה־פְּרִי Gen. 1, 12. vel ſine illa, ut עֹשֶׂה פְּרִי v. 11. Priori caſu *Dageſch* vocatur דָּחִיק *coarctatum*, *compreſſum*, vel, ut rectius punctatur, דְּחִיק, i.e. *compreſſio, coarctatio;* quamvis alii per *Dachik* ipſam lineam *Makkeph*, vel utrumque vocabulum, per eiusmodi *Dageſch* connexum, intelligere malint. Poſteriori caſu dicitur אָתֵי מֵרַחִיק i. e. *veniens a longinquo:* quia prior vox ſequentem, mediante *Dageſch Forti*, quaſi a longinquo ſecum connectit; ſiquidem inter tonum prioris & inter poſteriorem vocem *Syllaba* intercedit, adeoque utriusque coniunctio minus arcta eſt, neque tam celeriter fit, quam mediante *Dageſch Dachik*. Cæterum ipſum *Dageſch Forte* quadruplicis eſt generis: 1) *Compenſativum* litteræ deficientis, quod merum *ſcribendi* eſt *compendium;* 2) *Characteriſticum* Coniugationum *Dageſſatarum* cum ſuis *Derivatis*; 3) *Præformativum* quarundam *Particularum Inſeparabilium;* 4) *Euphonicum*, quo in ſpecie quoque referendum eſt *Dageſch Dachik* & *Athe merachik*. Reliqua de *Dageſch Forti* Grammaticis relinquimus.

§. VIII.

§. VIII.

Ad *materiam Syllabarum* porro faciunt *Scheva* eiusque *Vicaria*. *Scheva* Conſonantem, cui ſubeſt, refert ad Vocalem vel ſequentem vel præcedentem: priori caſu *Mobile* dicitur, ſemperque *Syllabam* incipit; poſteriori autem caſu vocatur *Quieſcens* ſive *Mutum*, *Syllabam*que claudit. *Scheva Mobile* quatuor locis occurrit, ſecundum verſiculum:

Poſt longam, ſocium, ſub Dages, fronte, movetur.

1) *Poſt longam*, ſcil. *Vocalem*, aut longæ *vicariam*, quæ tunc *Metheg* accipit; 2) *poſt ſocium*, i. e. *poſt aliud Scheva Quieſcens*. *Scheva* tamen *Mobile* ſub litteris vocum finalibus poſt aliud *Scheva Quieſcens* per accidens fit *Quieſcens*, conf. BVXTORFFIVS pater in *Theſauro Gram.* p. 16. & filius ad librum *Coſri* p. 137. ſeq. PFEIFFERVS in *Introduct. in Orient.* p. 78. WELLERVS in *Quæſt. Hebræo-Syr.* Spicileg. I. DRVSIVS *de recta lectione linguæ S.* c. 18. & FERRACCIVS in *Diſſertat. Crit.* XVI. 3) Sub *Dages*, ſcil. *Forti*; 4) *fronte*, i. e. *ab initio vocis*. *Scheva Quieſcens* tribus in caſibus locum habet, iuxta verſum:

Poſt parvam, (Vocalem) *ante aliud, nec non in fine, quieſcit.*

Vtrumque *Scheva* proprie non pronunciari debebat: eſt enim *nota abſentis Vocalis*. Interdum tamen aliter fieri nequit, quin (ְ) *Mobile* quodammodo efferatur, quotiescunque duæ Conſonantes ab initio *Syllabæ* non niſi ſono quodam intermedio combinari poſſunt, e. g. in גְּדִי. Sonus ille intermedius proxime ad *e* breve accedit. Veteres tamen Hebræi *Scheva Mob.* paulo aliter pronunciarunt: ut 1) ante Litteras *Gutturales*, fere ut ſequentem Vocalem, *Gutturalibus* illis ſubiectam; 2) ante *Jod* ſine *Chirek*, fere ut *i*; 3) alibi fere ut *a*. Plura de *Scheva* dabunt MICH. LIEBEN-

BENTANZ & P. S. HOFFIVS in peculiaribus Diſſertationibus de *Scheva Hebræorum*. Quod concernit *Schevaim Compoſita*, ea ſemper ſunt *Mobilia*, cumque ex gemina conſtent figura, ex (:) ſcil. *Simplici* & *figura Vocalis*, figura Vocalis indicat, litteras, quibus *Schevaim* illa ſubſunt, ore aperto ſive hiatu oris, gradu ſaltem differente, pronunciandas, (:) autem, non eſſe veras Vocales. Contra vero *Patach*, *Furtivum* dictum, magis cum *Scheva Quieſcente* convenit, quia *Syllabam* ſemper claudit. Denique & *Accentus* ad *Syllabarum materiam* faciunt. Nam 1) compenſant *Quantitatem* ſive *Moram*, Vocali brevi deficientem; 2) fulciunt Vocalem longam in *Syllaba Compoſita*; 3) indicant, ubi figendus ſit *tonus*. In ſpecie *Accentus Euphonicus Quantitatem* Vocalis longæ, ultra penultimam a tono remotæ, ſuſtinet.

§. IX.

Sequitur iam *Syllabarum Quantitas*, ubi in genere tenendum eſt, apud Hebræos omnes *Syllabas* eſſe longas: cuius rei non alia cauſa ſuppetit, quam *Syllabarum* uniformitas, ſingulis vocum Biblicarum exemplis confirmata. Exinde vero ſponte fluit, Vocalem brevem cum Conſonante, *Syllabam* incipiente, non abſolvere *Syllabam*, niſi producatur. Quæ ut diſtinctius & quodammodo artificioſe demonſtrari poſſent, IAC. ALTINGIVS (r) in *Fundament. Punctat. Hebr.* §. 10. & 11. ſingulis Vocalibus, iisque ſolis, certum quoddam *Tempus* ſive *Moram* in pronunciatione aſſignavit,

(r) Falluntur itaque I. G. HOCHEISEN in Diſſert. de *Hebræorum Vocalibus earumque in perficienda Syllaba valore atque officio* §. 10. & CARPZOVIUS in *Critica S. V. T.* p. 197. qui DANZIVM huius rei primum inventorem faciunt. Conf. quoque Celeb. HEVMANNI *Poecile* T. III. p. 636. not. (u).

gnavit, longis quidem *geminum Tempus* ſive *integram Moram*, brevibus autem *unum Tempus* ſive *dimidiam Moram*, conf. ſupra Sect. II. §. 24. Contra vero DANZIUS etiam Conſonantibus *Moram* tribuit, ſingulasque *Syllabas* tribus *Moris* abſolvi voluit, quarum unam Conſonans, *Syllabam* inchoans, ſecundam vero & tertiam Vocalis contineat. Neque id immerito: Conſonantes enim æque ac Vocales ad conſtitutionem *Syllabæ* faciunt, & in pronunciatione Conſonantium, haud ſecus ac Vocalium, *temporis* quoddam ſpatium conſumitur. Equidem IOH. CONR. SCHWARZIUS in *Novis Miſcellaneis Lipſienſ.* Vol. IV. P. IV. p. 629. ſeq. Celeb. F. C. STIEBRITZ in *Append.* ad I. H. MICHAELIS *Grammaticam Hebr.* p. 13. ſeq. Doctiſſ. I. D. MICHAELIS in *Grammat. Hebr.* p. 18. ZENCKELIUS in *Commentar. Gram. ling. Hebr.* P. I. p. 83. ſeq. aliique, multa, a Cl. G. S. NICOLAI in *Annotat. ad Gram. Danz.* p. 56. ſeq. in unum congeſta, contra *Moras* illas excipiunt. G. C. STELLWAGE autem in *Coroll.* I. ad Diſſert. de *vitio ſubreptionis*, in univerſum ſaltem non valere illam hypotheſin cenſet. Quia tamen ex ipſo illo *Principio* pleræque *Punctorum* mutationes explicari poſſunt atque demonſtrari, tam diu illud aſſeruandum eſſe iudicamus, donec quis aliam & commodiorem & certiorem rationem phænomena illa explicandi invenerit; conf. I. P. SCHWARZII Diſſert. de *perfectione linguæ Hebr. quoad Syllabas.* His ſuppoſitis, I.) nuda *Vocalis Syllabam* abſolvere nequit: quia, etiamſi Vocalis *longa* ſit, tamen duas tantum *Moras* habet, adeoque Conſonans, *Syllabam* incipiens & ipſa unam *Moram* continens, accedat oportet. II.) *Conſonans* cum *Vocali brevi Syllabam* non perficit: quia Vocalis *brevis* unam tantum *Moram* habet, ideoque *Mora* tertia deficiens, ſi *Syllabæ* valor ſuus conſtare debet, alia

K ratio-

ratione compenſanda eſt. Fit autem illud per ſex *Complementa Temporis* deficientis, ut ALTINGIVS vocat: quæ ſunt 1) Littera *Mobilis expreſſa*, brevi Vocali in eadem *Syllaba* ſuperaddenda; 2) Littera *Mobilis* in *Dageſch Forti* latens; 3) Littera *Mobilis* implicite in Vocali brevi contenta, ob excluſum ſine compenſatione *Dageſch Forte*; 4) Littera *Quieſcens*; 5) Accentus *Tonicus*, & 6) Accentus *Euphonicus*.

§. X.

Hic vero difficultates & dubia quædam ſe offerunt, quibus vulgo univerſum *Principium Morarum* evertere tentant. Nam 1) ו *initiale* non ſolum *Syllabam* incipit, ſed quoque abſolvit: quomodo & (·) in יְרוּשָׁלַם *Syllabam* inchoare videtur; 2) *Complementum Temporis* deficientis tertium non bene concipi poteſt; 3) ſæpiſſime in eadem *Syllaba* plures *Moræ* ſuperfluæ concurrunt. Ad ו *initiale* quod attinet, difficultas, illud circumſtans, diverſimode ſolvi ſolet. Quidam Grammaticorum ו illi in pronunciatione א præmittendum eſſe volunt, provocantes ad ABRAHAMVM *de* BALMES in מקנה & ad DAV. KIMCHIVM in *Michlol*, qui Iudæos Tiberienſes ſic legiſſe diſerte teſtantur. Alii, ut BVXTORFFIVS in *Theſauro Gram.* c. 21. p. 551. HILLIGERVS in *Summario linguæ S.* p. 11. PISTORIVS in *Enchiridio ling. S.* p. 24. HILLERVS in *Inſtitut. ling. S.* p. 44. & 55. & in *Onomaſtico S.* p. 691. NEVMANNVS in *Clave domus Heber* P. I. p. 31. RAVIVS in *Delineat. Analogiæ & Orthographiæ Hebr.* p. 18. Auctor *Examinis Grammaticæ Danzianæ* Sect. I. §. 2. aliique ו in וּ *Mobile* eſſe putant: ut adeo *Schurek* quaſi defective ſcriptum ſit pro וּו. Conf. PFEIFFERI *Introduct. in Orient.* Diſſert. IV. quæſt. 6. STARCKII *Lux Gram. Hebr.*

Hebr. p. 29. & SCHVDTII Commentar. de *genio & indole linguæ S.* p. 53. Quæ ſententia tolerabilior eſt, quam quod PISTORIVS l. c. p. 93. IOH. BÖHEMVS in *Gram. Hebr.* p. 27. WASMVTHVS in *Hebraiſmo reſtituto* p. 6. Cl. C. G. HASE in *Gram. Hebr.* p. 30. I. F. NEVNHOEFERVS apud Doctiſſ. I. G. BIDERMANNVM in *Actis Scholaſt.* Vol. I. p. 170. ſeq. &c. *Schurek* illud initiale Vocalem *brevem* eſſe contendunt. Sed 1) *Syllabam* per ſe abſolvit, ut videre eſt ex Accentuatione, e. g. וּפִי Pſ. 51, 17. 2) *Scheva*, ſi quod ſequitur, *Mobile* eſt, non *Quieſcens;* alioquin *Dageſch Lene* poſt ſe haberet, e. g. וּבְדֶרֶךְ *u-bhederech*, non וּבְּדֶרֶךְ *ubb-derech*, ut recte monet SIXTINVS AMAMA de *recta lectione linguæ S.* c. 7. Vox autem יְרוּשָׁלַםִ ſymbolum continet *Variantis Lectionis*, ſecundum litteras legenda יְרוּשָׁלֵם, ſecundum *Puncta* vero יְרוּשָׁלַיִם; quamvis a Maſorethis per *Kri* marginale non notetur: quia fere ſemper ſic ſcripta occurrit. In genere enim obſervandum eſt, omnia vocabula Biblica, quæ habent *Litteras & Puncta* incongrua, habenda eſſe pro *Variantium Lectionum* ſymbolis. Secunda difficultas, qua *Principium* de *Moris* premitur, concernit *Complementum Vocalis brevis* ante Litteram *Gutturalem*, e. g. in אֶחָד: in cuius generis exemplis quidam Grammatici *Dageſch Forte*, in Littera *Gutturali* implicitum, ſtatuunt; quæ tamen ſententia vel ideo conſiſtere nequit, quia Litteræ *Gutturales Dageſch Forte* non admittunt. Alii vulgarem illum canonem Grammaticum huc applicant: *Punctum alternans ſequitur naturam eius, pro quo alternat;* ſiquidem Vocalis *brevis* caſu illo in *longam* producenda erat, adeoque pro *longa* alternat, ſicut

e. g. (ׁ) ſæpius pro ו poni ſolet eoque caſu pro Vocali *longa* habetur. Sunt quoque, qui Accentum *Euphonicum*, ſæpius & alibi omiſſum, (conf. Sect. præced. §. 43.) poſt Vocalem *brevem* ſubintelligunt. Probabilior nobis videtur ſententia Auctorum *Grammaticæ Hebr.* Marchicæ p. 30. Vocali *brevi* a ſequentis *Gutturalis* tractu in *Temporis* deficientis *Complementum* quandam accedere *Moram:* quemadmodum eadem de cauſa *Scheva Compoſitum* (ֲ) ante *Gutturales* in (ַ) tranſit, ut ſub ה *Interrogativo* & *Præformante Hiphil*, ſequente Littera *Gutturali*, conf. ZENCKELII *Commentar. Gram. ling. Hebr.* P. II. p. 265. 266.

§. XI.

Ut igitur Vocali *brevi* ante *Gutturales* ſubinde *Mora* quædam deeſſe videtur: ſic contra ſæpiſſime alibi *Mora* una atque altera ſuperflua eſt, ſive plures quam tres *Moræ* in eadem *Syllaba* concurrunt. Nam 1) frequentiſſime *Syllaba* eadem a duabus Conſonantibus *Mobilibus* incipit, ut פְּרִי. Quod ſi itaque Conſonanti alteri una *Mora* tribuitur, etiam altera *Moram* unam habere concipienda videtur. DANZIUS hoc caſu priori Conſonanti peculiarem *Moram* non aſſignat: quemadmodum nec apud Latinos *Syllaba* fit productior, ſive ab una, ſive a duabus Conſonantibus incipiat; conf. quæ hanc in rem diſſerit Cl. G. S. NICOLAI in *Annotat. ad Gram. Danz.* p. 52. Exinde tamen Celeb. I. D. MICHAELIS in *Gram. Hebr.* p. 14. infert, doctrinam de *Moris* ſic potius inſtituendam eſſe, ut cuivis *Syllabæ*, præter Conſonantes initiales, tribuantur duæ *Moræ*, nec in univerſum plures ſtatuantur *Moræ*, quam *duæ*, ad ſingulas *Syllabas* neceſſariæ. Totidem certe *Tempora* ALTINGIUS ad *Syllabam* requirit. 2) Sæpe poſt Vocalem *longam*, ubi *Syllaba* *Moras*

Moras habet ſufficientes, etiam *Accentus* vel Littera *Quieſcens*, vel utrumque ſimul, ſuperadditur. 3) Frequentiſſime uni *Complemento Moræ* deficientis alterum non neceſſarium adiicitur. Unde apparet, gemino caſu illo locum habere *Moras* ſuperfluas; neque tamen *Syllabam* ſic fieri longiorem: ſicut e. g. apud Græcos ὡς in λεὼς non magis producitur, quam ὼ in λεώ. ALTINGIVS in *Fundament. Punctat. Hebr.* §. 31. *Syllabam* ſic quidem fieri *auctiorem*, non vero *perfectiorem*, iudicat. Non raro quoque 4) Vocalem *longam* in eadem *Syllaba* Conſonans *Mobilis* ſequitur, ſive *expreſſa* ſive in *Dageſch Forti* latens; quem concurſum Hebræi non ferunt: quia ſic Vocalis *longa* aliquid de *Mora* ſua amitteret, durius quippe ad Conſonantem *Mobilem*, inſtar ſoni ad parietem, alliſa. Quod ſi igitur Vocali *longæ* ſuus valor ſic conſtare debet, tunc ea munienda eſt & fulcienda Accentu *Tonico* vel *Euphonico*. DANZIVS quidem in *Litterat.* p. 143. difficultatem illam exinde derivat, quod plures *Moræ* in eadem *Syllaba* concurrant, quam uno halitu comprehendi poſſent commode. Sed tamen *Accentus*, inſuper accedens, *Moras* non minuit, ſed potius auget. Quod ſi vero nihilo ſecius Vocalis *longa* occurrat, *Accentu* non ſuffulta, ea habenda eſt pro *brevi*, ut in הֲמִיתִיו, הוּכָה &c. cuius rationem hanc reddit LVDOVICVS *de* DIEU in *Gram. Harmon.* p. 44. 45. quod *Matres Lectionis* אוי, pro Vocalibus tam *brevibus* quam *longis* ſtantes, in eiusmodi exemplis contra analogiam aſſervatæ fuerint; conf. Sect. II. §. 17. Repugnare quoque videtur עֲדָיִים Ezech. 16, 7. ut vulgo legitur; ſed rectius editiones *Bragadina* de an. 1628. & *Halenſis* b. I. H. MICHAELIS habent עֲדָיִים, nixæ analogia Nominum plur. & auctoritate RASCHII,

 qui

qui ſimiles *Formas acutas*, צְבָיִים , גְּדָיִים &c. confert. Ex ipſo illo fundamento diſcrimen quoque inter *Kamez longum* & *Kamez chatuph* præcipue petendum eſt, de quo pluribus Sect. ſeq. §. 3.

§. XII.

Reſtat *Forma Syllabarum*, qua vel *Simplices* ſunt vel *Compoſitæ*. *Syllaba Simplex* dicitur, quæ vel in Vocalem vel in Litteram *Quieſcentem* deſinit, ſive *una* ſive *duplex* Conſonans *Mobilis* Vocalem illam præcedat, ut בְּרֵא in בְּרֵאשִׁית. *Compoſita* eſt, quæ vel in *unam* Conſonantem *Mobilem*, ſive expreſſam, ſive per *Dageſch Forte* exhibitam, vel in fine vocis etiam in *duas* Conſonantes *Mobiles* terminatur, ut שִׁית in בְּרֵאשִׁית. Univerſam hanc de *Syllabis* doctrinam ALHARDVS *de* RAADT in Commentario de *Punctationis Hebr. natura* & I. I. SCHVDT in Commentar. de *genio & indole linguæ S.* prolixe pertractarunt atque demonſtrarunt, quo harum rerum cupidos amandamus.

SECTIO

SECTIO IV.

DE
MVTATIONE PVNCTORVM
GENERALI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Sectio IV.

DE MVTATIONE PVNCTORVM GENERALI.

§. I.

In lingua Hebr. omnem fere paginam facit *mutatio Punctorum*: quam qui bene noverit, næ! ille de graviſſimis Grammatices Hebr. difficultatibus feliciter ſuperatis gloriari iure meritoque poterit. Eſt autem illa *Punctorum mutatio* vel *generalis* vel *ſpecialis*. *Generalis* eſt, quæ ad ſingulas *Orationis Partes* ex æquo ſpectat, adeoque ſeparatim & ante ipſas *Partes Orationis* recte ſic pertractatur. *Mutatio Punctorum ſpecialis* eſt, quæ hanc vel illam *Orationis Partem* in ſpecie concernit. Dantur quidem multæ quoque *mutationes litterarum*; quæ vero cum omnes ſint *ſpeciales*, ad ſingularum *Partium Orationis* tractationem reſervandæ ſunt. Hic *mutationem Punctorum generalem* explicaturis, tria nobis occurrunt: 1) *mutationis illius cauſæ*; 2) quænam *Puncta mutationi* obnoxia ſint? 3) *mutationis modus* & *ratio*. *Cauſæ mutationis Punctorum* in genere a linguæ Hebr. eiusque *pronunciationis genio* atque *indole* derivandæ ſunt, in ſpecie autem 1) ab *indole* & *natura* quarundam *litterarum*; 2) a *Syllabarum ratione*; 3) a *pronunciatione* & *conſtructione integrarum vocum*. Quæcunque hinc explicari nequeunt, Grammatici ut plurimum *euphoniæ* tribuunt.

§. II.

A *natura* ac *indole litterarum* arceſſendum eſt, 1) cur א & ה, in fine vocum quieſcentes, pro (-) ſibi (ָ) præmittant, quæ Vocalis longa earum quieti accommodatior eſt, quam brevis (-), ut בָּרָא pro בָּרַא. 2) Cur *Gutturales* multa habeant ſibi peculiaria. Sic enim ה *mobile* & *radicale*, ח & ע, *Patach* tam *ante*, quam *poſt* ſe amant; quia ore maxime aperto proferendæ ſunt, cui pronunciationi commodiſſima eſt Vocalis *a*: ut לַהַב, זַעַם, דַּעַת, pro לֶהֶב, זֶעֶם, דֶּעֶת &c. Eædem Litteræ *Gutturales* gaudent *Scheva Compoſito*, & quidem loco *Scheva Simplicis Mobilis* ſemper, loco vero *Scheva Quieſcentis* frequentiſſime: cuius rationem explicat NEVMANNVS in *Clave domus Heber* P. III. p. 61. ſeq. Huc etiam pertinet *Patach Furtivum*, quod *Gutturales*, ה *mob.* & *rad.* ח & ע, loco *Scheva Quieſcentis* poſtulant: eæque non tantum vocum *ultimæ*, ut רוּחַ pro רוּחְ, ſed etiam *penultimæ*, ante ultimam *ſchevatam*, ut יִחַדְּ pro יִחְדְּ Exod. 18, 9. Cauſam, cur non etiam ſub א locum habeat *Patach Furtivum*, exponit G. C. BOHNSTEDT in *Analectis Grammatices Hebr.* p. 55. Eiusmodi *Scheva Compoſitum* interdum quoque litteræ *nongutturales* adſciſcunt, idque, iudice HILLERO in *Inſtitut. ling. S.* p. 38. ſeq. vel ad inſinuandam Vocalem *originariam*, vel ut *Scheva*, quod alioquin *Quieſcens* ſive *Mutum* foret, *Mobile* fiat; conf. idem NEVMANNVS l. c. p. 64. Denique & *Gutturales Dageſch Forte* reſpuunt; cuius cauſa ex mente BVXTORFFII, NEUMANNI aliorumque eſt, ne *Gutturalium* illarum confuſio exoriatur: א enim ſi per *Dageſch Forte* geminaretur, in ח abiret, ה vero ge-

minatum ח, & hoc denique duplicatum ע fieret. Quam tamen ratiunculam veluti levem ſuis auctoribus relinquit Chr. Mündenvs in Diſſert. de ה *Demonſtrativo* §. 7. Alii, ut Alhardvs *de* Raadt, Altingivs, Danzivs, Herm. Hardtivs, Starckivs, Zenckelivs, Mündenvs l. c. cauſam in eo quærunt, quod *Gutturales* iam per ſe pronunciatu ſint difficiles, quæ pronunciationis difficultas, inſcripto *Dageſch Forti*, magis augeretur: quemadmodum & apud Latinos eadem de cauſa littera H nunquam geminatur. Ratio vero, a Cl. Meinero in *Gram. Hebr.* p. 64. allata, quaſi *Gutturales* in fine *Syllabæ*, ſive cum alia Conſonante antecedanea, non poſſe ſimul efferri, omni fundamento caret, reclamantibus quippe innumeris exemplis, e. g. הֶעֱלִים. Occurrunt tamen quatuor voces, in quibus א *Dageſch Forti* duplicatum creditur, ut Gen. 43, 26. Levit. 23, 17. Iob. 33, 21. Eſr. 8, 18. Hillero autem in *Inſtitut. ling. S.* p. 67. punctum, τῷ א inſcriptum, non eſt *Dageſch Forte*, ſed ſymbolum *Variantis Lectionis*, ſubindicans duplicem lectionem, e. g. רָאוּ & רָאִיו. Aliter quoque ſentit Zenckelivs in *Commentar. Gram. ling. Hebr.* P. I. p. 172. *Gutturalibus* hac in parte ſuppar eſt littera ר, quæ & ipſa *Dageſch Forte* reſpuit: cuius cauſa alia non eſſe videtur, quam κακοφωνία & difficultas pronunciationis litteræ illius *caninæ*, (ut vulgo dicitur,) ceu videre eſt in infantibus; unde & veteres Braſiliæ & Peru incolæ a geminatione litteræ R abſtinuerunt, obſervante Relando in *Diſſert. Miſcell.* P. III. Diſſ. XII. §. 17. quod idem Wallisivs in Proœmio *Grammatices Anglican.* etiam de aliis gentibus Americanis teſtatur. Grœnlandi vero & Sinenſes litteram R omnino neſciunt. Attamen ר Hebræorum aliquoties *Dageſch*

Dageſch Forte accepit, ad indicandam pronunciationis vel affectus *vehementiam*, ut 1 Sam. 1, 6. c. 10, 24. Prov. 14, 10. &c. conf. ZENCKELIVS l. c. p. 170. 171.

§. III.

Porro etiam a *conſtitutione* & *natura Syllabarum* plurimæ *Punctorum mutationes* dependent. Sic enim I.) Vocalis brevis, cuius *Mora* deficiens per *Complementum* quoddam non compenſatur, vel plane abiicitur, vel in longam producitur, ut in עֲבָדִים pro עֲבֶדִים. II.) Vocalis longa in *Syllaba Compoſita*, non fulta Accentu, corripitur ſive in brevem abit, ut עָזְּ pro עֹזֵּ, conf. Sect. præced. §. 11. Indidem discrimen inter *Kamez longum* & *Kamez chatuph* facile liquet. Omne enim *Kamez* in *Syllaba Compoſita*, Accentu non munita, breve ſit oportet: quia *Kamez longum* ſic conſiſtere nequit. Vulgo quidem excipiunt plur. בָּתִּים, eiusque (ָ) *longum* eſſe volunt; qua tamen exceptione opus non eſt, ſi ponatur ſing. inuſitat. בֹּת, contract. vel ex בֹּנֶת, ut בַּת ex בֶּנֶת, a בנה, vid. *Arcanum* noſtrum *Formarum Nom. Hebr.* p. 342. vel potius ex בֹּתֶת, (ad Formam בֹּשֶׁת,) a בות, unde & alter ſingularis בַּיִת: ut adeo *Dageſch Forte* ſit *Compenſativum* alterius ת deficientis; non vero *Euphonicum*, ut ALTINGIO placet in *Fundament. Punctat. Hebr.* §. 49. Aliorum ſententias, longius petitas, lubentes omittimus. Neque etiam exceptionem hic faciunt exempla, in quibus Accentus, Vocali (ָ) appoſitus, pars eſt Accentus *Compoſiti*, e. g. חָנֵּנִי Pſ. 4, 2. Maiori vero iure excipiuntur 1) vocabula, in quorum ultima eſt (ָ), in ſequente autem voce *Dageſch Dachik*

Dachik vel *Athe merachik*, ut Gen. 31, 13. Pſ. 120, 6. &c. 2) exempla quædam, ubi analogia *Kamez chatuph* requirit, & tamen adeſt Accentus, ſive *Tonicus*, ut Pſ. 35, 10. Iud. 19, 5. conf. I. I. SCHVDT de *genio & indole linguæ S.* c. 7. §. 3. ſive *Euphonicus*, ut Pſ. 30, 4. Pſ. 38, 21. & ſec. quosdam Pſ. 16, 1. 1 Sam. 24, 11. Obad. v. 11. conf. DANZII *Litterat.* p. 85. ſeq. & BVXTORFFII *Theſaurus Gram.* p. 515. ſeq. Sunt, qui etiam *Particulam* אָנָּה excipiunt leguntque *anna*, ut WASMVTHVS in *Hebraiſmo reſtit.* p. 35. MAIVS in *Gram. Hebr.* p. 12. &c. Eſt & præterea *Kamez* illud *breve* ſive *Kamez chatuph*, quod vel ante (ֳ) ponitur, ut in מָעֳמָד; vel ex (ֳ) ante aliud *Scheva Simplex* per *Conciſionem*, ut vocant Grammatici, exoritur, ut in תָּעָבְדֵם ex תָּעֳבֵד. Equidem nonnullis (ָ) ante (ֳ) ſub *Præfixis* וכלב pro *longo* habetur; alii vero id rectius reſtringunt ad ſola *Præfixa* כלב, quoties hæc *Articulum* ה, per (ָ) *longum* præfixum, excludunt, ut in בָּאֳהָלִים *baohalim*, ſi eſt pro בְּהָאֳהָלִים *behaolahim*. Fallitur itaque Doctiſſ. C. G. HASE in *Gram. Hebr.* p. 22. *Kamez chatuph* nunquam in *Syllaba Simplice* occurrere aſſerens. Quia tamen diſcrimen illud inter *Kamez longum* & *breve* ſive *Kamez chatuph* tironibus multum negotii faceſſit, in eorum gratiam Cl. ZENCKELIVS in *Commentar. Gram. ling. Hebr.* P. I. p. 99. ſeq. catalogum omnium vocum Hebr. & Chald. in quibus (ָ) *breve* eſt, exhibet; in Bibliis autem Hebr. Venetiis an. 1639. cum notis R. IACOBI l'VMBROSO editis, eadem vocabula ſuperne *aſteriſco* notata ſunt: quod certe conſultius eſt, quam ſi *Kamez chatuph* ſcribatur per (ֳ), de qua ſcriptione vid. ſupra Sect. II. §. 24. III.) Duo *Schevaim* concurrentia mutationem ſubeunt: ut 1) cum

Scheva

Scheva Simplex Mobile ante aliud *Scheva Mobile*, ſive hoc ſit *Simplex* ſive *Compoſitum*, in Vocalem abit, e. g. לִשְׁמֹר pro לְשְׁמֹר , בֶּאֱנֹךְ pro בְּאֱנֹךְ &c. quia una Vocalis non plures, quam *duas* Conſonantes, ante ſe movere poteſt, conf. Sect. præced. §. 4. 2) Cum *Scheva Mobile* poſt aliud *Scheva*, in Vocalem brevem mutatum, *Quieſcens* evadit, e. g. *Scheva* ſub שׁ in לִשְׁמֹר : quia Conſonantem ſuam, tanquam *Complementum Moræ*, præcedenti Vocali brevi deficientis, ad hanc Vocalem referre debet. 3) Cum *Scheva Compoſitum* ante aliud *Scheva Simplex Mobile* mutatur, vel in *Vocalem*, e. g. in נֶהֶפְכָה ex נֶהֱפְכָה ; vel in *Scheva Simplex Quieſcens*, ut in נֶהְפְּכוּ ex נֶהֱפְכוּ : quia, uti modo dictum, una Vocalis non niſi *duas* Conſonantes ante ſe movere poteſt.

§. IV.

A *pronunciationis* Hebræorum *natura* & *integrarum vocum conſtructione* non minus complures *Punctorum mutationes* dependent. Hebræi conciſe ac celeriter loqui amarunt, ideoque in loquendo removerunt, quicquid celerem ſermonis fluxum quodantenus ſufflare poſſet. A *concitata* itaque Hebræorum *pronunciatione* illa derivandum eſt, quod I) omnia vocabula, quantum fieri poteſt, abbrevientur, maxime quæ ultra duas Syllabas accreſcunt, abiecta vel Vocali longa *antepenultima* & ulteriore a tono: quia ſic iuſto longius a tono remota, *Moræ* ſuæ partem aliquam amitteret, ut in דְּבָרִים pro דָּבָרִים ; vel Vocali longa *penultima*, ſi Vocalis *antepenultima* immutabilis ſit, nec ſine *Formarum* vocum confuſione commode abiici queat, ut in פּוֹקְדִים pro פּוֹקֵדִים. II.) Quod *Puncta* ſubinde

contra-

contrahantur: ut (ֱ) in (ֵ), e. g. in מוֹצֵאת pro מוֹצֵאֶת; (ֲ) in (ַ) & (ֱ) in (ֵ), ut in לַאדֹנָי pro לַאֲדֹנָי, לֵאמֹר pro לֶאֱמֹר &c. III.) Quod *Scheva Compoſitum* interdum in *Simplex* redeat, ut in הֶעְלִים pro הֶעֱלִים. IV.) Quod *Dageſch Forte* aliquando excidat, maxime ex litteris *ſchevatis*, ut in כֻלְּכֶם pro כֻּלְּכֶם. Ex *pronunciatione* & *conſtructione integrarum vocum* accidit, ùt ſedes toni ſimulque *Puncta* quandoque mutentur. Nam I.) Hebræi duos Accentus *Tonicos*, immediate ſe excipientes, non ferunt, ut ſcil. in conſtructione duarum vocum prior tonum in ultima, ſequens autem eundem in prima Syllaba habeat: quo caſu, niſi corruptio vel confuſio *Formarum* metuenda ſit, neque prioris vocis conditio id reſpuat, huius tonus ex ultima in penultimam retrahitur, ut אֵלֶךְ לִי pro אֵלֵךְ לִי. II.) Ubi *pauſa* eſt ſive *diſtinctio* maior, ibi ſermonis perſpicuitas requirit, ut *pauſa* illa ſive *diſtinctio* etiam ipſa *pronunciatione* inſinuetur: ſicut in aliis quoque linguis fieri ſolet, e. g. in lingua Græca Accentus *Acutus* vocabulorum *Oxytonorum*, alibi in contextu orationis in *Gravem* mutandus, in fine periodi manet; in lingua Germanica vox in fine periodi aliter effertur ac in medio ſermonis, &c. Sic apud Hebræos Accentus *Pauſantes* (ַ) ultimum & penultimum, nec non (ְ) penultimum, in (ָ) producunt, e. g. אָרֶץ pro אֶרֶץ; (ֵ) quoque ultimum Verborum ſubinde in (ַ) mutant. Iidem Accentus *Pauſantes* ex *ultima* ad *penultimam* recedere ſolent: quo caſu 1) ſi non adſit *penultima*, ea ſæpe formatur, mutato (ְ) Nominum *Formæ* פְּרִי & ante Affixum ךָ in (ֶ), (ֳ) autem Nominum *Forma* עֳנִי in *Cholem*, ut לֶחִי, חֹלִי, יִשְׁעֶךָ,

pro

pro לְחִי, חֲלִי, יִשְׁעֲךָ; ſic in Verbis ſimilis *Formæ*, ut יֶחִי pro יְחִי. 2) Vocalis, quæ antea in penultima adfuit, reſtituitur, ut יֹאכֵלוּ pro יֹאכְלוּ.

§. V.

Alios *mutationis Punctorum* caſus, modo non adductos, vulgo ad *euphoniam* referunt; qui tamen accuratius examinati, ſuis rationibus minime deſtituuntur: e. g. *Dageſch Forte* ſubinde inſcribitur, ubi locum non habere videtur, & vice verſa excidit, ubi inſcribendum erat. Neutrum ſua ratione caret. Litterarum enim per *Dageſch Forte* geminatio cum *vehementia* quadam pronunciationis fieri ſolet: hæc autem innuit 1) ipſius actionis *celeritatem*, *ſedulitatem* & *vehementiam*, vid. e. g. Gen. 14, 10. c. 19, 14. Exod. 12, 31. Deuteron. 2, 24. Iud. 20, 31. 32. 1 Sam. 6, 12. &c. 2) rei *magnitudinem* & *certitudinem*, id quod præſertim in *pauſa* locum habet; 3) *vehementem* interrogantis, exclamantis, deteſtantis, indignantis & comminantis *affectum*, qui & ipſi ר aliquoties *Dageſch Forte* impreſſit, conf. DANZII *Litterat.* p. 116. e.g. in לָמָּה, אָנָּה &c. vid. Gen. 12, 18. Exod. 14, 11. 1 Sam. 10, 24. &c. Contra vero *Dageſch Fortis* omiſſio rei *tarditatem* & *gravitatem* inſinuat, ut Gen. 25, 29. Iud. 20, 15. 17. 1 Sam. 14, 36. 2 Sam. 20, 13. Ruth. 1, 13. &c. vel rei *exilitatem* & *contemtum*: quod maxime fit in Verbis הָתַל, קָלַל & קָבַב. Ut alios caſus taceamus.

§. VI.

Puncta, quæ mutationibus ſubiacent, ſunt partim *ſonum moderantia*, partim *tonum regentia* ſive *Accentus*. Prioris generis ſunt primo *Puncta dominantia* ſive

ſive *Vocales*: e quibus Vocales *breves* ſua natura *mutabiles* ſunt; cum contra *longarum* aliæ *mutabiles* ſint, aliæ *immutabiles*. *Immutabiles* ſunt Vocales *longæ* vel *abſolute*, vel *conditionate*. *Abſolute immutabiles* ſunt *Chirek longum* & *Schurek*; quamvis *Chirek longum* interdum cum (ֻ), *Schurek* autem cum *Kybbuz* alternet. *Conditionate immutabiles* ſunt (ָ), (ֵ) & *Cholem*, idque *in genere*, quoties vel *Dageſch Forte* compenſant, vel *Littera Quieſcens* in iis ſive explicite ſive implieite quieſcit, vel quoties *Formam* vocis conſtituunt; *in ſpecie* autem aliis quibusdam caſibus, de quibus conſulendi ſunt Grammatici. Ex *Punctis ſervilibus* mutationibus ſubiacent *Scheva* eiusque *Vicaria*, ut & *Dageſch Forte*. De mutatione *ſedis* Accentuum dictum præced. §. 4.

§. VII.

Punctorum mutationes illæ diverſimode inſtitui ſolent, ubi ſemper, quoad eius fieri poteſt, *Puncti originarii* habetur ratio, ut ſcil. *Punctum*, ex mutatione exoriens, cum illo quoad ſonum conveniat: ut cum e. g. (ֵ) corripitur in (ֶ), vel plane periens, ſub Gutturalibus in (ֱ) transit &c. Mutantur autem Vocales *longæ* vel *correptione* in *breves*, ut in *Syllaba Compoſita*, Accentu deſtituta; vel *abolitione*, ut quoties vox decurtanda eſt, ubi in earum locum *Scheva* ſuccedit; vel nuda *ſoni alternatione*, ut (ֻ) cum (וּ); (וֹ) cum (ֹ): quo caſu tamen (ֹ) *Quantitatem* Vocalis *longæ* retinet; vel denique *metatheſi*, ut propter א, quod ex Dialecto *Aramæa* non fert ante ſe *Scheva*, e. g. רֵאשִׁית pro רְאֵשִׁית: quo caſu א *quieſcens* evadit. Vocales *breves* ſimiliter mutantur vel *productione*, vel *abolitione*, vel *nuda ſoni alternatione*, vel *contractione* vel *metatheſi*. Mutationes τῶν

Schevaim conſiſtunt partim in *alternatione* ſive *permutatione*, ut *Scheva Mobilis* cum *Quieſcente*, vel *Simplicis* cum *Compoſito*; partim in *productione*, quando in Vocales transeunt. Quæ ſingula exemplis illuſtrare brevitatis ſtudio omittimus. Sunt, qui *mutationem Punctorum generalem* ſingularibus ſcriptis illuſtrarunt: ut G. P. ZVNCKELIVS in Diſſertat. de *naturali methodo permutandi Hebræorum Vocales*, SCHIEFERDECKERVS in *Sciagraphia mutationis Vocalium Hebr.* HENRICVS *a* DIEST in *Clave linguæ S.* ſive *Regulis* XX *de mutatione Punctorum*, MATTH. HAFFENREFFERVS *in Revelatione Punctorum Hebr.* I. E. OSTERMANNVS *de mutatione Punctorum Hebr. generali*, MART. TROSTIVS in Diſſertat. de *mutatione Punctorum Hebr. generali*, &c.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO V.

DE

PARTIBVS ORATIONIS

LINGVAE HEBRAICAE,

SPECIATIM

DE

N O M I N E.

Digitized by Google

Digitized by Google

Sectio V.

DE PARTIBVS ORATIONIS LINGVAE HEBRAICAE, SPECIATIM DE NOMINE.

§. I.

Ex *Syllabis* oriuntur integræ voces, quæ præter *mutationes Punctorum generales* etiam *mutationes ſpeciales* ſubeunt. Sunt autem Hebræis triplicis generis voces ſive tres *Partes Orationis: Nomen*, *Particula* & *Verbum*. Cauſam, cur Hebræi non plures *Partes Orationes* habeant, Vossivs de *Analogia* L. I. c. 1. aliique Grammatici exinde derivant, quod antiquiores Iudæorum Grammatici ea in re ſecuti ſint Arabes, inter quos illi vixerunt & quibus tantum tres ſunt *Partes Orationis*. Veteres quoque Græcos totidem numeraſſe *Partes Orationis*, teſtes ſunt Dionysivs *Halicarnaſſeus* & Qvintilianvs, conſ. Vossivs l. c. Inde Auctor libri *Coſri* demonſtrare vult, omnes linguas ortum ducere ab Hebraica. Longius petita eſt ſubtilitas Spinozæ, qui in *Gram. Hebr.* p. 17. omnes voces apud Hebræos, exceptis paucis quibuſdam *Coniunctionibus* & *Interiectionibus*, *Nomina* eſſe contendit, (conſ. Loeschervs de *Cauſis ling. Hebr.* L. II. c. 8.) ut & Ravii in *Delineat. Orthogra-*

phiæ & Analogiæ Hebr. p. 48. 83. 85. 86. qui Hebræis duas ſaltem *Partes Orationis*, *Nomen* & *Verbum*, tribuit: eo quod omnia *Pronomina* & *Particulæ Separatæ* proprie *Nomina*, *Affixa* autem & *Particulæ Inſeparabiles* meræ ſint Litteræ *Serviles*. Circa *ordinem* trium illarum *Partium Orationis* non convenit inter Grammaticos. Iudæi multique Grammatici Chriſtiani *Verbum* primo loco ponunt: 1) quia *Verbum* reliquarum *Radicem* continet; 2) quia eius tractatio prolixior eſt; 3) quia cognitio *Nominum* maximam partem a *Verbis* dependet. Nos tamen illorum ſententiæ accedimus, qui *Nomini* primum locum tribuunt: 1) quia *Nomen*, *ſubſtantiam* quandam denotans, natura prius eſt *Verbo*, quod tantum *Accidens* quoddam exprimit; 2) quia *Participia*, tanquam pars *Verbi*, flexionem *Nominum* ſequuntur: *Nomina* itaque præcognita eſſe debent; 3) quia integra ſententia conſtare poteſt citra *Verborum* additionem, quorum ellipſes apud Hebræos frequentiſſimæ ſunt, vid. e. g. Pſ. 3, 9. Pſ. 8, 10. Pſ. 18, 31. 32. &c.

§. II.

Primo ergo loco de *Nomine* acturi, circa illud conſiderabimus 1) *notationem*, 2) *Qualitatem*, 3) *Genera*, 4) *Motionem*, 5) *Numeros*, 6) *Caſus*, 7) *Regimen*, 8) *Comparationem* & 9) *mutationes* eius. Ad *notationem Nominis* quod attinet, quæ vocum origines tradit, *Nomen* ſic ratione *Figuræ* vel *Simplex* eſt, ut צֵל *umbra*; vel *Compoſitum*, ut צַלְמָוֶת *umbra mortis*, ex צֵל & מָוֶת; ratione *Speciei* eſt vel *Primitivum*, ut אֹזֶן *auris*; vel *Derivativum*: idque vel *Leve*, deſcendens ex Coniugatione *non-dageſſata*, vel *Grave* ſive *Dageſſatum*, ortum ex Coniugatione *Dageſſata*, ideoque in ſecunda littera radicali affectum *Dageſch Forti*. Utrumque

que, tam *Leve* quam *Grave*, eſt vel *Nudum*, ſolis litteris *radicalibus* conſtans, ut שַׁבָּת ، דָּבָר &c. vel *Auctum*, cui præter litteras *radicales* una atque altera ex litteris *ſervilibus*, ſic dictis *Heemanticis*, adiicitur: idque vel *ab initio*, vel *a fine*, vel *utrinque ſimul*, ut מַשָּׁאוֹן ، פִּדְיוֹם ، מִדְבָּר, a נשא ، פדה ، דבר. *Derivativa* illa deſcendunt a Verbis vel *Perfectis*, vel *Imperfectis*, quæ poſterioris generis *Derivativa* æque, ac ipſa Verba *Imperfecta*, varias habent anomalias. Conſtitutio itaque eiusmodi *Nominis Derivativi*, ratione litterarum *radicalium ſerviliumque Heemanticarum* & *Punctorum*, Grammaticis vocatur *Forma* Nominis, Hebræis מִשְׁקָל i. e. *pondus*. Quod ſi itaque *Nomen* aliquod e. g. *Formæ* eſſe פְּרִי dicitur, illud totidem habere litteras eademque *Puncta*, adeoque ſimilis eſſe conſtitutionis, intelligendum eſt. Hæc doctrina uſum habet plane inſignem: quia exinde non ſolum de *mutationibus*, ſed & de *ſignificationibus Nominum* conſtare poterit. Pauciſſimi tamen Grammatici eam pertractant, vel ſaltem nudas *Nominum Formas* recenſent, de ipſis ſingularum *Formarum notionibus* parum ſolliciti. Atque hæc ipſa cauſa eſt, cur doctrinam illam in *Arcano Formarum Nominum Hebr.* ex inſtituto excutiendam quondam ſumſerimus, ubi, quæcunque hanc in rem dici poſſunt, collecta videas.

§. III.

Ratione *Qualitatis Nomen* vel *Subſtantivum* eſt vel *Adiectivum*. Illud vel *Proprium* vel *Appellativum*. *Adiectiva* Hebræis pauca ſunt: quorum loco utuntur vel *Subſtantivis*, per *Regimen* cum præcedentibus *Subſtantivis* conſtructis, ut *beatitudines viri*, pro *vir beatus*, Pſ. 1, 1 vel *Infinitivis* cum *Præfixo* לְ, ut *pſalmus ad commone*

 facien

faciendum, pro *pſalmus memorialis*, Pſ. 38, 1. vel *Particulis*, ut *teſtis fruſtra*, i. e. *teſtis fruſtraneus*, Prov. 24, 28. Sed hæc potius ad *Syntaxin* pertinent. Sunt autem *Adiectiva* vel *abſoluta*, ut טוֹב *bonus*; vel *relativa*, idque vel ad *numerum*, ut *Numeralia*, vel ad *originem*, ut *Patronymica* & *Gentilia*. *Nomina Propria* ut plurimum in Grammaticis & Lexicis negligi ſolent; cum tamen maximi ſint momenti. Nam 1) multum faciunt ad S. S. intellectum, maxime ubi ad eorum ſignificationem alluditur: omnia enim *ſignificativa* ſunt & impoſitionis ratione minime deſtituuntur. 2) Sunt quaſi ultimæ antiquitatis *documenta* & *diplomata*, ex tot hominibus locisque, in Scriptura S. memoratis, ſola reſidua: unde de hominum *affectibus*, *fatis*, *fide* ac *pietate*, nec non de locorum *conditione* atque *ſitu* conſtare quodammodo poteſt. 3) Eximium *ſubſidium memoriæ* ſuppeditant: ſiquidem eorum ope ſignificationes vocabulorum *Appellativorum* facilius memoria tenentur. Conf. pluribus Præfat. ad noſtrum *Onomaſticum S. V. T.* eiusque Sect. I. §. 17. Cæterum Grammatici obſervant, *Nomina Propria* 1) ex ſe non formare *Verba*; 2) eadem carere *Numero Plurali*; 3) non admittere *Articulum* ה, neque *Affixa*: unde tamen excipiuntur *Patronymica* & *Gentilia*, quæque horum vicem ſuſtinent, (ut הַמְנַשֶּׁה *Manaſſes* pro *Manaſſita*,) quæ *Articulum* non reſpuunt; 4) cum ſequenti *Nomine* non conſtrui per *Regimen*; 5) non moveri in *Fœmininum*, exceptis *Patronymicis* & *Gentilibus*: unde falſa eſt *Nominis* אֲבִי מַלְכָּה Gen. 11, 29. per *Motionem* a maſc. אֲבִי מֶלֶךְ derivatio CHR. ECKMANNI apud I. G. PAGENDARMIVM in *Bibliotheca Lubec.* Vol. VI. p. 271. ſeq.

§. IV.

§. IV.

Genera Nominum duo ſunt, *Maſculinum* & *Fœmininum*, quod utrumque coniunctum conſtituit *Commune.* Hebræi itaque *Genere Neutro* carent, ſicque ſexum rerum *animatarum* ſequuntur, qui tantum vel *maſculinus* eſt vel *fœmineus;* & merito dubitat PFEIFFERUS in *Methodo Hebr.* p. 117. in aliis linguis, quam Europæis, dari *Genus Neutrum.* Conf. VOSSIUS de *Analogia* L. I. c. 9. Loco vero *Neutrius* Hebræi utuntur vel *Maſculino* vel *Fœminino:* quomodo tamen *Subſtantivum* quoddam ſubaudiendum eſt, ut recte monent HÆNERUS in *Obſervat. Philolog. Crit.* §. 19. & Auctor *Examinis Danzii Litteratoris* Sect. I. §. 2. *Genus Nominum* eodem modo, quo in aliis linguis, cognoſcitur partim ex *ſignificatione naturali*, partim ex *terminatione*, partim vero ex *exceptionibus:* quæ ſingula a Grammaticis interque eos luculentiſſime a Cl. ZENCKELIO in *Commentario Gram. ling. Hebr.* P. II. p. 424. ſeq. & p. 443. ſeq. exponuntur. *Numeralia* a *tribus* ad *decem* ſingulari *Generis* laborare anomalia, præmonuimus ſupra Sect. I. §. 16. quam una cum aliis *Generum* anomaliis ad analogiam reducere ſtudent HILLERUS in *Inſtitut. ling. S.* p. 377. ſeq. & S. R. CHRIST. BENED. MICHAELIS in Diſſertat. de *Solœciſmis Generis* p. 9. ſeq. Quemadmodum itaque Hebræi ſolum *Genus Maſculinum* & *Fœmininum* habent: ita & *Nominum Motio*, tam *Adiectivorum* quam *Subſtantivorum*, tantum ex *Maſculino* fieri ſolet in *Fœmininum*, additis terminationibus הָ vel תְ, qua de re ulterius conſulendi ſunt Grammatici.

§. V.

Numerus Nominis triplex eſt *Singularis*, diverſimode terminatus; *Pluralis*, in *Maſculinis* in ים, in

 Fœmi-

Fœmininis autem in וֹת deſinens; & *Dualis* utriusque *Generis* in ַיִם. Terminationi *plur. maſc.* ִים. HOTTINGERVS in *Erotemat. ling. S.* p. 41. quatuor alias ſuperaddit: ִין, ַי, ַיִם & ֵי, conf. PFEIFFERI *Introduct. in Orient.* Diſſert. V. quæſt. 19. HOTTINGERO quod ad terminationem ַיִם ſuffragatur quoque ALB. SCHVLTENS in *Inſtitut. ling. Hebr.* p. 172. eam contendens cum terminatione Chaldæorum plurali in ַיִן, in *Participio Præſenti* Verborum *Quieſcentium tertia radicali* potiſſimum uſitata, ut גָּלֶה ſive גָּלֵא, in plur. גָּלַיִן: quo ille in ſpecie refert Nomina מַיִם & שָׁמַיִם, quæ vulgo *Dualibus* accenſentur, utut ratio *dualitatis* deſit. De nomine מַיִם ſententiam noſtram aperuimus in *Arcano Formarum Nom. Hebr.* p. 341. Terminatio ִין Chaldaica eſt, ַי vulgo ad Syriſmum refertur, ִי autem, (ut in חִצִּי pro חִצִּים 1 Sam. 20, 38.) per *Apocopen* litteræ ם exortam credunt. Hoc tamen OTH. VERBRUGGE in Obſervat. Philol. de *Nominum Hebr. Plurali Numero* Obſ. I. ibique Celeb. CHR. ERN. *a* WINDHEIM in *notis* p. 3. SCHVLTENS l. c. p. 173. & Celeb. I. D. MICHAELIS in *Gram. Hebr.* p. 58. negant; quibus eiusmodi *Nomina* in ִי potius ſunt *Numeri Singularis* vel abſoluta vel cum *Affixo ſing.* Idem de *Nominibus* in ַי ſtatuit Cl. C. G. HASE in *Gram. Hebr.* p. 40. 43. 48. 49. provocans ad linguam Arabicam, ubi illa terminatio propria eſt *Nominibus ſing. fœmin.* vid. ERPENII *Grammatica Arab.* p. 118. VERBRUGGIO l. c. Obſervat. II. eadem vel *ſingularia* ſunt vel *pluralia* cum *Affixo Jod.* Vid. quoque noſtrum *Arcanum Formarum Nom. Hebr.* p. 49. & *Onomaſticum S. V. T.* p. 612

§. VI.

§. VI.

Cæterum hic obſervandum eſt, I.) non omnia *Nomina* per tres *Numeros* variari; ſed quædam eſſe vel *Singularis Numeri tantum*, ut Nomina *Propria*, *metallorum* & *mineralium*, *liquorum*, *virtutum* & *vitiorum*, pleraque Nomina *Collectiva*, aliaque uſu obſervanda; quædam *Pluralis Numeri tantum*, ut Nomina *ætatum*, excepto יַלְדוּת, aliaque ſpecialia, ut פָּנִים &c. quædam denique *Numeri Dualis tantum:* qualia ſunt Nomina vel revera *natura* & *arte gemina*, vel ſaltem *cogitatione duplicia*, quo in ſpecie refertur שָׁמַיִם. Non omnia tamen *natura gemina Duali*, ſed ſæpe etiam *Plurali* efferri; contra quædam, nec *natura* nec *arte geminata*, ſub forma *Dualis* venire, & denique *Dualem* interdum plures, quam *duas* res ſignificare, monet WELLERVS in *Quæſtionum Hebræo-Syr.* Spicilegio III. quæſt. 2. Quædam vero per ſolum *Singularem* & *Dualem* flectuntur, ut Nomina *membrorum corporis natura geminorum.* II.) Quædam Nomina in *Plurali* utramque admittere terminationem, ִים & וֹת, ut מָאוֹר, in plur. מְאוֹרִים & מְאוֹרוֹת; quædam item *Maſculina* in *Plurali* terminari in וֹת, & vice verſa quædam *Fœminina* in ִים. Hac tamen anomalia ſuperſedere poſſumus, ſi cum HILLERO, SCHVLTENSIO aliisque Grammaticis ſtatuamus, Nomina illa, quæ utramque terminationem admittere vulgo creduntur, *Generis* eſſe *Communis*, neque terminationem וֹת deducendam a *Singularibus Maſculinis*, ſed a *Fœmininis Synonymis*, in *Singulari* tamen inuſitatis; & contra terminationem ִים ſic non eſſe a *Singularibus Fœmininis*, ſed a *Maſculinis Synonymis*, in *Singulari* inuſitatis: e. g. אוֹצָרוֹת non derivandum eſt a *ſing. maſc.* אוֹצָר; ſed a *fœmin.* inuſit.

inuſit. אוֹצָרָה ; אֵימִים non deſcendit a *ſing. fœm.* אֵימָה, ſed a *maſc.* inuſit. אֵים &c. III.) Quædam *Dualia* & *Pluralia* geminam combinare terminationem: ut in לוּחֹתַיִם adeſt terminatio *plur.* in וֹת & *dual.* in ַיִם; in בָּמוֹתֵים coniungitur terminatio *fœm.* in וֹת & *maſc.* in ִים. HILLERVS tamen eiusmodi Nomina deducit a *ſing.* inuſit. in וֹת, ut לוּחֹתַיִם a *ſing.* inuſit. לוּחוֹת *tabula*, בָּמוֹתֵים a *ſing.* inuſit. בָּמוֹרת *excelſum*, &c. SCHVLTENS vero l. c. p. 174. ea confert cum Arabum Nominibus, quæ a *Plurali* novum *Pluralem* formant.

§. VII.

Numerum excipiunt *Caſus*, qui apud Hebræos non terminationis *Nominativi variatione*, ſed ſola *conſtructione Particularum*que quarundam præfixione indicantur, ceu ex Grammatica conſtat: unde Hebræi vulgo *Caſus latentes*, non *patentes* habere dicuntur. Conf. PFEIFFERVS l. c. quæſt. 22. Sicut itaque Hebræis *Caſus* proprie dicti tribui nequeunt, ita nec *Declinationes Nominum* habent, præter eam, quæ fit flexione *Singularium* in *Pluralem* & *Dualem*. Fuerunt tamen, qui *duas Declinationes*, alteram quidem *Maſculinorum*, alteram vero *Fœmininorum*, ſtatuerunt, ut MARTINIVS, BVXTORFFIVS, HOTTINGERVS &c. Porro circa *Nomen* conſiderandum venit *Regimen*, ut vulgo dici ſolet, quod nihil aliud eſt, quam *conſtructio duorum Subſtantivorum*, quorum poſterius *Genitivo Caſu* redditur: ut *verbum Domini*. Prius vocatur *Regens* ſive *Conſtructum*, poſterius *Rectum*. Illud ſæpiſſime mutationem quandam ſubit, hoc invariatum manet; niſi duplex vel triplex *Regimen* concurrat: hoc enim caſu *Nomen Rectum* reſpectu ſequentis ſimul quoque *Regens*

gens eſſe poteſt, ut *dies annorum vitæ Abrahami* Gen. 25, 7. Utriusque, ſive *Regentis* ſive *Recti*, loco ſubinde fungitur *Nomen Adiectivum* vel alia *Pars Orationis*, quæ Figura *Antimeria* vocatur, de qua pluribus in *Syntaxi*. Quod ſi *Nomina* per *Regimen* non conſtruantur, ille *Status* dicitur *Abſolutus*.

§. VIII.

Comparatio quoque *Nominis* apud Hebræos non fit *variatione* terminationis *Adiectivorum*: cuius cauſam I. I. Schvdt de *genio & indole linguæ S.* c. 7. §. 5. eſſe putat, ne addita nova terminatione voces prolixiores evadant; cum Hebræi ſint βραχυλόγοι & ταχυλόγοι. Sic autem Hebræi *Comparativum Gradum* exprimere ſolent, ut poſt *Adiectivum* voci ſequenti *Particulam* מִן vel *Præfixum* מ præfigant: e. g. *aſtutus præ omni animali*, i. e. *aſtutior omni animali*, Gen. 3, 1. vel *Particulam* יוֹתֵר, *magis*, ut quidam volunt: quemadmodum Latini, dicentes e. g. *magis durum* pro *durius*, & Sinenſes, obſervante Massonio in *Hiſtoria Crit. Reipubl. Litter.* T. III. p. 54. *Superlativum*. Hebræi ſic circumſcribunt, ut vel *Adiectivum* geminent, e. g. *malus malus*, pro *peſſimus*; & ſic quoque *Adverbia*, ut *valde valde*, h. e. *vehementiſſime, ſummopere:* quod & aliæ gentes, ut Arabes, Perſæ, Armeni & Sinenſes, facere ſolent, vid. noſtrum *Arcanum Formarum Nom. Hebr.* p. 198. & *Onomaſticum S. V. T.* p. 621. & conf. Erpenivs in *Adagiis Arab.* p. 98. Vel poſt *Adiectivum* ſequenti *Subſtantivo* ב præfigunt: ut *pulchra in mulieribus*, i. e. *pulcherrima mulierum;* vel tam *Adiectivo*, quam eius *Subſtantivo*, *Articulum* ה præfigunt; vel utuntur *Adverbio* מְאֹד *valde*. Id vero lingua Hebr. ſibi habet

pecu-

peculiare, quod etiam *Subſtantivis* ſubinde vis quædam inſit *ſuperlativa.* Fit autem illud, quoties *Abſtractum* pro *Concreto* ponitur: ut *terra erat vaſtitas*, i. e. *vaſtiſſima*, Gen. 1, 2. vel quoties idem *Subſtantivum* ſemet ipſum aut *Synonymum* regit, interveniente ſcil. *Regimine*: ut *ſervus ſervorum*, h. e. *ſervus viliſſimus*, *tenebræ caliginis*, h. e. *tenebræ denſisſimæ*; vel quoties *Nomini* additur ה *Paragogicum*, de quo pluribus Sect. VIII. Vel *Nomen* cum *Nomine divino* conſtruitur: ut *cedri Dei*, i. e. *cedri maximæ*, שַׁלְהֶבֶתְיָה *flamma Dei*, h.e. *flamma maxima*; conf. BVXTORFFIVS in *Theſauro Gram.* L. II. c. 3. FESSELIVS in *Adverſariis S.* L. I. c. 6. C. H. RITMEIER in Diſſert. de *Nominibus divinis rem amplificantibus*, aliique apud WOLFFIVM in *Curis Philolog.* ad Rom. 10, 2. *Nomina* tamen *divina* vim *ſuperlativam* involvere negant GVSSETIVS in *Commentar. ling. Hebr.* p. 65. ſeq. E. H. POLEMANNVS de *Pleonaſmis S. S.* Diſſ. VI. & Auctores *Relationum innocuarum* an. 1702. p. 278. ſeq. conf. PFEIFFERVS l. c. quæſt. 24. quia Judæi ſententia illa abuti ſolent, maxime Gen. 1, 2. Conf. NOLDII *Concordant. Particul. Hebr.* p. 884. RAMBACHII *Hermeneut. S.* p. 338. Celeb. WOLLII Diſſert. de *uſu & abuſu* *αὐξήσεως* *Nominum divinorum*, &c. Hebræos quoque, ut Arabes, *Superlativum* formare *Nominibus* præpoſito א *Heemantico*, ſententia eſt ALB. SCHVLTENSII in *Inſtitut. ling. Hebr.* p. 184. in *Commentar. in Iobum* p. 845. &c. ſed vid. *Arcanum Formar. Nom. Hebr.* p. 547.

§. IX.

Maximi vero momenti ſunt *Nominis mutationes*: quarum tum *cauſæ*, tum *modus* & *ratio* ſpectanda ſunt. *Mutationum* illarum *cauſa* in genere eſt *concitata*

tata Hebræorum *pronunciatio*: unde voces, quoad eius fieri poteſt, decurtari atque abbreviari ſolent. In ſpecie vero duas ob *cauſas mutationes Nominibus* accidunt: ob *toni* ſive *Accentus mutationem*, & propter *Regimen*. *Mutatio toni* ſive *Accentus mutationem* quoque *Nominis* inducit, quoties ille ob incrementum *Nominis* ex penultima ad ultimam deſcendit: quod fit in *Motione*, *Declinatione* ſive *flexione in Dualem & Pluralem*, & in *Affixione*. Quia enim his caſibus non ſolum *tonus* ſive *Accentus* deſcendit, ſed ipſum quoque *Nomen* Syllabis creſcit & prolixius evadit, præter *mutationes Punctorum generales*, Sectione præced. traditas, etiam quicquid celerem ſermonis curſum impedire poterat, removetur, quantum citra *Formæ Nominis* detrimentum fieri poteſt. *Regimen* porro *mutationes Nominis* efficit: quia per illud duo *Nomina* tam arcte coniunguntur, ut quaſi unam dictionem conſtituant, & quaſi *Nomen Rectum* incrementum tantum ſit ſive additamentum *Nominis Regentis*, cum revera unicam tantum rem deſignent. Quia enim *Nomen Rectum* inſtar *Affixi* cuiusdam *Nomen Regens* determinat, hinc quoque *tonus* a *Nomine Regente* ad *Rectum* celeriter fertur & non raro per lineam *Makkeph* plane tollitur. Sic ergo *Nomen* prius ſive *Regens*, quoad eius fieri poteſt, decurtatur, & quicquid arctiorem eius cum *Nomine Recto* coniunctionem impedire poterat, removetur. *Mutationes*, utrobique evenientes, partim *Litteras*, partim *Puncta* concernunt. Priori caſu, quoties *tonus Nominis*, ob accedens per *Motionem*, *flexionem in Dualem & Pluralem* vel *Affixionem* incrementum, deſcendit, ם *Pluralium* & *Dualium* ante *Affixa* tollitur, quo *Nomen* illud cum novo ſuo incremento arctius combinetur: cui combinationi ם, clauſis prius labris efferendum, obſtat, obſervantibus DANZIO in *Litterat.* p. 314. &

STAR-

Starckio in *Luce Gram. Hebr.* p. 128. ſeq. Attamen ex terminationibus *plur.* ִים & *dual.* ַיִם *Jod* asſervatur, quo indicium *pluralitatis* ſuperſit. Contra vero terminatio *fœm. plur.* וֹת manet: quia commode abiici nequit; ne & *Numeri Pluralis* & *Generis* indicium ſic pereat. Quod ſi tamen *Nomina Fœminina* in ſing. in ת *ſervile* terminentur, hoc in formatione *Pluralis* plane excluditur: quia iam ex terminatione וֹת *Genus Nominis* cognoſcitur, duo autem ת ſic concurrentia euphoniæ repugnarent, e. g. חָפְשִׁית, in plur. חָפְשִׁיּוֹת pro חָפְשִׁיתוֹת. Eandem ob cauſam *Cholem* & *Tzeri ultimum* certis caſibus, ut & *Kamez penultimum Nominum Formæ* מָוֶת, abiiciuntur.

§. X.

Plurimæ vero *Nominis mutationes*, ob accedens aliquod incrementum in *Motione, flexione in Dualem & Pluralem*, atque in *Affixione*, inſtituendæ, a *conſtitutione Syllabarum* dependent, adeoque proprie *generales* ſunt, Sectione præced. explicatæ. Sic enim ה *Quieſcens*, quod in medio vocum quieſcere nequit, una cum præcedente Vocali excluditur: ut in formatione *Pluralis*, e. g. טוֹבָה, in *plur.* טוֹבוֹת pro טוֹבָהוֹת; vel in ת abit, quod & ipſum alibi terminationem *fœmin.* conſtituit: ut in formatione *Dualis*, ante *Affixa* & *Litteras Paragogicas*. Cauſa vero, cur ת in indicium *Generis Fœmin.* loco ה aſſumatur, in *Duali* quidem non alia eſt, quam quia terminatio ַיִם propria eſt tam *Maſculinis*, quam *Fœmininis*, adeoque non conſtaret, utrum *Nomen* Singulare *Maſculinum* ſit, an *Fœmininum?* niſi ת ſic *Genus Fœmininum* inſinuaret, e. g. שְׂפָתַיִם a *ſing.* שָׂפָה; non שָׂפַיִם, ne putetur *Singularis* eſſe שָׂף. Sic quoque ante

Affixa

Affixa & Litteras *Paragogicas* ה *Quieſcens* in ת tranſit, ne, ה plane excluſo, *Nomen* habeatur pro *Maſculino*, e. g. צָרָתוֹ a צָרָה, non צָרוֹ, quod a צָר eſſe poſſet. A *conſtitutione* quoque *Syllabarum* dependet, quod ִי finale in incremento, ubi medium vocis occupaturum erat, mutationes ſubeat; quod *Patach* Syllabæ ultimæ, Vocales item *Nominum Segolatorum* & *Formæ* בַּיִת &c. ob incrementa finalia mutentur: quas tamen aliasque *Nominis* in incremento finali *mutationes*, ut in *Motione*, in formatione *Pluralis* & *Dualis* & ante *Affixa*, prolixius & ſpecialius pertractandas Grammaticis relinquimus.

§. XI.

In *Regimine mutationes Nominis Regentis* eodem fere modo inſtituuntur. Nam e. g. ם *plur.* & *dual.* ſimiliter, ut ante *Affixa*, abiicitur, (ne arctiori *Nominis Regentis* cum *Recto* coniunctioni obſtet,) *Jod* vero præcedens in (ֵ) quieſcit; non in (ִ), ne videatur eſſe *Affixum* primæ Perſonæ. Mutatur quoque ה *fœm.* in ת & præcedens (ָ) in (ַ): quia ה in medio quieſcere nequit. Duo enim *Nomina*, per *Regimen* conſtructa, pro unico, adeoque prioris ה ultimum in medio conſiſtere, putanda ſunt. Cur vero ה etiam hic in ת tranſeat, exponunt STARCKIVS l. c. p. 125. & HERM. HARDTIVS in *Fundamentis ling. Hebr.* p. 10. conf. quoque DANZIVS l. c. p. 313. & SCHVDTIVS l. c. c. 5. §. 8. Eadem de cauſa & ut *Nomen Regens* abbrevietur, (ָ) ac (ֵ) in Syllaba eius *penultima* pereunt, in *ultima* vero corripiuntur. Singulariter ſeſe in *Regimine* habent I.) *Nomina Maſculina* in הֶ terminata, quæ non ſolum ה ſuum retinent, quia *radicale* eſt; ſed & præcedens (ֶ) in (ֵ) inſuper producunt, non aliam ob cauſam, quam ut *Regimen* a *Statu Abſo-*

luto diſcerni ſic queat: quod utriusque diſcrimen CORNELIVS *a* LAPIDE & BELLARMINVS Ieſ. 53, 4. neglexerunt, notante SCHVDTIO in Præfat. ad Commentar. de *genio & indole linguæ S.* Aliam cauſam affert STARCKIVS l. c. p. 126. quæ tamen minus ſufficiens videtur. II.) *Nomina Segolata*, quæ in *Regimine* invariata manent; non quidem ac ſi breviora fieri non poſſent, ut STARCKIVS l. c. exiſtimat, (ſic enim Vocalis *penultima* abiici poſſet,) ſed quia fere ut *monoſyllaba* efferuntur, e. g. אֶרֶץ fere ut Germ. Ertz, notante HERM. HARDTIO l. c. p. 15. ſeq. quamvis revera non ſint *monoſyllaba*, ut Cl. C. G. HASE in *Gram. Hebr.* p. 32. contendit. Dicuntur autem *Nomina Segolata* illa, quæ tonum habent in *penultima*, cæterum vero in *ultima* Vocalem (ᵛ), vel, ob Litteram *Gutturalem*, (-), interdum quoquè (:), ut קֹשֶׁטְ; in *penultima* ſimiliter (ᵛ), vel, propter *Gutturalem*, (-); vel etiam (¨) vel *Cholem.* *Nomina* illa *Segolata* maximum *Nominum* conſtituere numerum, videre eſt ex *Arcano* noſtro *Formarum Nominum Hebr.* Sect. IV.

SECTIO

SECTIO VI.

DE

PARTICVLA.

Digitized by Google

Sectio VI.
DE
PARTICVLA.

§. I.

Quicquid apud Hebræos nec *Nomen* eſt, nec *Verbum* aut *Participium*, *Particula* dicitur: cuius unius nomine *Articulus*, *Pronomen*, *Adverbium*, *Præpoſitio*, *Coniunctio* & *Interiectio* comprehenduntur. Sunt autem *Particulæ* vel *Flexibiles* vel *Inflexibiles*. *Flexibiles* ſunt, quæ alias *Pronomina* vocantur. Hæc *Pronomina* vel *Separata* ſunt, quæ ſeorſim ponuntur; vel *Affixa*, aliis *Suffixa*, quæ nunquam ſeorſim ponuntur, ſed aliis vocibus affiguntur. *Separata* quadruplicis ſunt generis: *Perſonalia*, *Demonſtrativa*, *Relativa* & *Interrogativa*. Singula ſequenti ſchemate exhibemus:

I. *Perſonalia*

Perſonæ	I.	*commun.*	*ſing.*	אֲנִי & אָנֹכִי
			plur.	אֲנַחְנוּ vel נַחְנוּ
	II.	*maſcul.*	*ſing.*	אַתָּה, rarius אַתְּ
			plur.	אַתֶּם
		fœmin.	*ſing.*	אַתְּ, rarius אַתִּי
			plur.	אַתֵּן vel אַתֵּנָה
	III.	*maſcul.*	*ſing.*	הוּא & aliquoties הִיא
			plur.	הֵם vel הֵמָּה
		fœmin.	*ſing.*	הִיא & interdum הִוא
			plur.	הֵן vel הֵנָּה

 II. *De-*

II. *Demonſtrativa*

Numeri {
- ſingular. {
  - *maſc.* זֶה & הַלָּזֶה
  - *fœm.* זֹה , זוֹ , זוֹת & הַלֵּזוּ
  - *commun.* זוּ & הַלָּז
- & *Generis* utriusque, אֵל , הָאֵל & אֵלֶּה

III. *Relativa*:

אֲשֶׁר utriusque *Generis* & *Numeri*, & interdum ex *Demonſtrativis* זֶה , זוֹ & זוּ.

IV. *Interrogativa*

Generis Commun. {
- de *perſona* מִי
- de *re* מָה & מֶה.

§. II.

Circa *Pronomina* illa *Separata* obſervandum eſt, I.) quædam eorum cum aliis *Particulis* compoſitionem ingredi, (e. g. מָה *Interrogativum* cum *Pronomine Perſonali* הֵם Ezech. 8, 6.) & cum *Præfixis* ב, כ, ל; quædam vero habere ה *Paragog.* ut אַתֵּנָה , הֵמָּה , הֵנָּה , & iuxta DANZIVM atque STARCKIVM, אַתָּה; pro אַתֵּן , הֵם , הֵן & אַתְּ. Sic ל in הַלָּזֶה , הַלֵּזוּ & הַלָּז nonnullis *Epentheticum* videtur. II.) *Interrogativum* מִי ſubinde quoque de *re* uſurpari, ut Jud. 13, 17. Mich. 1, 5. &c. cum alioquin, ſi cum BVXTORFFIO in *Theſauro Grammatico* p. 392. de *perſona* l. c. intelligamus, ſermo fiat coactior; & *Interrogativum* מָה præſertim adhiberi ſequente ח & ע; alias vero מָה , quod (ָ) ſuum plerumque in (ַ) & *Dageſch Forte Dachik* reſolvit.

ſolvit. III.) *Pronomen Demonſtrativum* אֵל, vel cum *Articulo* הָאֵל, bene eſſe diſtinguendum a *Nomine divino* אֵל, neque, ut vulgo creditur, *Numeri* eſſe tantum *Pluralis*, ſed etiam *Singularis*, ut ostendimus in *Onomaſtico S. V. T.* p. 628.

§. III.

Pronomina Affixa ſive *Suffixa* ſequenti ſchemate exhibemus:

Perſonæ	I.	*commun.*	*ſing.*	י & נִי
			plur.	נוּ
	II.	*maſcul.*	*ſing.*	ךָ
			plur.	כֶם
		fœmin.	*ſing.*	ךְ
			plur.	כֶן
	III.	*maſcul.*	*ſing.*	ו & הוּ
			plur.	ם & הֶם
			utriusque *Numeri*	מוֹ
		fœmin.	*ſing.*	הּ & הָ
			plur.	ן & הֶן

Eiusmodi *Pronomina Affixa* in ſolis linguis orientalibus occurrunt, ſi ex occidentalibus ſolam linguam *Hungaricam* excipias, quæ & ipſa *Affixa* ſive *Suffixa* admittit. Attamen in aliis quoque linguis eius rei veſtigia quædam offenduntur, ut in Italica: *fratelmio*, i. e. *frater meus*; in Latina: *eccum*, *eccam*, *eccos*, *ellum* &c. pro *ecce eum*, *ecce illum* &c. & in Germanica: ich wills pro ich will es, im pro in dem, beym pro bey dem &c. Cæterum circa *Pronomina Affixa* conſideranda ſunt eorum 1) *origo*, 2) *diviſio*, 3) *ſignificatio*, 4) *conſtructio* cum aliis vocibus, & de-

nique 5) eorundem *affixio*. Ad *originem Affixorum* quod attinet, ea ex *Pronominibus Separatis* oriuntur ſive eorum pars ſunt, e. g. נִי eſt ex אֲנִי, ם & הֶם ex הֵם, ן & הֶן ex הֵן &c. ut pluribus oſtendit G. G. Ranis in *Analyſi Pronominum Perſonalium, Suffixorum* &c. P. II. qui & P. I. *Pronominum Perſonalium* originem exponit. Hic tamen monendum eſt, 1) in *Affixis* Perſonæ ſecundæ ת *Pronominum Separatorum* converti in כ, ut ab *Afformantibus* Præteriti Verborum, quæ & ipſæ a *Pronominibus Separatis* ortum ducunt, differant, conf. Sect. VII. §. 6. 2) *Affixum* מוֹ quibusdam compoſitum videri ex *Affixis* ו & ם, aliis ex ם *Affixo* & ו *Paragogico*, aliis denique ex *Pronominibus Separatis* הוּא & הֵם; conf. Welleri *Quæſtion. Hebræo-Syr.* Spicileg. II.

§. IV.

Affixa diverſimode dividi ſolent: ut 1) ratione *toni* ſive *Accentus*, in *Gravia*, quæ non ſolum tonum ſemper ad ſe rapiunt, ſed & Nominibus iuncta easdem fere, quas *Regimen*, mutationes inducunt, ut כֶם, כֶן, הֶם & הֶן; & in *Levia*, ut reliqua omnia; 2) ratione *Syllabæ*, in *Syllabica*, quæ *Syllabam* per ſe conſtituunt, ut נִי, נוּ, הָ &c. & *Aſyllaba*, quæ *Syllabam* non faciunt, ut י, ךְ, ם &c. 3) ratione *uſus*, in *Verbalia*, ut נִי & הוּ, quorum prius nunquam, poſterius raro Nominibus additur; & *Nominalia*, ut הֶם & הֶן, quæ nunquam *Verbis* affiguntur. *Significatio Affixorum*, quoties Nominibus iunguntur, Latinorum *Pronominibus Poſſeſſivis* reſpondet; ubi vero *Particulis* & *Verbis* adduntur, cum Latinorum *Perſonalibus* obliquorum Caſuum convenit, e. g. ךָ, *Nomini*

mini affixum, ſignificat *tuus, a, um*; *Particulæ* autem & *Verbo* accedens, *te, tibi* &c. Hic vero obſervandum eſt, 1) Hebræos non diſtinguere inter *Poſſeſſivum* Perſonæ tertiæ *ſuus* & *eius* vel *eorum*, e. g. אֶת יָדוֹ notat *manum ſuam* & *manum eius*; 2) eosdem carere peculiaribus *Pronominibus Reciprocis*, quorum loco vel Coniugatione *Hithpahel*, vel certis quibusdam *Nominibus* uti ſolent: ut quando ſermo eſt de *re*, Nomine עֶצֶם; de *perſona* vero, Nomine נֶפֶשׁ, & ut nonnulli volunt, interdum רֹאשׁ, idque ex Aethiopiſmo, obſervantibus HILLIGERO in *Summario linguæ S.* p. 60. & HÆNERO in *Obſervat. Philolog. Crit.* §. 3. addit HACKSPANIVS in *Sylloge Diſſertationum Theolog. & Philolog.* p. 150. etiam Nomina רוּחַ, לֵב, עַיִן &c. Interdum *Pronomen Reciprocum* plane omittunt, per *Ellipſin* ſupplendum; vel eius loco *Affixum* ponunt, quod alioquin, ut ſupra dictum, *Pronomen Poſſeſſivum* vel *Perſonale* exprimit, ut לָהֶם *ſibi*, Gen. 6, 2. quod ibid. v. 4. *illis* ſignificat. Conf. PFEIFFERI *Theſaurus Hermeneut.* Can. LV. CELLARII de *linguæ S. proprietatibus* Canon XXII. & DOUGTÆI *Analecta S.* Excurſ. CXXXIX. Accuratiorem autem *Suffixorum* diſtinctionem multis S. S. locis rectius intelligendis inſervire, pluribus oſtendit O. L. KOENIGSMANNVS in dem Brem- und Verdiſchen Hebopffer P. V. In conſtructione *Affixa Genere*, *Numero* & *Perſona* non conveniunt cum voce, cui adiunguntur, ſed cum *Obiecto* ſive re, de qua ſermo eſt, e. g. Gen. 1, 24. legitur: *producat terra animam vivam ſecundum ſpeciem ipſius*; ubi *Affixum* non convenit cum מִין, cui affigitur: ſic enim dicendum erat מִינוֹ, quia מִין *Generis* eſt *Maſc.* ſed cum *Obiecto* ſive re, quam ſermo reſpicit, ſcil. voc.

נֶפֶשׁ, quod cum *Generis* ſit *Fœmin.* hinc potius dicendum eſt מִיכָה. Reſtat ipſa *affixio* vel potius *modus affixionis Suffixorum.* Illa fit mediante *Puncto* aliquo vel *Vocali* vel *Scheva*, quod *Affixo* immediate præmittitur hocque vocibus quaſi- agglutinat: unde *Punctum agglutinationis* appellatur, e. g. in צָרֵנוּ, *hostis noster*; (‥) eſt *Punctum agglutinationis*, cuius ope *Affixum* נוּ cum *Nomine* צָר coniungitur. Eſt autem *Punctum* illud pro ipſis *Affixis*, proque *Partibus Orationis* ac *Nominum Numero*, quibus illa adduntur, admodum diverſum: e. g. *Affixum* Perſonæ ſecundæ *Maſcul.* ךָ aliter affigitur, ac *Affixum Fœmin.* ךְ, utrumque autem aliter *Nominibus Singularibus*, aliter *Dualibus* & *Pluralibus* iungitur. *Verba* ex parte alia plane *Affixa*, vel ſaltem per aliud *Punctum agglutinationis* adſciſcunt. De *affixione Suffixorum* cum *Verbis* Sect. ſeq. c. 3. tractabimus. Hoc loco ſermo eſt de *affixione* cum *Nominibus.* Quale *Punctum agglutinationis* ſingula *Affixa* per omnes *Perſonas*, *Numeros* & *Genera*, iuncta *Nominibus* vel *Singularibus* vel *Dualibus* ac *Pluralibus*, requirant, ex Grammatica repetendum eſt. *Affixa*, *Nominibus* ſic iuncta, mutationem *toni* ſive *Accentus* vocum inducunt, eum vel ad ſe rapiendo, quoties *Affixa* ſunt *Gravia*, vel quoties *Punctum agglutinationis* nudum *Scheva* eſt, ut דִּבַרְכֶם a דָּבָר; vel tonum ſaltem ad *Punctum agglutinationis* promovendo, ſi hoc ſit Vocalis, ut דְּבָרֵנוּ. Mutato autem *tono* ſive *Accentu*, non poteſt non etiam *Nomen*, cui *Affixum* additur, unam atque alteram ſubire mutationem, ut Sect. præced. §. 9-11. docuimus.

§. V.

Utriusque generis *Pronominibus*, tam *Separatis* quam *Affixis*, ſæpius *Enallage Generis* accidit: in quibus

bus anomaliis non *Formam* vocis, ſed ſenſum *Obiecti* reſpici, DANZIVS monet in *Interprete Hebræo-Chald.* p. 73. 74. Inter *Archaiſmos* linguæ Hebr. easdem refert Celeb. C. B. MICHAELIS in Diſſert. de *Soloeciſmis Generis* §. 5. & 40. *Pronomina Separata*, quæ eiusmodi *Enallagen* patiuntur, olim *Generis* fuiſſe *Communis*, obſervant ALTINGIVS in *Fundament. Punctat. Hebr.* §. 93. DANZIVS in *Litterat.* p. 329. & STARCKIVS in *Luce Gram. Hebr.* p. 133. quo in ſpecie referendum *Pronomen* הִוא: unde exiſtit *Varians Lectio* היא & הוּא; quamvis ea a Maſorethis in *Kri* marginali raro notetur, nimis quippe frequenter, præſertim in Pentateucho, occurrens, conf. Sect. I. §. 18. Tantum de *Particulis Flexibilibus* ſive *Pronominibus*. Sequuntur iam *Particulæ Inflexibiles*.

§. VI.

Particularum Inflexibilium pertractatio, ut in omnibus aliis linguis, ita in ſpecie in Hebraica, magni eſt momenti, conf. LOESCHERVS de *Cauſis ling. Hebr.* L. II. c. 9. præſertim quia Hebræi pauciores *Particulas* habent: quæ cum proinde variæ ſint ſignificationis, in explicando S. Codice Hebr. multas obiiciunt difficultates, adeo ut eadem *Particula* quandoque *viginti* & plures ſignificationes admittat, maxime vero *Præfixum* ו, cuius rei ſpecimen videre eſt apud DANZIVM in *Interprete Hebræo-Chald.* p. 315. ſeq. & plenius apud NOLDIVM in *Concordantiis Particularum*, qui *Præfixo* ו *ſeptuaginta tres* ſignificationes tribuit, ſed ob nimiam ſignificatuum *Particularum* multiplicationem illam Philologorum cenſuras merito incurrit. Iſtam *Particularum* Hebr. ambiguitatem LOESCHERVS l. c. p. 129. inter *defectus* linguæ Hebr. refert. Vocantur autem *Particulæ* illæ *Separa-*

biles ſive *Separatæ*, quæ *ſeorſim* ponuntur: aliæ quidem *ſemper*, ut פֶּן; aliæ, quæ & Affixa admittunt, ſaltem *interdum*, ut עִם. Singularum vero *Particularum Separabilium* tractatio ſpecialior non tam ad Grammaticam, quam ad Lexica ſpectat, maxime cum illarum haud paucæ revera *Nomina* ſint, ut monent DANZIVS in *Litterat.* p. 192. & in *Interpr.* p. 135. & p. 247. STARCKIVS l. c. p. 150. ſeq. ALB. SCHVLTENS in *Inſtitut. ling. Hebr.* p. 237. ſeq. RHENFERDIVS in *Gram. Harmon. LL. OO.* §. 87. C. L. RVNCKELIVS in *Quæſtionibus Crit. & Philolog.* §. 10. LOESCHERVS l. c. p. 421. atque ex inſtituto probatum dedit FR. THEOD. MÜLLERVS in pec. *Diſſert.* quamvis id Auctori *Examinis Danzii Litteratoris* Sect. I. §. 7. impoſſibile videatur. Multæ enim *Particulæ* 1) ipſorum *Nominum Formas* habent; 2) commode per *Nomina* exponi poſſunt, ut DANZIVS l. c. & uberius CHRIST. KOERBERVS in *Lexico Particularum Hebr.* ostenderunt; 3) *Affixa* inſtar *Nominum* adſciſcunt, & 4) hoc caſu ſimiles cum *Nominibus* mutationes obeunt. Quæ *Particulæ Affixa* admittunt, mutantur more *Nominum* vel *Singularium*, ut נֶגֶד; vel *Pluralium*, ut עַל; vel *Dualium*, ut אַשְׁרֵי; vel more *Nominum Singularium* & *Pluralium* promiſcue, ut אַיִן. Sunt quoque aliæ, quæ in *affixione* & *mutationibus* inde pendentibus peculiares leges ſequuntur, ut אֵת, מִן &c. de quibus plura tradunt Grammatici.

§. VII.

Particulæ Inflexibiles Inſeparabiles dicuntur, quæ nunquam *ſeorſim* ponuntur, & *Præfixa* alias appellari ſolent, quia aliis vocibus ſemper *præfiguntur*, vocibus

bus מֹשֶׁה וְכָלֵב comprehenſæ. Circa *Præfixa* illa partim *origo*, partim *ratio præfixionis* eorum conſideranda eſt; *ſignificatio* vero eorundem ex Lexicis repetenda. Ad *originem Præfixorum* quod attinet, quædam ſatis manifeſte ex *Particulis Separatis* exortæ deprehenduntur, ut מ ex מִן, שׁ (s) ex אֲשֶׁר, ל ex אֶל &c. *Præfixum* ה nonnulli deducunt a *Pronominibus Perſonalibus* Perſonæ tertiæ, quod Gvssetivs probare vult ex Ier. 29, 23. alii ab הֵא vel הֵן *ecce*; Alb. Schvltens vero & Celeb. I. D. Michaelis ab הַל, unde Arabes *Articulum* ſuum *al* fecerunt. *Præfixum* ב quidam deflexum putant ex בֵּין, כ ex כֵּן, & ו ex וָו *uncinus*, conf. Loeschervs l. c. p. 424. *Præfixa* illa vocibus præfiguntur mediante *Puncto* quodam vel *Vocali* vel *Scheva:* מ quidem per (·), rarius per (-), ſequente *Dageſch Forti;* שׁ per (׳), rarius per (-), ſequente ſimili *Dageſch*. *Præfixum* ה duplicis eſt generis, vel *Articulus* ſive ה *Demonſtrativum*, Hebr. הַיְדִיעָה 'ה, & *Interrogativum*. Prius præfigitur per (-), ſequente *Dageſch Forti*. Cauſam illius *præfixionis* explicant Danzivs in *Litterat.* p. 325. Starckivs l. c. p. 140. & Chr. Mündenvs in Diſſert. de ה *Demonſtrativo* §. 6. Ante litteras *Gutturales Kamezatas* certis quibusdam caſibus per (׳) & *Dageſch Forte* implicitum præponi ſolet; & ſic quoque ante ה habens (׳). Contra vero ה *Interrogativum* regulariter præfigitur per (־); interdum tamen ut ה *Articulus*, ſemper

(s) Conf. de illo שׁ Sect. I. §. 18. Sequiori ævo in linguam Hebr. introductum putat Rvschatvs in *Gram. Hebr.* p. 56. pro *Poëtico* vero habet Gvssetivs in *Commentar. ling. Hebr.* p. 8u.

per quidem ante *Gutturales*, rarius vero ante litteras *ſchevatas*. Hinc accidit, ut duo illa ה aliquando confundantur: quo in ſpecie pertinet Eccleſ. 3, 21. conf. I. H. MAII *Gram. Hebr.* p. 34. & I. W. *de* NEVE Diſſert. de *characteribus interrogationum linguæ Hebr.*

§. VIII.

Cæterum obſervandum eſt, *Articulum* ה nunquam præfigi Nominibus *Propriis*, neque Nominibus per *Regimen* & cum *Affixis* conſtructis: cuius cauſam BVXTORFFIVS in *Theſauro Gram.* p. 385. ſeq. ex KIMCHIO adducit. Excipiuntur tamen ex *Propriis* Nomina *locorum* & *Patronymica* atque *Gentilia*, nec non ubi ה *Pronominis Relativi* vicem gerit, & alia quædam ſpecialia, a BVXTORFFIO l. c. recenſita, ubi ſingularis quædam *emphaſis* & *reſtrictio* ſubeſſe creditur. Denique *Præfixa* וכלב regulariter per (ְ) accedunt, & certis quibusdam caſibus per (ֵ); ו autem ante litteras *labiales* & *ſchevatas*, excepto *Jod*, per *Schurek*. Quoties porro ב, כ & ל (t) ante *Articulum* ה ponuntur, toties ea *Articulum* plane excludunt in eiusque punctationem ſuccedunt. Plura dabunt Grammatici, & qui de *Præfixis* ex inſtituto tradiderunt, IOH. DRVSIVS & IAC. EBERTVS de *litteris moſche vechaleb*, RENNECHERIVS in *Explicatione litterarum ſervilium linguæ Hebr.* HENR. VRANIVS de *uſu & officiis litterarum ſervilium*, A. H. FRANCKIVS & NIC. KLEINSCHMIDIVS in Diſſ. de *Præfixis*, &c.

(t) Non vero ו, ut quidam volunt ad Num. 21, 30.

SECTIO

SECTIO VII.

DE

VERBO.

Google

Sectio VII.

DE

V E R B O.

CAPVT I.

DE

VERBO. IN GENERE

ET DE

VERBO PERFECTO

IN SPECIE.

§. I.

Circa *Verbum*, tertiam *Orationis Partem*, eius 1) diverſas *ſpecies*, 2) *flexionem*, 3) *Temporum* ac *Coniugationem ſignificationem*, & 4) *mutationes* ſpectabimus. Eſt autem *Verbum* in genere vel *Perfectum* vel *Imperfectum*. *Perfectum* dicitur, definiente ALTINGIO in *Fundam. Punct. Hebr.* §. 110. quod conſtat litteris *radicalibus* numero *tribus*, loco *ſemper præſentibus*, conditione *mobilibus*. Secus ſe habet *Imperfectum*, de quo Cap. ſeq. Hæc *Verbi* diſtinctio in *Perfectum* & *Imperfectum* non placet HILLERO in *Inſtitut. ling. S.* p. 170. qui illud dividit in *Verbum ſtabilibus*, & in *Verbum inſtabilibus* litteris conſtans. An vero omnes *Verborum Radices* ſint *trilitteræ*, diſquirit PFEIFFERVS in *Introduct. in Orient.* p. 91. ſeq. Numerus *ternarius* omnino pro *perfecto* haberi

haberi ſolet, conf. DANZIUS in *Litterat.* p. 348. ſeq. HELMONTIUS in *Alphab. Natur.* Colloq. VII. §. 3. & Celeb. IAC. CARPOVIUS de *perfectione linguæ* p. 80. Sunt, qui in numero illo litterarum *radicalium ternario* myſterium SS. Trinitatis quærunt, ut RAVIUS in *Delineat. Orthograph. & Analog. Hebr.* p. 42. quod tamen recte explodit atque ſoli linguæ Hebr. genio tribuit HILLIGERUS in *Summario ling. S.* p. 91. conf. NEUMANNI *Clavis domus Heber* P. II. p. 167. & LEUSDENI *Philologus Hebr.* p. 325. Non pauciores quam tres litteras *Verbi radicales* eſſe poſſe, ſcite demonſtrat Celeb. I. D. MICHAELIS in *Gram. Hebr.* p. 93. ſeq. Nihilo ſecius quidam, maxime CASP. NEUMANNUS in *Exodo ling. S.* & LOESCHERUS de *Cauſis ling. Hebr.* etiam *Verbis Perfectis* duas tantum tribuunt litteras *radicales*, quas *Seminales* vocant; reliquas vero nude *acceſſorias* & *formativas* dicunt, ut א, ה, ו, י, נ, ע, ת &c. vel *Verba* quaſi compoſita eſſe volunt, altera litterarum *Seminalium* illarum geminata. Quam parum vero ſententia illa fundata ſit, oſtenderunt D. CHR. BENED. MICHAELIS in Diſſertat. de *vocum ſeminibus* & ZELTNERUS in *Quæſtion. Philolog.* III. Eandem tamen quoque defendit MASSON in *Hiſtor. Crit. Reipubl. Litterar.* T. II. p. 121. quo ſic linguarum Hebr. & Sinenſis cognationem ſtabilire poſſet; conf. WOLFFII *Biblioth. Hebr.* Vol. II. p. 630.*) Cæterum Grammatici de litteris, quæ *Radicem* conſtituere debent, complures regulas tradunt: ut I.) ו & י nunquam tertiam *radicalem*, & idem ו nunquam primam conſtituere *radicalem*; quod tamen alii rectius negant, adducto in contrarium Verbo חוּר, *vixit*, conf. I. C. WICHMANSHAUSEN in Diſſ. de *faſciculo vitæ* p. 7. ſeq. *Verba* quoque, quibus prima *radicalis* ו ſit, ſtatuunt ALB. SCHULTENS aliique,

*) fauet etiam Breitinger in breui de Tel[illegible] p. 29[illegible].

que, ut Cap. ſeq. pluribus dicetur. II.) Non dari *Verba Perfecta*, quorum prima & tertia *radicalis* eadem ſit: quam regulam tamen HILLERVS l. c. p. 22. ita reſtringit, ut litteræ *ſibilantes* & נ excipiendæ ſint, e. g. שמש, נתן &c. excipit quoque HILLIGERVS l. c. p. 78. Coniugationem *Pihel*, ubi e. g. occurrit עִלֵּעַ &c. III.) Litteram ter poſitam nunquam conſtituere *Radicem:* quare PFEIFFERVS l. c. שֻׁשְׁשׁ, unde quidam *Numerale* שֵׁשׁ deducunt, *horrendum Radicis monſtrum* vocat; cui tamen HILLIGERVS l. c. p. 91. contradicit, eo quod etiam in aliis linguis orientalibus ſimiles *Radices* offendantur. Plures eiusmodi regulas videre eſt apud HILLERVM l. c. p. 21. ſeq. & in *Onomaſtico S.* c. 2. qui exinde multos Grammaticorum & Lexicographorum errores corrigi poſſe putat. Conf. ſupra Sect. II. §. 19. & 20. & VAL. FRIDERICI Diſſertat. de שֹׁרֶשׁ ſive *Radice Hebr.*

§. II.

Flexio Verbi fit per *Tempora*, *Perſonas*, *Genera* & *Numeros. Tempora* Hebræis quinque ſunt: 1) *Præteritum*, cuius tertia Perſona ſing. maſc. *Radicem* exhibet, quodque *Perfectum*, *Imperfectum* & *Plusquamperfectum* comprehendit; 2) *Participium*, idque duplex, *Præſens*, quod in *Kal* vocatur *Benoni*, i. e. *medianum* ſive *intermedium:* quia tempus *præſens* medium eſt inter *præteritum* atque *futurum;* & *Præteritum*, quod in *Kal* dici ſolet *Pahul;* 3) *Futurum:* quibus 4) *Imperativus* & 5) *Infinitivus* vulgo adduntur. Alii tamen duo tantum *Tempora* numerant, *Præteritum* & *Futurum*; tres autem *Modos* faciunt, *Indicativum*, *Imperativum* & *Infinitivum*, conf. PFEIFFERVS l. c. p. 97. Quod vero *Præteritum* aliis *Temporibus* præponitur, ideo fieri

putatur, quia & tempus *præteritum præſente* ac *futuro* prius eſt, & *Præteritum Radicem Verbi* exhibet. Sunt tamen, ut SPINOZA in *Gram. Hebr.* p. 62. HOTTINGERVS in *Erotemat. ling. Hebr.* p. 66. STARCKIVS in *Luce Gram. Hebr.* p. 160. T. H. *van den* HONERT in Diſſ. de *lingua primæva* §. 16. &c. quibus potius *Infinitivus Radicem Verbi* conſtituere videtur: 1) quia idem *Infinitivus* in *Verbis Quieſcentibus media radicali Vau* communiter pro *Radice* haberi ſolet, ut קוּם; 2) quia ab *Infinitivo* reliqua *Tempora* commodiſſime deduci poſſunt, & 3) quia *Infinitivus* Hebræis מָקוֹר, i. e. *fons*, dicitur. Carent itaque Hebræi peculiari *Tempore Præſenti*, eiusque loco *Participio Præſenti* vel alio *Tempore* utuntur. Cauſam eius eſſe volunt, quia inter tempus *præteritum* & *futurum* vix momentum intercedat, vel quia *præſens* non tam peculiare quoddam tempus conſtituat, quam potius nudum ſit vinculum temporis *præteriti* & *futuri*. *Imperativus* in *Coniugationibus Paſſivis* deficit: quia alteri mandare non poſſumus, quod in eius poteſtate non eſt; conf. BVXTORFFIVS in *Theſauro Gram.* p. 129. 130. & VOSSIVS de *Analogia* L. III. c. 14. Attamen *Imperativus* locum habet in *Coniugatione Niphal*, quoties ea ſignificationem habet *reciprocam*. Quidam etiam in *Coniugatione Hophal Imperativum* occurrere tradunt, adductis exemplis Jer. 49, 8. Ezech. 32, 19. Job. 21, 5. *Infinitivus* in *Kal* duplicis eſt generis: *Abſolutus*, cum (ָ) ſub prima *radicali*; & *Conſtructus*, (cum *Præfixis* ſcil. & *Affixis* vel inſtar *Nominis* cum alio *Nomine* ſequente,) cum (ְ) ſub eadem *radicali*. *Verba Neutra* ſive *Intranſitiva Participio Pahul* deſtituuntur; quod ſi tamen habent, eius ſignificatio non eſt *Paſſiva*, ſed *Activa*, inque *Verbis Qualitatis* plane coincidit cum ſignificatione *Participii Præſentis*, conf. *Arcanum* noſtrum *Formarum Nomin. Hebr.*

Hebr. p. 58. ſeq. Habent & reliquæ *Coniugationes* extra *Kal* unum tantum *Participium*, vel *Præteritum*, ut *Niphal*; vel *Præſens*, ut *Pihel*, *Hiphil* & *Hithpahel*; vel ſaltem utrumque *Participium* in *Pihel*, *Hiphil* & *Hithpahel* una eademque *Forma* venit. BVXTORFFIVS tamen l. c. p. 127. RVSCHATVS in *Grammat. Hebr.* p. 73. aliique, *Formam* פֹּקֵד *Participium* eſſe *Præſens Coniugationis Pyhal*, contendunt; quæ aliis potius eſt *Forma Nominum Verbalium*, conf. *Arcanum Form. Nom. Hebr.* p. 438.

§. III.

Perſonæ Hebræis tres ſunt: *tertia*, *ſecunda* & *prima*. *Perſona* ~~*prima*~~ tertia præmittitur: quia ea in *Coniugatione Kal* ſimplicior eſt reliquis & *Radicem Verbi* exhibet. In *Imperativo* & *prima* & *tertia Perſona* deficit. Totidem quoque habent *Genera: Maſculinum*, *Fœmininum* & *Commune;* quod *Genus Commune* in omnibus *Perſonis primis*, ut & in *tertia plur. Præteritorum* locum habet, conf. S. R. CHR. BENED. MICHAELIS Diſſert. de *Solœciſmis Generis* p. 8. & 9. Cauſam, cur *prima Perſona* tam *Pronominum* quam *Verborum Generis* ſit *Communis*, vulgo hanc eſſe volunt, quod ipſe loquens elocutionis ratione prodat, utrum *mas* ſit, an *fœmina*? Aliam cauſam affert IOBVS LVDOLFVS in *Gram. Æthiop.* p. 39. quia ſcil. *mulieres* pro faſtu, ipſis fere innato, ne deterioris viderentur conditionis, de ſe loquentes, *viros* ſic æmulatæ fuerint; cum contra eædem impedire non potuerint, quo minus *mares* de illis & cum illis alia ratione, ac de ſe ipſis, loquerentur, conf. D. MICHAELIS l. c. p. 7. Quia itaque etiam *Verba Generibus* variantur, qua in re linguæ orientales ab occidentalibus plane abeunt, ideo SPINOZA l. c. p. 60. ſeq. *Verba* eſſe *Adiectiva* ſtatuit. *Numeri* in *Verbis* ſunt tantum duo: *Singularis*

ris & *Pluralis*. An *Pluralis* in prima *Perſona* interdum per *Enallagen* pro *Singulari* veniat, quod Judæi & Sociniani, maxime in loco Gen. 1, 26. aſſerunt, disquirit PFEIFFERVS in *Introduct. in Orient.* p. 98.

§. IV.

Ratio illa flectendi *Verbum* per *Tempora*, *Perſonas*, *Genera* & *Numeros* diverſimode ſe habet, qui diverſi flexionis *Verbi* modi vocari ſolent *Coniugationes*. Circa *Coniugationum numerum* non convenit inter Grammaticos, aliis quatuor, aliis ſex, aliis ſeptem vel octo vel novem, aliis denique undecim numerantibus, conf. PFEIFFERVS l. c. p. 97. 98. & LOESCHERVS de *Cauſis ling. Hebr.* L. II. p. 383. & 391. Revera tamen non niſi una eſt *Coniugatio*, ſi ipſius flexionis ratio in ſe ſpectetur. Equidem ALB. SCHVLTENS in *Inſtitut. ling. Hebr.* p. 258. ſeq. unam quoque facit *Coniugationem*, eius loco reponens octodecim vel ſaltem undecim eiusdem *Coniugationis Formas* ſive *Species*; in libello tamen de *Defectibus linguæ Hebr.* §. 238. id inter linguæ Hebr. *defectus* refert, quod non plures, ac vulgo fieri ſolet, conſtituantur *Coniugationes*. Sunt, qui *Coniugationibus* reliquis aliam quandam addunt, quam *Pohel* vocant, pluribus a BELLARMINO contra ELIAM *Levitam* defenſam in *Inſtitut. Hebr.* p. 66. ſeq. vid. SCHVLTENS in *Inſtitut. ling. Hebr.* p. 284. qui p. 38. & in *Clave Dialectorum* p. 384. poſt RHENFERDIVM in *Grammatica Harmon. LL. OO.* §. 101. eam cum Arabum *Coniugatione* tertia confert, conf. noſtrum *Arcan. Form. Nom. Hebr.* p. 396. & *Onomaſt. S. V. T.* p. 605. Vulgo tamen quatuor numerantur *Coniugationes*: ita ut *Kal* cum *Paſſivo* ſuo *Niphal* primam, *Pihel* cum *Paſſivo* ſuo *Pyhal* ſecundam, *Hiphil* cum *Paſſivo* ſuo *Hophal* tertiam, & *Hithpahel* quartam *Coniugationem* conſtituant;

cum

cum contra, ſi *Niphal*, *Pyhal* & *Hophal* pro peculiaribus *Coniugationibus* habeantur, ſeptem numerentur.

§. V.

Quatuor vel ſeptem illæ *Coniugationes* nomen acceperunt ab antiquo Paradigmate פָּעַל, quod Grammatici Judæi ab Arabibus mutuati ſunt. Vnde prima *Coniugatio* dicitur פָּעַל, *Paal* ſive *Pahal*, alioquin vero קַל, i. e. *levis*: quia *Dageſch Forti* caret & ſignificatione atque formatione reliquis Coniugationibus *levior* eſt ac *ſimplicior*; ſecunda vocatur נִפְעַל *Niphal*, tertia פִּעֵל *Piel* ſive *Pibel*, quarta פֻּעַל *Püal* ſive *Pyhal*, quinta הִפְעִיל *Hiphil*, ſexta הָפְעַל *Hophal*, & denique ſeptima הִתְפַּעֵל *Hithpaël* ſive *Hithpahel*. Indidem Grammaticis פ *primam*, ע *ſecundam*, & ל *tertiam radicalem* notat. Quamvis autem פעל in lingua Arabica commode pro Paradigmate adhibeatur, quia Arabum *Ain Dageſch Forte* vel *Teſdid* admittit; in lingua tamen Hebr. ſecus ſeſe res habet, ubi ע, cum ſit ex litteris *indageſſabilibus*, exprimendæ *Coniugationi Dageſſatæ* inſervire nequit. Id ipſum Grammaticis veterioribus anſam dedit loco Paradigmatis פעל ſubſtituendi פקד; quod tamen nec ipſum ſatis commodum eſt, cum non ſolum פ poſt (ׄ) *Quieſc. Dageſch Leni* notandum ſit, ſed & ד ante *Afformantem* ת in *Præteritis* difficulter inter pronunciandum percipiatur: quare alii rectius vel משׁל vel קטל Paradigma conſtituunt. *Coniugationes* illæ duplicis ſunt generis: quædam enim *Dageſſatæ* ſive *Graves* vocantur, quarum ſecunda littera *radicalis Dageſch Forte* accipit, ut *Pibel*, *Pyhal* & *Hithpahel*; reliquæ *Non-Dageſſatæ* appellantur ſive *Leves*, quæ *Dageſch* illo carent.

§. VI.

In flexione ſive coniugatione *Verbi* non ſolum *Puncta* litterarum *radicalium* diverſimode mutantur; ſed litteris illis *radicalibus* etiam certæ quædam litteræ *ſerviles* ſuperadduntur, idque vel *ab initio* vel *a fine:* illæ *Præformantes*, hæ *Afformantes* vocari ſolent. Ab utriusque generis litteris *ſervilibus* hisce maximam partem *Coniugationum*, *Temporum*, *Perſonarum*, *Generum* & *Numerorum* diſcrimen dependet. Singulis *Præformantibus* ſubiiciendum eſt (ְ); quod tamen ſequente alio (ְ) in Vocalem brevem abit. *Afformantes* ſunt vel *Syllabicæ*, quæ Syllabam conſtituunt; vel *Aſyllabæ*, quæ per ſe Syllabam non efficiunt. *Afformans* tamen Perſonæ II. ſing. fœm. *Præteritorum* תְּ, licet Syllabam per ſe non conſtituat, quia tamen Syllabam inchoare debebat, coll. Sect. III. §. 8. obque communem cum *Afformantibus Syllabicis* affectionem, ipſa quoque *Syllabicis* accenſetur; præſertim vero, quia eadem ſubinde ſcripta legitur תְּי, cum *Jod Otioſo*, quod indicio eſt, ſecundum litteras quoque legi poſſe תִּי, conf. Hilleri *Arcanum Kri & Kethibh* p. 381. ſeq. idque ex Syriſmo, obſervante Hottingero in *Gram. Harmon.* p. 154. vel ex Arabiſmo, ut videtur Alb. Schvltensio in *Clave Dialectorum* p. 362. ſeq. *Afformantes* illæ communi Grammaticorum conſenſu ortæ ſunt ex *Pronominibus Perſonalibus*: ita tamen, ut *Afformantes Præteriti* כ *Pronominum* convertant in ת, diſtinctionis cauſa ab *Affixis*, quæ & ipſa a *Pronominibus* illis exorta, כ retinent, coll. Sect. præced. §. 3. quod כ Æthiopes etiam in *Afformantibus* aſſervant, vid. Bvxtorffivs in *Theſauro Gram.* p. 95. ſeq. Danzivs in *Litterat.* p. 356. I. I. Hirt in Diſſert. de *formatione & perfectione Pronominum Perſonalium & Verbi*, & G. G. Ranis in *Analyſi Pronominum Perſonalium*, *Suffixorum*, *Afformativorum* & *Præfor-*

Præformativorum. Hinc e. g. פָּקַדְתִּי dicitur pro פָּקַדְכִּי · פְּקַדְתֶּם pro פְּקַדְכֶם &c.

§. VII.

Singulas *Præformantes* & *Afformantes* ſequenti ſchemate commode exhibemus:

I. *Præformantes*

a) *Coniugationum*:
- נ *Niphal.*
- ה *Hiph.* & *Hoph.*
- הת *Hithpah.*

b) *Temporum:*
- ה *Imperat.* & *Infin. Niph.*
- מ *Particip.* extra *Kal* & *Niph.*

c) *Tempor.* & *Perſon.* (*Futuri* ſimul:
- י perſ. 3. maſc. ſing. & plur.
- ת perſ.
  - 3. fœm. ſing. & plur.
  - 2. maſc. & fœm. ſing. & plur.
- א perſ. 1. ſing.
- נ perſ. 1. plur.

II. *Afformantes*

a) *Syllabicæ*
- *Præt.*
  - perſ. 2.
    - ſing.
      - maſc. תָּ
      - fœm. תְּ vel תִּי
    - plur.
      - maſc. תֶּם
      - fœm. תֶּן
  - perſ. 1.
    - ſing. תִּי
    - plur. נוּ
- *Imperat.* & *Fut.* perſ. 2. & 3. plur. fœm. נָה

b) *Aſyllabæ*
- ה ָ perſ. 3. ſing. fœm. *Præt.*
- ו plur.
  - perſ. 3. com. *Præt.*
  - perſ. 2. & 3. maſc. *Imperat.* & *Fut.*
- י ִ ſing. perſ. 2. fœm. *Imperat.* & *Fut.*

 §. VIII.

§. VIII.

Anomalias vero, circa *Præformantes* & *Afformantes* illas obverſantes, Grammaticis relinquimus. Id tamen non eſt prætermittendum, quod 1) una atque altera *Præformans* ſubinde deſideretur, ut נ vel ה in *Niphal* &c. & interdum ex *Afformantibus* aliquid excidat, maxime ex *Afformante* נָה, ut Exod. 2, 20. Ruth. 1, 20. Ieſ. 32, 11. &c. 2) Quod aliquoties loco *Præformantis fœm.* ת *Præformans maſc. Iod* in *Futuro* reponatur, ut Gen. 30, 38. quale vocabulum Rabbinis vocatur אנדרוגינוס, (ἀνδρόγυνος) & de utroque *ſexu* exponitur. Hottingervs tamen l. c. p. 151. eiusmodi anomaliam ad Dialectum *Chaldaicam* refert. 3) Quod littera ת ex *Præform.* הת in *Hithpahel* cum prima radicali, ſi hæc ſit *ſibilans*, ז, ס, צ, ש, interdum transponatur & deinde poſt ז in ד, poſt ת autem in ט mutetur. Cauſam illius transpoſitionis Schindlervs in *Gram. Hebr.* p. 118. & I. G. Abicht in *Methodo Hebr.* p. 70. hanc eſſe volunt, quod ת illud, *Dageſch Leni* deſtitutum, ipſum quoque cum *ſibilo* efferatur, (conf. Sect. II. §. 11.) ſic vero duæ litteræ *ſibilantes* concurrerent; cum contra ת, ſic transpoſitum, *Dageſch Leni* afficiatur eoque *ſibilum* ſuum amittat. Cur vero idem ת poſt ז in ד transeat, exinde fit, quod ת, littera durior, cum ז, littera molliore, non bene conveniat: quemadmodum idem ת poſt צ in ט mutatur, quia ט magis conſonat cum צ, quod, in litteras *ſimplices* reſolutum, טז valet. Sic quoque in aliis linguis litteræ cognatæ coniungi ſolent, conf. Schindlervs l. c. p. 119. Bvxtorffivs in *Theſauro Gram.* p. 144. ſeq. & Danzivs in *Litterat.* p. 372. 3) Quod idem ת ex *Præformant.* הת in *Hithpahel* primæ *radicali* per *Dageſch Forte* inſeratur: idque ſemper, ſi prima *radicalis* ſit ד, ט & ת; rarius, ſi illa ſit נ; rariſſime, ſi eadem alia ſit Conſonans.

§. IX.

Sequitur *Temporum* ac *Coniugationum* Hebr. *ſignificatio*: quæ admodum variat, certisque regulis difficulter definitur, ex Lexicis potius & uſu obſervanda. Circa *Tempora*, maxime *Futurum*, tot occurrunt *Enallagæ*, ut Grammatici de eorum ſignificatu certi quid determinare fere deſperent: id quod LOESCHERVS de *Cauſis ling. Hebr.* p. 126. merito inter linguæ Hebr. *defectus* refert, qui & p. 433. *Enallagas* Grammaticorum *aſylum* vocat. *Enallagas* itaque illas ut ex Hebraismo eliminarent, plurimi operam ſuam impenderunt, infra Sect. X. §. 3. laudandi: quos inter cumprimis hic nominamus duumviros, FLORENTIVM *de* BRUIN, in *Explicatione Pſalmi* XLVI. in *Annotationibus* ad Pſ. CIII, 15-18. maxime vero in Diſſertatione Epiſtol. de *emendandis Temporum Hebrææ linguæ anomaliis Enallagisve*, edit. an. 1703. & W. KOOLHAASIVM in *Diſſertationibus Grammaticis ſacris, quibus analogia Temporum & Modorum Hebrææ linguæ inveſtigatur ac illuſtratur*, edit. an. 1748. Huc quoque ſpectat Celeb. W. C. I. CHRYSANDRI Diſſert. de *Plusquamperfecto, varia S. S. loca expediente*, qui *Tempora* Hebræorum ſine discrimine omnia tempora pro rei ſubſtratæ & connexionis ratione ſignificare poſſe, ſicque cum *Aoriſtis* Græcorum convenire, adeoque potius *Aoriſtos* I. & II. quam *Præteritum* & *Futurum* dicenda eſſe, contendit.

§. X.

De *Coniugationum ſignificatione*, quantum eam definire licet, paſſim exſtant Grammaticorum regulæ: quas hic non repetemus, ſed ſaltem unum atque alterum annotabimus. Ratione *ſignificationis Coniugationum*, I) *Verbum* in genere eſt vel *Transitivum* vel *Intransitivum*. Illud eſt, quod *actionem in Obiectum transeuntem*

euntem notat, ut פקד *viſitavit.* Hoc quadruplicis eſt generis: 1) *Actionis Intranſitivæ*, quæ non ad *Obiectum* aliquod, ſed ad ipſum *Subiectum* refertur, ut הלך *ambulavit*; 2) *Paſſionis*, ut מסס *diſſolutus eſt*; 3) *Qualitatis*, ut ישר *rectus fuit*, & 4) *Status*, ut מלך *rex fuit*, vulgo *regnavit*. Conf. *Arcanum* noſtrum *Form. Nom. Hebr.* Sect. I. §. 7. II.) *Verbis* nonnullis, maxime *Coniugationis Pihel*, quibus ſignificationes *contrariæ* ineſſe videntur, vulgo *Antiphraſin* tribuunt; qua tamen commode carere poſſumus, ſi obſerventur, quæ in *Arcano* modo dicto l. c. §. 8. adduximus. Totius rei cardo in eo vertitur, ut ſingulis *Radicibus*, quæ ſignificationes *contrarias* habere videntur, notio quædam *generalis* tribuatur, unde ſignificationes *ſpeciales* derivari queant. Significationes illas *generales* detegere primus ſtuduit SAM. BOHLIVS, easque *Formales* dixit; quem deinde alii ſecuti ſunt, maxime vero CHR. STOCKIVS in *Clave linguæ S. V. T.* (u) Confer, quæ hanc in rem ſcripta laudavimus in *Arcano Form. Hebr.* Sect. I. §. 1. iisque adde FRID. SCHERERZII *Animadverſiones Iſagog. circa Philologiam* L. II. c. 11. RHENFERDII Diſſert. de *ratione obſervandi genuinam vocabulorum Hebr. ſignificationem*, (x) HÜLSEMANNI *Prælectiones Academ. in Formulam Concord.* c. 4. §. 6. & *Vindicias S. S.* p. 253. ſeq. I. I. BREITINGERI *Idiotiſmos linguæ S.* p. 23. ſeq. Celeb. I. D. MICHAELIS *Grammaticam Hebr.* p. 102. ſeq. Ven. I. C. KLEMMII *Criticam S.* Can. II. Doctiſſ. BENIAM. GRODDECKII Diſſert. de *originum Hebr. fonte & utilitate* §. 26. ſeq. &c. conf. & ſupra Sect. I. §. 9. Hic vero ſedulo caven-

(u) Integrum BOHLII *Lexicon* inſcr. ea methodo elaboratum, olim inter ſchedas ſuas ſe habuiſſe, poſthæc amico relictum, refert MORHOFIVS in *Polyh.* T. I. L. IV. c. 5.

(x) Exſtat illa in eius *Operibus Philolog.* p. 614. ſeq.

cavendum eſt, ne 1) ſignificatio illa *generalis* nimis remota & laxa adeo conſtituatur, ut omnibus fere *Verbis* applicari queat; 2) ne *Radices*, litteris ſaltem ſimiles, ſed ſignificatione toto cœlo diverſæ, e. g. אבר ,באר ,ברא, ad eandem ſignificationem *generalem* referri poſſe putentur. III.) Circa *ſignificationem* Coniugationis *Hiphil* non convenit inter Grammaticos. Vulgo *Hiphil* actum, qui *transitivus* non eſt, facere *transitivum*, eum vero, qui talis iam exiſtit, ulterius *transitivum* facere, tradunt. Quia vero hic ſenſus in phraſibus illis, quibus Deus hominem *indurare* dicitur, multis durior videtur, alii *Coniugationi Hiphil* ſignificationem nude *permiſſivam* tribuere malunt, conf. Pfeifferi *Introduct. in Orient.* p. 99. Iudice Danzio, *Hiphil rem quocunque modo promovere* notat, quod & Loeschero l. c. p. 286. placet. IV.) *Coniugationem Hithpahel* inter alia vulgo quoque ſignificationem *ſimulandi* habere aſſerunt. Exempla vero, eo referri ſolita, commode *reciproce* exponi poſſunt, quæ conſueta eſt huius *Coniugationis* ſignificatio, e. g. התחלה vulgo *ægrotum ſe ſimulavit*; ſed quidni *ſe ipſum ægrotum fecit*? conf. Loeschervs p. 390. Rvschatvs in *Gram. Hebr.* p. 142. ſeq. Glassivs in *Philologia S.* p. m. 824. ſeq. H. S. Reimarvs de *Differentiis vocum Hebr.* Diſſert. I. p. 59. Sennertvs in Diſſ. de *Coniugationum Hebr. ſignificatione*, & Sam. Koenig in Diſſertat. de *ſenſu S. S. litterali, prophetico & myſtico, & de ſignificatione atque uſu Coniugationis Hithpahel.* Quo vero fundamento Doctiſſ. C. G. Hase in *Gram. Hebr.* p. 59. huic *Coniugationi* etiam ſignificationem *reciprocam* abiudicet, equidem plane non perſpicimus.

§. XI.

Denique & *Verbi mutationes* memorandæ ſunt, eæque tam *eſſentiales*, quam *accidentales*. *Mutationes Verbi eſſen-*

eſſentiales eas dicimus, quæ in ipſa formatione & deductione *Verbi*, ſive quoad *Litteras*, ſive quoad *Puncta*, ſeſe exſerunt: e. g. quoad *Præformantes* ה & כ, quoties alia *Præformans* inſuper illis præfigitur; quoad *Vocalem* primæ ac ſecundæ litteræ *radicalis* ſive *Punctum* ſic dictum *terminale*; quoad *Punctum Præformantium*; quoad *tonum* ſive *Accentum*, accedentibus ſcil. *Afformantibus Aſyllabis*, &c. longe autem copioſius in *Verbis Imperfectis*, ubi litteræ quoque *radicales* varias mutationes ſubeunt, ut Cap. ſeq. pluribus dicetur. *Mutationes Verbi accidentales* illæ ſunt, quæ ab alia cauſa externa, *Verbo* accedente, eveniunt, ut ab *Affixis*, a *Vau* ſic dicto *Converſivo* &c. de quibus plura tradet Caput ſeq. III.

CAPVT II.

DE

VERBO IMPERFECTO.

§. XII.

Ex iis, quæ ſupra §. 1. adducta ſunt, facile liquet, quid ſit *Verbum Imperfectum*. *Verbum Perfectum* 1) *tres* habet litteras *radicales*: quod ſi itaque *Verbum* aliquod pluribus abſolvitur eiusmodi litteris *radicalibus*, illud eſt *Imperfectum*, idque *Plurilitterum*. 2) *Verbum Perfectum* tres illas litteras *radicales* per omnia retinet: quod ſi vero una atque altera *deficit*, *Verbum* erit *Imperfectum*, & quidem *Defectivum*. 3) *Verbi Perfecti* litteræ *radicales* ſingulæ ſunt *mobiles*: ſi vero una vel altera *quieſcat*, *Verbum* ſimiliter *Imperfectum* eſt, idque *Quieſcens*. Tres itaque dantur *Verborum Imperfectorum* ſpecies, quas ſingulas ordine perluſtrabimus. Primam ſpeciem conſtituunt *Plurilittera*, fere iuxta *Coniugationes Dageſſatas* inflectenda: quippe quæ *Coniugationes* & ipſæ quatuor habent litteras *radicales*, media radi-

radicali per *Dageſch Forte* geminata, ut פִּקֵּד tantundem valet ac פִּקְקֵד. Conſtant autem *Verba Plurilittera* vel ex diverſis plane litteris *radicalibus*, adeoque proprie ex duabus *Radicibus* compoſita ſunt, ut פַּרְשֵׁז ex duabus *Radicibus Synonymis* פרש & פרז *ſeparavit*, ſolis litteris ſimilibus ſic non repetitis; vel una atque altera littera *radicalis* geminatur: ut vel *tertia*, e. g. in אמלל ab אמל, vel *ſecunda* & *tertia*, e. g. in סחרחר a סחר, vel *prima* & *ſecunda*, e. g. in יפיפה a יפה, vel ſola *prima*, e. g. in חרחר a חרר, vel *prima* & *tertia*, e. g. in כלכל a כול; cuius generis tamen *Verba* ALB. SCHVLTENS in *Inſtitut. ling. Hebr.* p. 311. ſeq. non ad *Imperfecta*, ſed ad *Perfecta* refert. *Significationem* eiusmodi *Verborum* quod concernit, plurimi Philologi eam eſſe *intenſivam* affirmant, ut BOCHARTVS in *Hieroz.* P. II. Libr. V. c. 6. SCHINDLERVS in *Gram. Hebr.* p. 222. QUINQUARBOREUS ad CLENARDI *Tabulas ling. Hebr.* p. 112. LOESCHERVS p. 402. &c. maxime vero Rabbini, quorum canon eſt: *omnis geminatio litterarum duplicat ſenſum.* Conveniunt ſic hæc Verba cum Verborum *Perfectorum Coniugationibus Dageſſatis.* Sunt tamen, qui *Plurilittera*, *primam* & *ſecundam radicalem* geminantia, ſignificationem quidem *intenſivam*; geminantia vero *radicalem ſecundam* & *tertiam*, ſignificationem habere *deminutivam*, putant, ut WASMVTHVS in *Hebraiſmo reſtit.* p. 83. HOTTINGERVS in *Erotemat. ling. S.* p. 74. PAGNINVS in *Inſtitut. ling. Hebr.* L. II. c. 8. HILLERVS in *Inſtitut. ling. S.* p. 218. RVSCHATVS in *Gram. Hebr.* p. 54. &c. provocantes ad ABEN-ESRAM; qui id paſſim inculcat. Sed vid. *Arcanum* noſtrum *Form. Nom. Hebr.* Sect. III. c. 3. §. 9. & cf. PFEIFFERI *Introduct. in Orient.* p. 101. ſeq. Omnia *Verba Plurilittera* vitia eſſe ſcriptorum ſacrorum, temere pronunciat SPINOZA in *Gram. Hebr.* p. 107.

§. XIII.

§. XIII.

Secundam *Verborum Imperfectorum* ſpeciem conſtituunt *Defectiva*, in quibus ſubinde una atque altera littera *radicalis deficit:* ſuntque ea vel *Defectiva prima radicali* נ, ut נגשׁ, vel *ſecunda radicali*, *tertiæ ſimili*, ut סבב, vel *tertia radicali* נ & ת, ut שׁכן, כרת. *Defectivorum prima radicali* נ anomalia in eo conſiſtit, quod נ illud, quoties (:) poſſidet, in *Infinitivo* & *Imperativo Kal* per *Aphæreſin* abiiciatur, ut גַּשׁ pro נְגַשׁ; vel ſecundæ *radicali* per *Dageſch Forte* inſeratur, ut in *Futuro Kal*, in *Præterito* ac *Participio Niphal*, in *Coniugationibus Hiphil* & *Hophal* totis, e. g. יַגַּשׁ pro יִנְגַּשׁ &c. idque per merum ſcribendi compendium: quod idem de *Defectivis tertia radicali* נ & ת dicendum, ubi נ & ת *Afformantibus Syllabicis*, a נ & ת inchoatis, per ſimile *Dageſch Forte* inſeritur. *Nun* enim *ſchevatum* primo quidem in ſequentem Conſonam mutatur: id quod etiam in aliis linguis fieri ſolet, e. g. in Græca συλλέγω dicitur pro συνλέγω, in Latina *irritus* pro *inritus* &c. deinde vero per *Dageſch Forte* ſequenti Conſonanti inſcribitur. Vnde Grammatici nonnulli, ut HILLIGERVS in *Summario ling. S.* p. 94. 95. PFEIFFERVS in *Methodo Hebr.* p. 110. ſeq. & *Introduct. in Orient.* p. 100. &c. *Defectivis tertia radicali* נ & ת commode ſuperſederi poſſe iudicant. Idem de *Defectivis prima radicali Jod* & *Lamed* affirmandum eſt, quæ plurimi Grammaticorum ut peculiarem quandam *Defectivorum* claſſem pertractant: qualia ſunt יקת, יצת, יצע, יצב, יכח, & interdum לקח, ישׁר, יקץ, יגע, יסר, יצר, יצק & לתע. Sed iſta *Defectivorum* claſſe opus non eſt, ſi exempla, *Dageſch Forti* in ſecunda *radicali* affecta, a *Synonymis*, quarum prima radicalis נ ſit, deriventur, ut הִצִּיב a נצב, יִקַּח a נקח &c. Hæc ſententia confirmatur

firmatur 1) auctoritate præſtantiſſimorum Grammaticorum, idem ſentientium; 2) aliis ſimilibus thematum exemplis, quæ eiusdem quidem *ſignificationis*, ſed diverſæ ſunt *Formæ*; 3) natura litteræ *Jod*, quæ, utpote una ex *Quieſcentibus*, mollior eſt ac tenerior, quam ut (:) *Quieſc.* poſſidens, in Conſonam ſequentem mutari eique per *Dageſch Forte* inſeri queat; 4) Nominibus nonnullis, ab eiusmodi Verbis derivatis, quæ revera *Nun* habent, ut נְצִיב , נָצָב &c. Quæ ſint anomaliæ *Verborum Defectivorum ſecunda radicali*, ex Grammatica diſcitur. Præcipua illarum eſt mediæ *radicalis*, tertiæ ſimilis, excluſio: quia continua eiusdem litteræ in eadem Syllaba repetitio euphoniæ repugnat.

§. XIV.

Quieſcentia denique, tertia *Verborum Imperfectorum* ſpecies, vel *prima*, vel *ſecunda*, vel *tertia* littera *radicali* quieſcunt. *Quieſcentia prima radicali* ſunt, in quibus prima littera א vel י quieſcit. *Quieſcentium prima radicali* א anomalia in eo conſiſtit, quod א, poſt *Præformantem* (:) *Quieſcente* afficienda, ſæpius quieſcat: ut in *Futuro Kal*, ubi א in *Cholem* quieſcit & *terminale Punctum* (··) eſt vel (-), e. g. יֹאמַר; rarius in *Præterito Niphal*, in *Participio*, *Infinitivo* & *Futuro Hiphil.* Interdum quoque א plane excluditur. Non tamen omnia Verba, quibus prima *radicalis* א eſt, hanc anomaliam admittunt, ſed tantum ſequentia: אבד , אכל , אהב , אחז , אמר , אסף , אפה & אצר; neque tamen ſemper & ubique: unde Grammaticorum nonnulli, ut BVXTORFFIVS in *Theſauro Gram.* p. 111. PFEIFFERVS in *Methodo Hebr.* p. 113. & in *Introduct. in Orient.* p. 100. aliique, Verba iſta peculiarem *Quieſcentium* claſſem conſtituere negant. *Quieſcentia prima* littera *radicali Jod* anomaliam pa-

tiuntur, quoties *Jod* in *Coniugationibus Non-Dageſſatis*, ubi (:) afficienda erat, alibi in (·) aut (··) quieſcit; alibi cum *Vau*, quieſcente in *Cholem* & *Schurek*, permutatur; alibi plane perit: idque vel per *Aphæreſin*, ut in *Infinitivo* & *Imperativo Kal* aliquot Verborum; vel implicite quieſcendo in (·) aut (··), ut in *Futuro Kal* quorundam Verborum: quæ ſingula ex Grammatica repetenda ſunt. Sunt, qui Hebræis, ad Arabum exemplum, etiam Verba *Quieſcentia prima radicali Vau* tribuunt, ut SCHVLTENS in *Inſtit. ling. Hebr.* p. 338. & in *Clave Dialectorum* p. 211. 212. HACKMANNVS in *Præcidaneis S.* p. 11. ſeq. & p. 201. & FRANC. TSEPREGIVS in Diſſert. de *authentia ſelectiorum Ketbibhim* P. I. §. 16. ſeq. eo quod *Vau* tam in Nominibus quibusdam *Derivatis*, quam in *Coniugationibus Niphal*, *Hiphil*, *Hophal* & *Hithpahel* compareat: quæ ſententia tolerabilior eſt, quam quod G. PRÆTORIVS in *Gram. Hebr.* p. 194. & TH. BLEBELIVS in *Gram. Hebr.* p. 190. Verba *Quieſcentia prima radicali* ה ponunt eoque referunt הלך, unde ſit e. g. *Fut.* אֵלֵךְ; quod tamen potius eſt a ילך.

§. XV.

Quieſcentia ſecunda ſive *media radicali* ſunt Verba, quæ mediam litteram *Vau* habent vel *Jod;* neque tamen omnia: ſiquidem etiam quædam quoad mediam *radicalem* perfecte ſe habent, ut כָּוָה · גָּוַע · אָיַב &c. Circa *Quieſcentia* illa *media radicali* non conſentiunt Grammatici. PISTORIO enim in *Enchiridio linguæ S.* p. 338. ſeq. potius ſunt *Quieſcentia media* א, cuius ſententiam etiam probat C. KÜMMETVS in *Schola Hebr.* p. 171. idque ob ſequentes potiſſimum cauſas: 1) in omnibus Verbis *Præteritum Kal Radicem* continet; atqui Verba illa *Quieſcentia* in *Præterito* in (ָ) termi-

terminantur, in quo quidem א, non vero *Vau* aut *Jod* quieſcere poteſt: ergo media *radicalis* א ſit oportet. 2) Dantur revera exempla, quæ א illud habent expreſſum, ut קָאם · יָנֵאץ · רָאמוֹת &c. 3) Multa exſtant Verba, quorum media *radicalis Vav* eſt aut *Jod*, & tamen perfecte ſe habent, (ut modo dictum.) quidni autem illa quoque ſic quieſcerent? 4) Etiam Chaldæi atque Syri in eiusmodi *Verbis Quieſcentibus* א habent *quieſcens.* Multa tamen in contrarium excipit HILLERVS in *Inſtitut. ling. S.* p. 175. ſeq. qui Verba illa potius dicit *Diminuta* ſive *Defectiva ſecunda radicali Jod*, huiusque ſententiæ ſuæ ſequentia adducit argumenta: 1) Verba illa non poſſunt habere mediam *radicalem Vau:* quia *Vau radicale* ante & poſt Litteras *Gutturales* locum non habet; 2) media *radicalis Jod* diſerte ſeſe prodit in *Coniugationibus Dageſſatis*, ut קִיֵּם; 3) Nomina *Derivata* idem *Jod* originarium præ ſe ferunt, ut צַיִד a צוד, שַׁיִט a שוט &c. 4) *Participia* quoque Chaldaica *Jod* habent, ut קָיְמִין &c. Iuxta HILLERI itaque ſententiam קָם dicitur pro קָיַם, ad *Formam* שָׁפָט. Conf. I. G. ABICHTI *Methodus Hebr.* p. 110. Cæterum anomaliæ illorum Verborum *Quieſcentium* in Coniugationibus tam *Non-Dageſſatis* quam *Dageſſatis* variant, idque ratione *Litterarum* æque ac *Punctorum*; quas vero hoc loco ſpecialius explicare ſuperſedemus. Pleræque illarum ex principiis generalibus, Sectione IV. de *mutatione Punctorum generali* expoſitis, deduci poſſunt. Singularis quædam anomalia eſt, quod *Præformans* ה in *Hiphil* ſubinde plane abiicitur, ut in בִּין pro הֵבִין, in שִׁית pro הֵשִׁית &c. Id tamen Grammatici quidam negant, quibus eiusmodi exempla potius ſunt *Præterita Coniugationis Kal*, peculiaremque *Quieſcentium media radicali*

dicali Jod conſtituunt claſſem, ut apud Arabes. Sentiunt ita MICH. NEANDER in *Erotemat. linguæ Hebr.* p. 103. SCHVLTENS in *Inſtitut. ling. Hebr.* p. 338. & 365. Cl. MEINERVS in *Gram. Hebr.* p. 168. Doctiſſ. HASE in *Gram. Hebr.* §. 103. BLEBELIVS l. c. p. 210. & IOH. AVENARIVS in *Gram. Hebr.* L. I. qui integrum talium Verborum catalogum exhibet. Præterea idem SCHVLTENS l. c. p. 337. ſeq. etiam Verba *Quieſcentia media radicali* א addit.

§. XVI.

Quieſcentia tertia radicali duplicis generis ſunt: *Quieſcentia tertia* א & *tertia* ה. Illorum א quieſcit vel *implicite* vel *explicite*, idque vel *in medio* ante *Afformantes Syllabicas*; vel *in fine:* unde pro (-) terminali (ָ) aſſumitur. Reliqua Grammaticis relinquimus. Anomalia *Quieſcentium tertia radicali* ה, de quibus exſtat peculiaris L. C. BLOSSII *Diſſertatio*, itidem ſeſe exſerit vel ubi ה finale eſt, vel ubi *Afformantes* accedunt. In fine ה pro *Temporum* diſcrimine in diverſis Vocalibus quieſcit, ceu ex Grammatica conſtat. In *Infinitivis* autem ה vel plane perit, vel in ת mutatur; in *Participio Pahul* denique in *Jod* transit. In medio ante *Afformantes Syllabicas Præter.* pariter in *Jod* mutatur; ante *Afformantes Aſyllabas* autem omnino excluditur, excepta ſola *Perſona* III. *ſing. fœm.* ubi idem abit in ת, ipſum quoque *Generis Fœmin.* indicem, conf. Sect. V. §. 10. e. g. גָּלְתָה; non vero גָּלָה excluſo ה *radicali*: ſic enim *Fœmininum* cum *Maſculino* coincideret. Cauſa illius excluſionis & permutationis litteræ ה non alia eſt, quam quia ea in medio quieſcere nequit. Caſus autem ſpeciales & exceptiones dabunt Grammatici. ALB. SCVLTENS l. c. p. 337. ſeq. & in *Clave Dialectorum* p. 209. & 242. pro hypotheſi ſua ה *radicale*

quie-

quieſcere, adeoque, poſt RAVIVM in *Delineat. Orthogr. & Analog. Hebr.* p. 63. & 66. Verba dari *Quieſcentia tertia* ה, negat, quæ illi potius ſunt *Quieſcentia tertia radicali Vau* & *Jod*, qualia & Arabes habent: ita ut *Vau* & *Jod* ſaltem euphoniæ cauſa in ה tranſeat.

§. XVII.

Tribus his Verborum *Imperfectorum* ſpeciebus, hactenus recenſitis, quæ *ſimpliciter Imperfecta* vocare licet, addi poſſunt quædam Verba *dupliciter Imperfecta*, quæ geminam habent anomaliam, quoties e. g. & *prima* & *tertia radicalis Defectiva* eſt vel *Quieſcens;* quoties item & *ſecunda Quieſcens* & *tertia Defectiva* eſt, & vice verſa: qualia Verba utramque anomaliam ſequuntur; vel quoties & *prima* & *ſecunda*, vel *ſecunda & tertia radicalis Defectiva* eſt: qualia Verba alterutram anomaliam promiſcue admittunt; vel denique quoties & *ſecunda* & *tertia radicalis* eſt *Quieſcens:* quo caſu poſterior ſaltem anomalia locum habet. *Tripliciter* vero *Imperfecta*, qualia in lingua Arabica occurrunt, in lingua Hebraica deficiunt, neque e. g. נוא eo trahi poteſt, ut recte monet HILLIGERVS in *Summario ling. S.* p. 78. Memoranda hic quoque ſunt Verba ſic dicta *Mixta*, i. e. in quibus diverſa *Genera*, *Tempora*, *Coniugationes* & *Radices*, maxime *Imperfectæ*, miſcentur, e. g. יֵחַמְנָה Gen. 30, 38. mixtum eſt ex *Maſculino* & *Fœminino*; תָּבֹאתִי 1 Sam. 25, 34. mixtum eſt ex *Præterito* & *Futuro*; יִרַדֹּף Pſ. 7, 6. ex *Kal* & *Pihel*, הֹבְאִישׁ Jeſ. 30, 5. ex *Radicibus* יבשׁ & באשׁ, &c. SCHVLTENS in *Inſtitut. ling. Hebr.* p. 398. eiusmodi *Formas Mixtas* ſingulari linguæ genio & gravitati ſtyli tribuit. Ut diſtinctius cum aliis Grammaticis loquamur, Verba illa *Mixta* ut plurimum etiam ſenſum *mixtum* ac *compoſi-*

tum

tum involvunt, i. e. ſignificationem utriusque *Formæ*, unde mixta ſunt, comprehendunt: qua de re pluribus conf. PFEIFFERI *introduct. in Orient.* Diſſ. V. quæſt. 10. GLASSII *Philolog. S.* p. m. 846. STARCKII *Lux Gram. Hebr.* p. 182. ſeq. &c. In multis exemplis nuda quædam anomalia punctationis regnat, præſertim ubi Verba *Quieſcentia tertia radicali* א & ה *Formas* ſuas permutant: quia duæ hæ litteræ multum habent cognationis.

CAPVT III.

DE

VERBI MVTATIONIBVS ACCIDENTALIBVS.

§. XVIII.

Mutationes *Verbi* duplices eſſe, *eſſentiales* & *accidentales*, ſupra §. 11. prædiximus. Hæ *mutationes accidentales* quinque ex cauſis accidere ſolent: quæ ſunt 1) *Affixa*, 2) *Vau* ſic dictum *Converſivum*, 3) *Particula* אַל, 4) ſignificatio Verbi *abſoluta*, 5) *tonus* ſive *Accentus*. Circa *Affixa* Verborum in genere repetenda ſunt, ſupra Sect. VI. §. 3 - 5. in medium prolata. Præterea circa *affixionem* Verborum diſpiciendum eſt, 1) quænam Verba Verborumque *Perſonæ Affixa* admittant? 2) qualia *Affixa* illis addantur? 3) qua ratione id fiat? & 4) quænam *mutationes accidentales* exinde eveniant? Regulariter quidem ſolis Verbis *Tranſitivis* & *Infinitivo Niphal* adiungi poſſunt *Affixa*; ita tamen, ut eadem non ſemper Verbis *Activis* immediate affigantur, ſed etiam ſeorſim, *Particulis* iuncta, ſequantur, maxime *Particulæ* אֵת. Promiſcue enim dicitur: הִפְקִידוֹ & הִפְקִיד אוֹתוֹ *præfecit illum.* Anomalia

malia eſt, quando *Affixa* ſubiunguntur 1) *Infinitivo Hithpahel*, ut Gen. 42, 21. 1 Reg. 21, 20. &c. 2) Verbis *Intranſitivis* ſive *Neutris*, ut Gen. 37, 4. &c. cuius rei exempla non aliter, quam per *Ellipſin* explicanda ſunt; 3) Verbis *Paſſivis Temporis Finiti*, ut 1 Chron. 23, 6. Jeſ. 44, 21. &c. Neque etiam *Affixa* omnibus Verbi *Perſonis* addi poſſunt. Verba enim *Perſonæ primæ* non admittunt *Affixa* eiusdem *Perſonæ*; Verba item *Perſonæ ſecundæ* reſpuunt *Affixa* eiusdem *Perſonæ*. Occurrit quidem עֲשִׂיתִנִי Ezech. 29, 3. quod tamen non per *feci me*, ſed per *feci mihi* exponendum eſt.

§. XIX.

Porro non omnia Verbi *Tempora* eadem *Affixa* recipiunt. *Participia* enim & *Infinitivi* eadem *Affixa*, cum *mutationibus* annexis, admittunt, quæ *Nominibus* accedunt. Occurrit tamen *Affixum Perſonæ primæ ſing.* נִי, quod alias *Affixum Verbale* eſt, coll. Sect. VI. §. 4. iunctum *Participiis* & *Infinitivis*: ubi obſervandum eſt, 1) *Affixum* illud נִי, *Infinitivis* additum, ut plurimum habere ſignificationem *Paſſivam*; cum contra alterum *Affixum Perſonæ primæ ſing.* (ִי) *Active* ſignificet, ut בְּהָרְגִי *in occidere me*, i. e. *dum occido*; ſed בְּהָרְגֵנִי *in occidi me*, h. e. *dum occidor*. 2) *Infinitivos* cum *Affixis* commode reſolvi in Nomina *Subſtantiva*, ut pro *occidere* vel *occidi me* commode dicitur *occiſio mea* vel *mei*: unde Grammaticorum nonnulli, ut SCHINDLERUS in *Gram. Hebr.* p. 305. SCHULTENS in *Inſtitut. ling. Hebr.* p. 185. 285. 286. &c. *Infinitivos* revera pro *Nominibus* haberi poſſe iudicant. Loco *Affixi Perſonæ tertiæ fœm. plur.* ן *Perſonæ* Verborum, in ו terminatæ, ſemper *Affixum maſc.* ם recipiunt, ne ן putetur eſſe *Paragogicum*. Reliquos caſus ſpeciales dabunt

bunt Grammatici. *Ratio* ſive *modus Affixa Verbis* iungendi pariter, ac in *Nominibus*, fieri ſolet mediante *Puncto* aliquo *Vocali* vel *Scheva*, quod *Punctum agglutinationis* dicitur, & vel *idem* eſt cum *Puncto agglutinationis Nominum*, ut in omnibus Verborum *Temporibus*, quibus *Affixa* ךְ · ךָ · כֶם · כֶן · ו & ה adiunguntur; vel *diverſum*, ut aliis caſibus, idque aliter in *Præteritis*, aliter in *Futuris* & *Imperativis*: quæ ſingula ex Grammatica repetenda ſunt. *Perſonæ* vero Verborum, in ו vel (ִי) finitæ, *Affixa* ſine *Puncto agglutinationis* accipiunt, ne duæ Vocales concurrant.

§. XX.

Sicut itaque *Affixa*, *Nominibus Particulis*que addita, *mutationes* quasdam inducunt: ita idem in *Verbis* accidit. *Mutationes* illæ concernunt 1) *Accentum* ſive *tonum* Verbi, 2) *Punctum agglutinationis*, 3) *Punctum* Verbi *terminale*, 4) *Afformantes*, & in ſpecie 5) *Infinitivos*. *Accentus Verbi* ſimiliter, ut in *Nominibus*, ad *Punctum agglutinationis* vel ad *Affixa Gravia* progreditur, excepta ſola *Perſona tertia ſing. fœm. Præteritorum*, ubi *Accentus* manet, niſi *Affixa Gravia* כֶם & כֶן adſint. In eadem *Perſona Punctum agglutinationis*, accedentibus *Affixis Syllabicis*, in (:) *Quieſcens*, & præcedens (‥) in (-) abit; accedentibus autem *Affixis Aſyllabis*, idem *Punctum agglutinationis* in Vocalem brevem oppoſitam corripitur. *Punctum* Verbi *terminale*, ſi ſit (-), (‥) & Cholem mutabile, ubique tranſit in (:), quod porro, ſi ſequens *Punctum agglutinationis* quoque ſit (:), in Vocalem brevem reſtituitur, præcedente vero alio (:), efficit, ut ipſum hoc (:) in Vocalem brevem mutetur. Certis tamen quibusdam caſibus, in Grammatica recenſitis,

cenſitis, *Punctum terminale* manet. Ex *Afformantibus* in *affixione* mutantur הָ *fœm. Præteritorum* in תָּ · ת in ſimplex תְּ · ת fœm. in תִּי, תֶּם & תֶּן in תּוּ vel כָה, תְ *Afformans fœm. plur. Futurorum* in ן &c. *Participia* in *affixione* easdem *mutationes*, quas *Nomina*, ſubeunt; immo *Infinitivi* interdum ה *femininum* accipiunt, mutandum deinde in ת, ut בְּאַהֲבָתוֹ Gen. 29, 20. vel terminationem *plur.* in וֹת adſciſcunt, ſi ſint *Infinitivi* Verborum *Quieſcentium tertia radicali* ה, ut בִּבְנוֹתַיִךְ Ezech. 16, 31. id quod ſententiam illorum confirmat, quibus eiusmodi *Infinitivi* revera eſſe *Nomina* videntur.

§. XXI.

Secunda *mutationis Verborum accidentalis* cauſa eſt *Vau* ſic dictum *Converſivum*, Hebr. *Vau Hippuch*; *Diacriticum* vocare mavult Cl. MEINERVS in *Gram. Hebr.* p. 323. *Relativum* vel *Subiunctivum* WILH. KOOLHAASIVS in *Diſſertationibus Grammatico-ſacris* p. 75. & 157. *Definitivum* & *Declarativum* Celeb. W. C. I. CHRYSANDER in Diſſ. de *Plusquamperfecto varia S. S. loca expediente:* de cuius adeo vi ac poteſtate *convertendi* ſive mutandi ſignificationem ſimulque punctationem Verbi Grammaticis nondum ſatis conſtat. Nos circa illud conſideramus, 1) geminam eius *ſpeciem*, 2) eius *munus* & *ſignificationem*, 3) *mutationes* ab eodem dependentes, maxime quod ad *Puncta*. Eſt autem *Vau* illud *Converſivum* duplex: *Præteriti*, quod *Præterito*, & *Futuri*, quod *Futuro* præfigitur. Prius eodem modo, quo *Vau* ſimpliciter *Copulativum*, per (ְ) præfigitur, ab illo autem iuxta regulam ELIÆ *Levitæ* in *Libro Habbachur* Orat. I. ſect. 5. ſic diſtinguitur: *Si præceſſerit aliud* Præteritum, *aut* Futurum *loco* Præteriti *poſitum, ſique tonus ad ulti-*

 mam

mam non eſt protractus, *ſimpliciter* Copulativum *eſt*; *ſin minus*, Converſivum *iudicabitur*. Contra hanc regulam peccarunt LVTHERVS Exod. 6, 8. & SCHMIDIVS 1 Sam. 17, 47. & Ieſ. 6, 7. obſervante I. H. MAIO in *Gram. Hebr.* p. 36. *Vau* autem *Converſivum Futuri* præfigitur per (-), ſequente *Dageſch Forti*, quod *Dageſch* ante א compenſatur, (-) in (ָ) producto, ex litteris autem *ſchevatis*, celerioris pronunciationis cauſa, plane excidit, ut וַיְהִי pro וַיְּהִי.

§. XXII.

Utriusque *Vau Converſivi munus* in eo conſiſtit, ut non ſolum, ad inſtar *Vau* ſimpliciter *Copulativi*, vim habeat *copulativam*, ſed etiam *converſivam*, i. e. ut non tantum ET notet, ſed ſimul quoque ſignificationem *Temporis* convertat ſive mutet, *Converſivum* quidem *Præteriti* ſignificationem *Præteriti* in ſignificationem *Futuri*, vel, ut FLORENTIO *de* BRUIN de *emendandis Temporum Hebr. anomaliis Enallagisve* p. 10. placet, *Pauloposſtfuturi*; *Converſivum* autem *Futuri* ſignificationem *Futuri* in ſignificationem *Præteriti*, vel, ut alii volunt, *Imperfecti*, quod & ipſum *futuri* quid involvere obſervat FLORENTIVS *de* BRUIN l. c. p. 20. Quæ res certe, in aliis linguis inaudita, Hebraicæ plane eſt peculiaris; quamvis P. MARTINIVS in *Gram. Hebr.* p. 160. ſimile quid in lingua Græca reperiſſe ſibi videatur, ubi per *Particulam* ἂν *Præteritum* in *Futurum* convertatur, e. g. γενέσθαι *fuiſſe*, ſed γενέσθαι ἂν *fore* ſignificat. Sunt tamen, qui ciusmodi vim *Præfixi Vau converſivam* plane negant, ut I. I. *von* EINEM in *Methodo docendi linguas* p. 31. addita hac ratione: quia id revera ſit impoſſibile, cum ne quidem Deus tempus *præteritum* in *futurum* convertere poſſit; WILH. KOOLHAASIVS l. c. p. 68. ſeq.

ſeq. p. 154. ſeq. Celeb. W. C. I. CHRYSANDER in *Diſſertatione* ſupra laudata, cui *Futurum* Hebræorum *Aoriſtus* quidam eſt adeoque iam per ſe *Præteritum* quoddam, quod *Vau* illud ſaltem definiat & declaret; a quo non multum abit FLORENTIVS *de* BRVIN in Diſſert. cit. qui *Vau Converſivum Præteriti* tantum *Plusquamperfectum*, *Converſivum* autem *Futuri Imperfectum* ſaltem inſinuare contendit; Clar. MEINERVS p. 319. ſeq. cui *Vau* illud tantum indicat *Præteritum* loco *Futuri* poſitum & vice verſa, qualis *Enallage Temporum* Hebræis & alibi frequens ſit, &c. Contra vero LOESCHERVS de *Cauſis ling. Hebr.* p. 432. NEVMANNVS in *Exodo linguæ S.* p. 380. & in *Clave domus Heber* P. I. p. 29. D. G. PLARRIVS in *Philologia Aphoriſtica* p. 16. & BREITINGERVS de *Idiotiſmis linguæ S.* p. 36. *Vau Converſivo* etiam hoc caſu meram ſignificationem *copulativam* tribuunt, quæ in hoc conſiſtat, ut diverſa *Tempora* eorumque ſignificationem *copulet*, ſignificationem quidem *Præteriti* cum ſignificatione *Futuri*, & contra: quod certe mirandum non ſit, cum *Temporum* Hebr. ſignificatio adeo variet, conf. ſupra Cap. I. §. 9. Huc quoque ratione *Vau Converſivi Præteriti* redit ſententia W. KOOLHAASII l. c. p. 73. qui tamen p. 156. *Vau Converſivum Futuri* revera *Futurum* notare aſſerit, ſed *Relativum* ſive *Futurum in re præterita*, ut ille vocat, quod commode per Latinorum *Imperfectum*, additis *deinde*, *poſtea*, aliisve *Particulis*, exponi queat.

§. XXIII.

Ad *Vau Converſivum Futuri* in ſpecie quod attinet, I. H. SCHVSTERVS in Diſſert. de *quatuor linguarum cardinalium natura* p. 63. utile fore iudicat, ſi ex eiusmodi *Futuro*, quod ab aliis *Futuris* tono, Punctis & ſubinde Litteris quoque differt, peculiare quod-

dam

dam *Tempus* conficeretur. ALB. SCHVLTENS in *Inſtitut. ling. Hebr.* p. 424. ה *Demonſtrativum* inter *Vau Converſivum Futuri* & inter ipſum Verbum excluſum eſſe coniicit, e. g. וַיֹּאמֶר dictum eſſe pro וְהַיֹּאמֶר, cui etiam W. KOOLHAASIVS l. c. p. 155. ſuffragatur; quod tamen longius petitum putamus. Nobis cumprimis arridet ſententia Doctiſſ. HENR. SCHOLZII in *Animadverſionibus* de *Aoriſtorum Græcorum natura*, (y) *Præteritum* cum *Vau Converſivo*, tonum habens in ultima, conferendum eſſe cum Græcorum *Futuro* II. quod & ipſum tonum habeat in ultima; *Vau* autem *Converſivum Futuri* contractum eſſe ex *Vau* ſimpliciter *Copulativo* & Verbo *Subſtantivo* היה: e. g. וַיְדַבֵּר ex וְהָיָה יְדַבֵּר, q. d. *& fuit* (ut) *loqueretur*, vel uno verbo, *& loquebatur*. Confirmatur ea ſententia linguæ Arab. harmonia, ubi Verbum *Subſtantivum*, cum *Futuro* conſtructum, *Imperfectum* format, conf. ERPENII *Grammatica Arab.* p. 47. Sic quoque Arabes atque Syri, *Plusquamperfectum* expreſſuri, Verbum *Subſtantivum Perfecto* addere ſolent, conf. ERPENIVS l. c. p. 45. & D. MICHAELIS in *Syriaſmo* p. 34. & 134. Hanc ſententiam quoque tuetur Celeb. C. E. *a* WINDHEIM in Diſſertat. de *Vau Converſivo*; neque tamen mentione facta, alios iam antea ſic ſtatuiſſe: id quod ægre tulit Cl. C. F. TIEFFENSEE in *Relationibus Hamburg. litterariis* an. 1747. p. 76. ipſe illius ſententiæ primus auctor ſibi viſus; quam tamen, uti dictum, H. SCHOLZIVS in *Animadverſionibus* modo laudatis, quæ an. 1735. primum in lucem prodierunt, iam antea adornavit, conf. Celeb. J. D. MICHAELIS in Append. ad *Gram. Hebr.* §. 23. Eandem quoque ſequitur Doctiſſ. CHRYSANDER in Diſ-

(y) Recuſæ illæ exſtant in Cl. BIDERMANNI *Actis Scholaſt.* Vol. III. p. 4. ſeq.

Diſſertat. de *Plusquamperfecto*. Similem vim *Converſivam* etiam *Particulæ* אָז tribuunt Cellarius de *Proprietatibus linguæ S.* Can. LXI. aliique, ut Exod. 15, 1. Deut. 4, 41. 1 Reg. 8, 1. &c. vid. tamen W. Koolhaasius l. c. p. 148. ſeq.

§. XXIV.

Mutationes Punctorum, ab utroque *Vau Converſivo* pendentes, in eo conſiſtunt, quod *Vau Converſivum Præteriti* Accentum ex penultima ad ultimam protrudat, quo ſic, mutato *tono*, ſimul quoque mutatio *ſignificationis* inſinuetur. Exceptiones, huc intercedentes, in Grammatica quærendæ ſunt. Contrarium facit *Vau Converſivum Futuri*, quod Accentum ex ultima in penultimam retrahit; neque tamen ſemper, ſed certis quibusdam caſibus: quando nimirum Syllaba ultima neque *Afformans* neque *Affixum*, penultima vero non eſt *Compoſita*. Alioquin enim Accentus in penultima manet: quæ Accentus retractio alibi quoque negligitur, ut in *pauſa*, in *Perſona prima ſingulari*, in Verbis *Quieſcentibus tertia radicali* א &c. Retracto autem Accentu ex ultima in penultimam, neceſſario quoque Vocalis longa ultimæ Syllabæ, ſi hæc ſit *Compoſita*, in brevem corripitur, ut וַיֹּאמֶר pro וַיֹּאמֵר. Plures vero mutationes *Vau Converſivum Futuri* inducit Verbis *Quieſcentibus tertia radicali* ה, quæ hic anomalias habent plane ſingulares. In illis enim non ſolum Accentus retrahitur, etiamſi penultima ſit *Compoſita*; ſed inſuper quoque *tertia radicalis* ה per *Apocopen* abiicitur: quo facto porro antecedentes Vocales (ֵ) & (ֶ) varias patiuntur mutationes, vel plane abiiciendæ, vel in locum præcedentis (ִ) ſubſtituendæ & deinde interdum in (ַ) vel (ִ) mutandæ. Immo & *Præformantium* Vocalis, prædicta Vocali (ֵ) ſecundæ *radicalis* abie-

abiecta, mutationes quasdam ſubit, vel in (¨) producenda, vel plane abiicienda, vel in (ˇ) aut (-) mutanda: de quibus ſingulis ulterius conſulendi ſunt Grammatici, & ex inſtituto L. C. BLOSSIVS in Diſſert. de *Verbis Quieſcentibus tertia radicali* ה.

§. XXV.

Tertia *mutationum Verborum accidentalium* cauſa eſt *Particula* אַל, in *dehortationibus* & *deprecationibus* adhibita, quæ ſæpenumero idem efficit, quod *Vau Converſivum Futuri*. Similes *mutationes*, ac ſi adſit *Vau Converſivum*, patiuntur *Futura abſolute poſita*, nec non *Imperativi*, maxime Verborum *Quieſcentium tertia radicali* ה, in *mandatis* potiſſimum & *votis*, ut יְהִי Gen. 1, 3. יֶרֶב v. 22. &c. Denique & *Accentus mutationes Verborum accidentales* efficit: ut 1) quoties ille ob vicinitatem *Accentus* ſequentis retrocedit, ut in אֵלֶךְ לִי pro אֵלֵךְ לִי Cant. 4, 6. 2) quoties idem ex *Pauſantibus* eſt ſive *Diſtinctivis maioribus*, quo caſu ex ultima ad penultimam regreſſus, *Punctum terminale*, ob *Afformantes Aſyllabas* abiectum, coll. præced. §. 20. reſtituit & (-) porro in (ˇ) producit, ut טָמָנוּ pro טָמְנוּ Pſ. 9, 16. Verba *Quieſcentia tertia radicali* ה ſic, loco tertiæ *radicalis* ה excludendæ, *Jod* adſciſcunt, præcedente (ˇ), ut יִשְׁלָיוּ pro יִשְׁלוּ Pſ. 122, 6. Eosdem *Accentus*, ſic retrocedentes, (:) *Præformantium* Verborum *Formæ* יְחִי convertere in (ˇ), præmonuimus Sect. IV. §. 4. p. 160. Omnia exempla Biblica, anomalias iſtas ob *Accentus* paſſa, Doctiſſ. G. C. ZENCKELIVS in *Commentario Grammat. ling. Hebr.* P. II. p. 289. ſeq. collecta exhibet.

SECTIO

SECTIO VIII.

DE

FIGVRIS GRAMMATICIS,

MAXIME

EPENTHESI ET PARAGOGE.

Digitized by Google

Sectio VIII.

DE FIGURIS GRAMMATICIS, MAXIME EPENTHESI ET PARAGOGE.

§. I.

Sicut omnes linguæ ſuas habent *Figuras*, ſive voces atque conſtructiones, quæ a communi conſuetaque loquendi ratione recedunt: ita nec lingua Hebraica iis plane deſtituitur. Sunt autem *Figuræ Grammaticæ* vel *Orthographicæ* vel *Etymologicæ* vel *Syntacticæ*. Inter *Figuras Orthographicas* referuntur I.) *Prosthesis*, quando littera ſuperflua ab initio vocis apponitur, ut א in אֲתָרִים iuxta quosdam pro תָּרִים *exploratores*, Num. 21, 1. Hebræis tamen non eſſe eiusmodi *Prosthesin* ſive litteras *Prostheticas*, e.g. ב, ל, Celeb. C. E. *a* Windheim ostendit in Diſſ. de *Prostheſi ad rationes revocata.* II.) *Aphæreſis*, quando littera ab initio vocis abiicitur, ut נ & י in *Infinitivis Conſtructis* & *Imperativis Kal*, e. g. גַּשׁ pro נְגַשׁ, דַע pro יְדַע; א in חַד pro אַחַד; כ in סוּת pro כְּסוּת &c. III.) *Diplaſiaſmus*, quando Conſonans quædam præter analogiam geminatur, quod fit per *Dageſch Forte*, irregulariter inſcriptum, ut גְּמַלִּים pro גְּמָלִים a גָּמָל, מִקְּדָשׁ pro מִקְדָּשׁ Exod. 15, 17. &c. IV.) *Syncope*, quando vel *Conſonans* vel *Punctum* aliquod ex-

cluditur, ut בַּיּוֹם pro בְּהַיּוֹם, יַפְקִיד pro יְהַפְקִיד, עַם pro עֶמֶם, לַאדֹנָי pro לַאֲדֹנָי &c. V.) *Apocope*, quando Conſonans in fine abiicitur, ut ה ob *Vau Converſivum Futuri* &c. VI.) *Synaloephe*, ut הָסוּרִים pro הָאֲסוּרִים Eccleſ. 4, 14. VII.) *Metatheſis*, quando *Conſonantes* vel *Puncta* transponuntur, ut סָחִישׁ pro שָׁחִיס, אֶשְׁתַּמֵּר pro אֶתְשַׁמֵּר, לָךְ in *pauſa* pro לְךָ &c. VIII.) *Antitheſis*, quando littera pro littera ponitur: id quod præſertim litteris tum eiusdem *Organi*, tum *Quieſcentibus* accidit, ut רָפָה pro רְפָא Pſ. 60, 4. יִתֵּן pro יִנְתֵּן &c. IX.) *Diæreſis*, quo referri poteſt, quando א vel י *Quieſcens Mobile* evadit, ut תְּאֵהֲבוּ pro תֶּאֱהָבוּ Prov. 1, 22. יְיֵטִיב pro יֵיטִיב Job. 24, 21. X.) *Epentheſis*, & XI.) *Paragoge*, de qua utraque *Figura* deinde ſeorſim tractabitur.

§. II.

Figuræ Etymologicæ ſunt *Metaplaſmus* & *Enallage*. *Metaplaſmus* eſt, quando vox aliter flectitur, ac analogia requirebat: ut quando Nomen *maſc. Pluralem* format inſtar Nominis *fœmin.* & vice verſa, conf. Sect. V. §. 6. *Enallage* aliis rectius ad *Figuras Syntacticas* refertur. Reliquæ *Figuræ Syntacticæ* ſunt: *Ellipſis*, *Pleonaſmus*, *Syllepſis*, *Syntheſis*, *Zeugma*, *Hypallage*, *Synchyſis*, *Anaſtrophe*, *Hendiadys*, *Polyſyndeton* & *Aſyndeton*, de quibus ſingulis commodior locus agendi erit in *Syntaxi* Sect. X. Hoc loco *Epentheſin* & *Paragogen* uberius exponere placet. *Epentheſis*, qua Conſonans aliqua vocibus interponitur, maxime litteram *Nun* concernit, quæ in medio vocum ante *Affixa* בִּי, ךְ, הוּ & הָ inſeritur. Mutationes, exinde evenien-

nientes, Grammatica docet. Additur illud *Nun* præſertim Verbis *Futuri Temporis*, & quibusdam *Particulis*, ut אַי ſive אַיֵּה ,אַיִן ,הֵן ,מִן ,עוֹד & תַּחַת. Præterca habentur pro litteris *Epentheticis* א *Otioſum* in יָבֵאץ ,צַוָּאר, aliisque exemplis, quorum catalogum exhibet WASMVTHVS in *Hebraiſmo reſtit*. Reg. XVII. ד in עָמְדִי, י *Otioſum* in תֵּיעָשֶׂה, aliisque apud WASMVTHVM l. c. & ה ante *Affixa* ם & כ, ut כֻּלְּהֵם 2 Sam. 23, 6. His quoque ו addunt WASMVTHVS l. c. p. 49. & STARCKIVS in *Luce Gram.* p. 248. alii denique & ך adiiciunt; conf. DANZII *Litterat.* p. 33.

§. III.

Paragoge eſt vel *ſingularum litterarum*, vel *integrarum Syllabarum. Singulæ litteræ Paragogicæ* ſunt 1) א, *Afformanti Perſonæ tertiæ plur. Præteritorum* ו addi ſolita, idque ex Arabiſmo, ut אָבוּא pro אָבוּ Jeſ. 28, 12. 2) ה, quod omnis generis vocibus adiicitur, ſicque complures mutationes inducit, de quibus plura tradunt Grammatici. Errat hic Cl. ZENCKELIVS in *Commentar. Gram. ling. Hebr.* P. I. p. 222. & P. II. p. 142. quando Nominibus cum ה *Paragogico acutis* accenſet אֹהֱלָה, quod tamen ſic ſemper *penacutum* legitur. 3) ו *quieſcens* in Cholem, quod Nominibus per *Regimen* conſtructis adiungitur, ut חַיְתוֹ pro חַיַּת Gen. 1, 24. 4) י *quieſcens* in Chirek, ut נֶאְדָּרִי Exod. 15, 6. vid. Pſ. 113, 5. ſeq. ALB. SCHVLTENS tamen in *Inſtit. ling. Hebr.* p. 453. ו & י *Paragogica* potius eſſe *Affixa*, per *Pleonaſmum* quendam vel per *Dativum* explicanda, exiſtimat. 5) נ, quod *Afformantibus* ו & (ִי) ſæpius additur, (ut apud Græcos ν ἐφελκυστικὸν Vocalibus finalibus quibusdam, ſequente alia Vocali, addi ſolet,) & ab HOTTINGERO in *Gram. Harm.* p. 156. & FR. TSE-

FREGIO in Diſſert. de *authentia ſelectiorum Kethibhim* P. I. p. 26. Arabiſmo, a LVDOVICO *de* DIEU in *Gram. Harm.* p. 205. Chaldaiſmo & Syriſmo tribuitur. 6) ת, quod præſertim *Infinitivis Conſtructis* in *Kal* ſubiicitur, quoties prima *radicalis* per *Aphæreſin* periit, ut גֶּשֶׁת pro גֶּשׁ, a נָגַשׁ, conf. Sect. præced. §. 13. SCHVLTENSIO l. c. p. 452. & 454. ת illud, ut & ה *Paragogicum*, *Infinitivis* additum, mera eſt terminatio *fœmin.* quam *Infinitivi*, utpote revera *Nomina*, haud ſecus, ac alia *Nomina*, adſciſcere ſoleant. *Integræ* vero *Syllabæ Paragogicæ* ſunt דִי, מוֹ & פִי, quæ interdum *Præfixis* addi ſolent, ut כְּמוֹ pro כְּ &c.

§. IV.

Quam vero *ſignificationem* litteræ illæ *Epentheticæ* & *Paragogicæ* vocibus ſuperaddant, maximam partem nondum ſatis eſt exploratum: unde vulgo pro *Litteris Otioſis* haberi ſolent; quod tamen NEVMANNVS in *Clave domus Heber* P. II. p. 179. & SCHVLTENS de *Defectibus linguæ S.* §. 238. negant. De ſolius ה *Paragogici ſignificatione* ex parte conſtat. Nominibus enim *Loci* additum, *motum ad locum* notat: ubi Celeb. P. T. CARPOVIVS de *Criteriis Nominum & Verborum ling. Hebr.* c. 1. §. 6. obſervat, etiam Turcas hoc caſu Nominibus addere *a*, ut *Stambolâ* i. e. *Conſtantinopolin*, *Berlinâh* h. e. *Berolinum*, &c. Aliis Nominibus, ut & *Futuris perſonæ ſecundæ* & *tertiæ ſing.* atque *Præteritis Perſonæ tertiæ ſing. fœm.* iunctum, ſignificationem augere creditur, ut קְהֻרָה *exitium grave:* quo caſu CASTELLVS in *Gram. Harmon.* p. 40. & SCHMIDIVS in *Commentar.* ad Job. 10, 22. illud conferunt cum Chaldæorum, Syrorum & Samaritanorum ה vel א *Emphatico*, Nominibus a fine addi ſolito.

SECTIO

SECTIO IX.

DE

ANOMALIIS

EX

LINGVA ARAMÆA.

Digitized by Google

Sectio IX.

DE ANOMALIIS EX LINGVA ARAMÆA.

§. I.

Quidam Grammatici, ut Iac. Altingivs, Alb. Schvltens &c. peculiari quoque Sectione anomalias ex *Dialecto Aramæa* pertractant, i. e. ex Dialecto ſive lingua *Chaldaica* & *Syriaca* adſcitas, conf. ſeq. *Append.* de *lingua Chald.* Quamvis autem Sect. I. §. 5. aſſeruerimus, *Dialectos* non dari in lingua Hebr. eo ipſo tamen non negauimus, multa vocabula peregrina ex vicinitate & commercio Judæorum cum aliis gentibus in Textum Hebr. V. T. eſſe introducta: id quod argumento eſſe poteſt, quam neceſſaria interpreti S. S. ſit reliquarum linguarum orientalium notitia. Sic e. g. צפנת פענח Gen. 41, 45. voces ſunt *Ægyptiacæ*, נשתון Eſr. 4, 7. vox eſt *Perſica*, quales in libro Estheræ, ut & in Daniele plures occurrunt, ubi adeo c. 3, 5. vocabula *Græca* leguntur. Hoc vero loco ſermo nobis eſt de anomaliis quibusdam, ex lingua *Chaldaica* & *Syriaca* petitis. Anomaliæ illæ vel *Litteras* & *Puncta in genere*, vel ſingulas *Partes Orationis in ſpecie* concernunt: quarum omnium exempla quædam in medium producemus.

§. II.

Syri pro (ִ) ſub א initiali *Rebhozo* ſive (ֵ) utuntur: quod & Hebræi ſubinde imitantur, ut אֵפוֹ pro אֲפוֹ Exod. 16, 23. Apud eosdem Syros א ante ſe non patitur (ְ), ſed Vocalem ſuam in huius locum transfert in eaque quieſcit: ſic quandoque apud Hebræos, ut רֵאשִׁית pro רְאֵשִׁית; quod idem etiam littera *Jod*, more Syrorum, ſequitur, ut כִּיתְרוֹן pro כְּיִתְרוֹן Eccleſ. 2, 13. Chaldæi loco *Dageſch*

 Fortis

Fortis utuntur *Nun:* quod etiam obtinet in Hebraico קְבָצִי pro קָצִי, Job. 18, 2. In *Nominibus* Hebræi more Syrorum *Accuſativum* interdum præfixo ל exprimunt, ut לְאַבְנֵר *Abnerum*, 2 Sam. 3, 30. *Pluralis maſc. Abſolutus* Chaldaice & Syriace terminatur in ִין: & ſic quandoque Hebraice. *Pluralis maſc. Conſtructus* Syriace definit in ֵי: & ſic quædam Nomina *plur. Hebr. Abſoluta*, uti vulgo volunt, conf. Sect. V. §. 5. *Pronomina Separata Perſonæ primæ* & *ſecundæ* apud Aramæos compoſitionem ingrediuntur cum *Participiis:* ſic apud Hebræos מִשְׁתַּחֲוִיתֶם pro מִשְׁתַּחֲוִים אַתֶּם, Ezech. 8, 16. Pro *Affixis* ךְ & ו vel הוּ Chaldæi habent כִי & הִי, quos & Hebræi interdum imitantur: exempla aliquot occurrunt Pſ. CIII. & CXVI. In *Verbis Præformans Coniugationis Aphel* Chaldæorum, accedente inſuper *Præformante Temporis* & *Perſonæ*, non ſemper excluditur: ſic in יְהוֹשִׁיעַ Pſ. 116, 6. Loco *Afformantis Perſonæ tertiæ ſing. fœm. Præteritorum* ה Chaldæis eſt ת: ſic quoque in Hebraico אָזְלַת Deut. 32, 36. In *Verborum Defectivorum ſecunda radicali Coniugationibus Non-Dageſſatis* ſecunda illa *radicalis*, accedentibus *Præformantibus*, apud Chaldæos per *Dageſch Forte* compenſatur in prima *radicali*: & ſic interdum apud Hebræos, ut in יִקְּדוּ Exod. 4, 31. a קדד. In *Verbis Quieſcentibus tertia radicali* hæc *radicalis* apud Chaldæos in *Jod*, *quieſcens* in (ִ), transit: ſic quoque in Hebr. הִמְסִיו Joſ. 14, 8. &c. Quidam, ut HOTTINGERVS, SCHVLTENS &c. etiam *Arabismos* in lingua Hebr. quærunt: quo SCHVLTENS in ſpecie refert *Vau*, in *Regimine* Nomin. *plur. maſc.* ſecundum *Kethibh* poſitum, ut בְּנֵו 1 Chron. 6, 11. quod iuxta litteras legendum ſit בְּנוּ, more Arabum, qui *Pluralem maſc.* in *Regimine* ſic terminant. Sic I. H. MAIVS in Diſſ. de *Philoſophia Jobi* §. 14. terminationem וּן in יְשֻׁרוּן ab Arabibus, quorum *Pluralis maſc. Abſolutus* in *un* definit, mutuo ſumtam eſſe credit.

SECTIO

SECTIO X.

DE

SYNTAXI

LINGVAE HEBRAICAE.

P 5

Digitized by Google

SECTIO X.

DE SYNTAXI LINGVAE HEBRAICAE.

§. I.

Hæc quidem Grammatices Hebr. pars a pleriſque Grammaticis omittitur; nos tamen præcipua ſaltem maximeque neceſſaria eius momenta hoc loco attingemus. In omnibus linguis *Syntaxis* vel *ſimplex* eſt ſive *regularis*, vel *irregularis ſ. figurata*. *Syntaxis ſimplex* ſive *regularis* porro vel *convenientiæ* eſt, ſi vox cum voce *Genere*, *Numero* & *Caſu* in conſtructione convenit; vel *rectionis*, ſi vox a voce regitur. Ad linguæ Hebr. *Syntaxin convenientiæ* quod attinet, non opus hic eſt regulis peculiaribus: quandoquidem Hebraica cum aliis linguis maximam fere partem ſic conſpirat. Quam multas conſtructiones lingua Græca, in ſpecie Dialectus *Attica*, cum lingua Hebraica habeat communes, oſtendit LACKEMACHERVS in *Obſervat. Philolog.* P. VI. p. 425. ſeq. Nos ſaltem hic obſervamus: I) *Subſtantivum* apud Hebræos regulariter præponi *Adiectivo*. Quod ſi vero *Adiectivum* præmittitur, tunc ſubeſt *Ellipſis* Verbi *Subſtantivi*, ut *rectum* (ſc. eſt) *verbum Domini*, Pſ. 33, 4. Sic quoque *Numeralia* ſemper, רַב vero interdum, præponuntur: quod idem & ſubinde fieri ſolet, ſi *Adiectivum* natu-

naturam *Subſtantivi* induat, ut *præputiatus maſculus*, Gen. 17, 14. quomodo & promiſcue dicitur *vir ſtultus*, Prov. 14, 7. & *ſtultus homo*, c. 15, 20. II) *Nominativum* Verbo ſuo ut plurimum poſtponi, ut *creavit Deus*, Gen. 1, 1.

§. II.

In *Syntaxi* vero *rectionis* lingua Hebr. ab aliis linguis multum abit: qua de re tamen pluribus agere non eſt inſtituti noſtri; ſed evolvendi hic ſunt auctores, qui *Syntaxin Hebr.* vel in Grammaticis ſuis tradiderunt, quos inter cumprimis Buxtorffius in *Theſauro Gram. Hebr.* commendatur; vel peculiaribus ſcriptis explicatam dederunt, ut Andr. Mylius in *Syntaxi Hebr. in complementum Syntaxeos Troſtianæ*, Chr. Viwegius in *Phosphoro V. T.* Grabovius in *Syntaxi Hebrææ linguæ*, Everhardus *van der* Hooght, in *Syntaxi Hebraica, Chaldaica & Syriaca*, &c. conf. quoque Cl. E. A. Frommanni Diſſert. de *Syntaxi linguæ & præcipue Hebraicæ*. Maximam *Syntaxeos rectionis* partem *Idiotiſmi* ſive peculiares linguæ Hebr. conſtructiones phraſesque, in aliis linguis non uſitatæ, conſtituunt: e. g. quod Verba ſecum ipſis in *Infinitivo* conſtruantur, ita ut *Infinitivus* vel præcedat, qua elocutionis ratione, uti vulgo volunt, ſignificatio intenditur, ut *eundo iviſti*, i. e. *citiſſime iviſti*, Gen. 31, 30. vel ut *Infinitivus* poſtponatur, quomodo actionis *continuationem* innui putant, ut *euntes eundo*, i. e. *indeſinenter*, Joſ. 6, 13. Sinenſes tamen ſic quoque loqui, obſervat Masson in *Hiſtoria Critica Reipubl. Litterar.* T. III. p. 49. De *Idiotiſmis* illis linguæ Hebr. ex inſtituto tractarunt Wasmuthus in Append. II. ad *Hebraiſmum reſtit.* Danzius in *Interprete Hebræo-Chald.* Glassius in *Grammatica S.* Flacius *Illyricus* in *Clave S. S.* P. II. Ioh. Alba de *Locutionibus S.* Abdias

Præ-

PRÆTORIVS de *Phraſibus Hebr.* WALTONVS in *Apparatu* ad *Biblia Polyglotta*, SIXT. AMAMA in *ſelectiorum regularum textualium Syllabo*, HERM. NICOLAI & H. H. STAMPIVS de *phraſi linguæ Hebr.* IAC. TIRINVS in *Explicatione Idiotiſmorum Hebrææ ac Græcæ linguæ, qui in Scripturis occurrunt*, IOH. FR. TREIBERVS in *Compendio phraſeologiæ Hebr.* I. I. BREITINGERVS de *Idiotiſmis ſermonis Hebr.* H. B. STARCKIVS de *Hebraiſmis Etymologicis*, H. C. ENGELKEN in *Scrutinio Philolog. modum loquendi Scripturæ indagante*, THEOD. HACKSPANIVS de *locutionibus S. S.* I. H. MICHAELIS in Diſſert. de *Idiotiſmis linguæ S.* ANDR. LEIVS de *Idiotiſmis S.* SENNERTVS in *Centuria Canonum de Idiotiſmis linguarum Orient.* G. WICELIVS de *Idiotiſmis quibusdam linguæ S.* ARIAS MONTANVS de *communibus & familiaribus linguæ Hebr. Idiotiſmis*, PFEIFFERVS in *Theſauro Hermeneutico*, HEUPELIVS in *Breviario Idiotiſmorum Hebræi ſermonis*, CELLARIVS de *linguæ S. proprietatibus*, & in Diſſert. de *Idiotiſmis linguæ S.* &c.

§. III.

Syntaxis irregularis ſive *figurata* eſt, quæ certis quibusdam *Figuris Grammaticis* conſtat. *Figurarum Syntacticarum* prima eſt *Enallage*, quæ a nonnullis ad *Figuras Etymologicas* refertur, & in genere vel *voces ipſas*, vel earum *Accidentia* concernit. Prior illa *Enallages* ſpecies *Antimeria* vocatur, qua *Partes Orationis* inter ſe permutantur; poſterior *Heteroſis* ſive *Allæoſis* appellatur, qua *Numeri*, *Genera*, *Caſus*, *Perſonæ*, *Tempora* & *Coniugationes* inter ſe permutantur, e. g. קָרָא *vocatus eſt*, Gen. 16, 14. eſt *Enallage Coniugationis Activæ* pro *Paſſiva* נִקְרָא; ubi tamen alii *Ellipſin* Nominis אִישׁ ſubeſſe volunt. *Enallage Numeri* ut plurimum *collective* vel *distribu-*

tributive exponitur, ut יְהִי מְאֹרוֹת *ſit unumquodque luminarium*, Gen. 1, 14. Interdum per *Pluralem*, loco *Singularis* poſitum, rei *magnitudo* & *excellentia* inſinuatur, ut in בְּהֵמוֹת Job. 40, 15. יְשׁוּעוֹת Pſ. 18, 51. חָכְמוֹת Prov. 1, 20. &c. Idem etiam in lingua *Armenica* fieri, notat Celeb. I. I. SCHROEDERVS in *Theſauro Armen.* p. 55. In ſpecie idem locum habere volunt in Nominibus ſic dictis *dominii*, אָדוֹן & בַּעַל, quæ in *Plurali* poſita, ſæpenumero cum *Adiectivo* & *Verbo ſingulari* conſtruuntur, ut Gen. 39, 20. Exod. 21, 8. 29. Jeſ. 19, 4. &c. quo Judæi etiam Nomen *divinum* אֱלֹהִים referunt; ſed vid. GLASSII *Grammatica S.* Tract. I. Can. XXV. & ALTINGII *Exercitat. Gram.* III. Eiusmodi *Enallagæ S. S.* a Criticis quibusdam ſciolis pro *Soloeciſmis* ſive vitiis ſermonis habentur, contra quos pugnat S. R. CHR. BENED. MICHAELIS in Diſſertat. *qua Soloecismus Generis ab Syntaxi S. Codicis Hebr. depellitur*, & in Diſſertat. *qua Soloeciſmus Caſuum ab Hebraiſmo S. Codicis depellitur.* Sunt, qui hanc ipſam ob cauſam *Enallagas* in Textu S. Hebr. dari plane negant, ut VARENIVS in *Commentar.* ad Gen. 4, 10. HELVICVS in *Disputationibus Gieſſens.* T. V. p. 64. LOESCHERVS de *Cauſis ling. Hebr.* p. 433. ſeq. & in *Theologia Exeget.* p. 139. ſeq. E. H. POLEMANNVS in Diſſertat. de *Enallagis Textus Hebr. V. T.* FRANC. WOKENIVS in *Pietate Critica contra Enallagas*, SAM. FRID. BVCHERVS in Append. ad *Theſaurum Orientis* p. 33. FLORENTIVS *de* BRUIN & W. KOOLHAASIVS, ſupra Sect. VIII. §. 21. & 22. laudati. Cum vero in aliis quoque

que

que linguis ſint *Enallagæ*, & procul dubio in vulgari Hebræorum ſermone olim fuerint, Scriptura autem Sacra lingua, tum temporis uſitata, conſignata ſit, & explicationes citra *Enallagas* coactiores evadant, nos quidem non perſpicimus, quomodo omnes *Enallagæ* ex Textu S. eliminari commode queant. Conf. ALBERTI *zum* FELDE Diſſert. de *Enallages, præſertim in ſacris litteris, uſu.*

§. IV.

Secunda *Figura Syntactica* eſt *Ellipſis*, qua ve *Nomen* vel *Particula* vel *Verbum* omittitur. Ex *Nominibus* e. g. in *Regimine* ſæpe vel *Regens* vel *Rectum* reticetur. Ex *Particulis* ſæpiſſime deeſt *Pronomen Relativum* אשר & *Præpoſitio* quædam; ex *Verbis* denique frequentiſſime deſideratur Verbum *Subſtantivum* היה, ut & Verbum *Finitum* ante *Infinitivum* &c. qua de re plura tradunt MATTH. HILLERVS in Diſſert. de *ſermone ſcriptorum divinorum elliptico*, inſerta eius *Syntagmatibus Hermeneut.* p. 368. ſeq. D. CHR. BENED. MICHAELIS vel CHR. THEOD. WALTHERVS in Diſſertat. de *Ellipſibus Hebr.* quam auctiorem edidit CHR. SCHOETGENIVS; CHR. PFÜZNERVS in *Specimine Ellipſeon Hebr. ex Geneſi collectarum*, &c. Quidam & hanc *Figuram Syntacticam* ex Hebraismo eliminatam volunt, ut VARENIVS l. c. maxime vero FRANC. WOKENIVS in *Collectione Nov-antiquorum Theolog.* an. 1730. p. 1185. & in Tract. de *Ellipſibus ex Textu Bibl. Hebr. ſollicite eliminandis.* Idem tamen hic monendum, quod paulo ante dictum eſt de *Enallagis.*

gis. Ellipſi opponitur *Pleonaſmus*, quo quid in ſermone abundat. Ille vel *Nomina* vel *Particulas* vel *Verba* concernit. Neque tamen omnia ad *Pleonaſmum* referenda ſunt, quæ iuxta noſtros loquendi modos ſuperflua videntur. Sic enim e. g. idem *Nomen* bis poſitum, notat vel *diſtributionem*, ut *duo duo*, i. e. *bina;* vel *diverſitatem*, ſi *Vau Copulativum* intercedat, ut *epha & epha*, h. e. *epha diverſum;* vel *multitudinem*, ut *putei putei*, i. e. *multi putei*; vel ſaltem *emphaſin* quandam, præſertim ſi *Nomen* ter iteretur, ut אֶרֶץ אֶרֶץ אֶרֶץ Jer. 22, 29. עַוָּה עַוָּה עַוָּה Ezech. 21, 32. qualis *emphaſis* quoque ſubeſt *Pronomini* repetito, ut אָנֹכִי אָנֹכִי Jeſ. 43, 25. & *Verbo*, ut שׁוּבוּ שׁוּבוּ Ezech. 33, 11. nec non duobus *Synonymis*, ut *tenebræ caliginis*, *pluvia imbris* &c. *Adiectivum* & *Adverbium* bis poſitum *Superlativum* exprimit, ut *bonus bonus*, i. e. *optimus; valde valde*, h. e. *ſummopere*. Tales loquendi modi etiam in aliis linguis, maxime orientalibus, obtinent, cf. ſupra Sect. V. §. 8. Sæpe quoque eædem vel æquipollentes ſententiæ iterantur: quas Critici quidam ad *Tautologias* referunt, ut Rich. Simon in *Hiſtoria Crit. V. T.* L. V. c. 5. Clericvs paſſim in *Commentar.* M. Meibomivs in Præfat. ad *Specimen emendationum & interpretationum XII Pſalmorum* &c. quibus Henr. Klausſingivs in *Specimine Vindiciarum S. Codicis a Tautologias criminatione*, & Celeb. Chr. Wollivs in *Regulis Hermeneuticis de Iſodynamias & Synonymias uſu & abuſu*, ſatisfecerunt. Sunt, qui eapropter *Pleonaſmos* e S. Codice abeſſe volunt, ut H. C. Engelken in *Scrutinio Philolog. nullum in ſacris litteris Pleo-*

Pleonaſmum dari oſtendente, E. H. Polemannus in *Exercitationibus* XVIII contra *Pleonaſmos*, &c.

§. V.

Quarta *Figura Syntactica* eſt *Syllepſis*, eaque vel *Generis*, ut שמן וקטרת ישמח לב Prov. 27, 9. vel *Perſonæ*, ut: *an veniendo veniemus ego & mater tua & fratres tui?* Gen. 37, 10. Quinta eſt *Syntheſis*, vel *Generis*, quando *Subſtantivo maſc.* additur *Adiectivum* aut *Participium fœm.* & vice verſa, ut Gen. 4, 7. vel *Numeri*, quando *Nomini ſing. collective* ſumendo, ſubiicitur *Verbum plur.* ut: *omnis terra venerunt*, Gen. 41, 57. Sexta *Figurarum Syntacticarum* eſt *Zeugma*, quando duobus *Subſtantivis* diverſis additur *Adiectivum* vel *Verbum*, cum *Subſtantivorum* illorum poſteriore conveniens, quod reſpondere debebat priori, ut קשת גברים חתים, pro חתה, 1 Sam. 2, 4. Septima *Figura* eſt *Hypallage*, ut *beatitudines viri*, pro *vir beatitudinum* i. e. *beatus*, Pſ. 1, 1. Quas *Hypallagas* idem Wokenius impugnat in *Pietate Critica contra Hypallagas.* Sequitur *Figura* octava, *Synchyſis*, ut: *homo cum obtulerit ex vobis oblationem*, pro *cum homo ex vobis obtulerit oblationem*, Levit. 1, 2. *Synchyſes* tamen, poſt Bohlium in *Theſibus contra Judæos*, e Textu S. eliminatas volunt Varenius l. c. qui eas in *Decadibus Moſaicis* p. 404. *ignorantiæ & audaciæ Criticæ theatrum* vocat; Loeſcherus in *Theologia Exeget.* p. 67. & pluribus Wokenius in *Pietatis Criticæ* P. II. quæ eſt contra *Synchyſes*. *Anaphoras* exempla in Hebraiſmo deficiunt in ſolis Nominibus *Propriis Compoſitis* locum eam habere obſervavimus in *Onomaſtico S. V. T.* p. 435. Nona *Figura* eſt *Hendiadys*, ut *ſulphur & ignis*, h. e. *ſulphur ignitum*, Gen. 19, 24. & decima denique *Polyſyndeton*, ut: *& comedit & bibit & ſurrexit & abiit & ſprevit*

Eſavus primogenituram ſuam, Gen. 25, 34. cui opponitur *Aſyndeton*, quo *feſtinationem* ſignificari volunt, ut: *ſurgite*, *exite*, Exod. 12, 31. *perſequar*, *attingam*, c. 15, 9. *abi*, *redi*, 1 Reg. 19, 20. &c. quæ duæ tamen *Figuræ* poſteriores proprie ad *Figuras Rhetoricas* pertinent. De ſingulis illis *Figuris* conf. H. F. PERTSCHII Diſſ. de *Scriptura omnis dictionis vitii experte.* Hæc præcipua ſunt momenta *Syntaxeos* Hebr. quæ ad *Analyſin* & *explicationem* Textus Hebr. ſpectant. Quod ſi vero quis ad *Syntheſin* ſive *compoſitionem* Hebraicam adſpiret, illi uſui erunt ſcripta, quæ de *Phraſeologia* & *Calligraphia linguæ Hebr.* agunt: ut BUXTORFFII *Specimen Phraſeologiæ V. T. Hebraicæ*, GRAFUNDERI *Calligraphia Hebr.* NIC. PETRÆI *Colloquia Hebr.* ANTON. HULSII *Nomenclator Biblicus Hebræo-Latinus*, IOH. MEHLFÜHRERI *Clavis linguæ S.* P. II. I. F. TREIBERI *Compendium Phraſeologiæ Hebr. maxime Syntacticæ*, ROB. STEPHANI *Theſauri linguæ S.* Pars II. &c.

SECTIO

SECTIO XI.

DE

POESI HEBRAEORVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

SECTIO XI.
DE
POESI HEBRAEORVM.

§. I.

Ne quid huic noſtræ Commentationi deſit, quod ad accuratiorem linguæ Hebr. cognitionem facere queat, iam quoque de *Poëſi* tam *veterum* quam *recentiorum* Hebræorum quædam in medium producemus. Ad *Poëſin veterum* Hebræorum quod attinet, omnes fere in eo conſentiunt, *Pſalmos Davidis*, *Proverbia Salomonis* & *librum Jobi* libros eſſe *Poëticos* ſive *metricos*: quibus nonnulli addunt *Eccleſiaſten* & *Canticum Canticorum*. Sunt quoque, qui & in reliquis libris Biblicis quasdam eiusmodi pericopas *Poëticas* ſive *metricas* inveniſſe ſibi videntur, ut Exod. 15. Deut. 32. Jud. 5. Jon. 2. &c. & ex mente CLERICI Gen. 4, 23. c. 7, 11. &c. Quod ſi vero quis de *veteris* illius *Poëſeos* Hebr. ratione quærat, Judæi æque ac Chriſtiani nihil certi de ea dicere habent: ut adeo, quicquid de illa ſcriptis huc usque conſignatum eſt, nudis fere coniecturis nitatur. Diverſas de *Poëſeos veterum* Hebræorum conditione ſententias recenſent WOLFFIVS in *Biblioth. Hebr.* Vol. II. p. 93. ſeq. & Vol. IV. p. 20. ſeq. & CARPZOVIVS in *Introduct. ad libros Biblicos* V. T. P. II. c. 1. Judæi prædictorum librorum *Poëſin* in peculiari eorundem *Accentuatione* atque *ſtylo* quærunt; conf. BARTOLOCCIVS in *Biblioth. Rabb.* T. II. p. 244. VOISINIVS ad RAYM. MARTINI *Pugionem fidei* p. 129. ſeq. & BVXTORFFIVS in *Mantiſſa* ad librum *Coſri*

 p. 406.

p. 406. ſeq. quos & Chriſtiani nonnulli apud Wolfium & Carpzovium l. c. ſequuntur. Alii *Poëſin* illam ad certas *melodias Muſicas* alligant, quales e. g. in *Evangeliis*, *Epiſtolis*, *Collectis* ſic dictis & orationibus, publice in Eccleſiis decantandis, obtinent: quam ſententiam inter alios Pfeifferus in Diſſert. de *Poëſi Hebræorum*, & Sal. Tillius de *Hebræorum arte Poëtica & Muſica* P. II. c. 6. tuentur.

§. II.

Sunt quoque, qui veteres Hebræos *rhythmum* non latuiſſe credunt: quod pluribus defendunt Clericus in *Bibliotheca univerſ.* T. IX. p. 222. ſeq. Blasius Garofalus in *Conſiderazion intorno de gli Ebrei & dei Greci*, & Steph. Fourmont in *Commentariis Academiæ inſcript. & elegant. litter.* T. IV. p. 467. ſeq. Eius rei ſpecimina dederunt Nic. Petræus in Cantico Canticorum, Iac. Cappellus in Pſ. 145. &c. in *Biblioth. ſelect.* T. XIII. p. 288. ſeq. Clericus l. c. in Pſ. 150. & in aliis locis in *Commentario in Pentateuchum* paſſim; quibus contradixerunt Ioh. Morinus in *Exercitat. Bibl.* p. 538. ſeq. Sal. Tillius l. c. Thysius in *Exercitat. Miſcell.* XVII. p. 510. ſeq. I. G. Abicht de *Accentibus Hebr.* p. 267. ſeq. & in Diſſertat. de *libro Recti* §. 8. in ſpecie autem Cappellum H. C. Engelken in pec. Diſſert. confutavit. Conf. Henr. Muhlii Diſſ. de *Rhythmo* §. 8. ſeq. Alii veteres Hebræos haud ſecus ac alias gentes certo quodam *metro* uſos eſſe contendunt: quam ſententiam iam Josephus *Antiquit. Jud.* L. II. cap. ult. Eusebius de *Præparat. Evangel.* L. XI. c. 3. Hieronymus paſſim, Isidorus *Hiſpalenſis Orig.* L. I. c. 38. aliique Patres foverunt, conf. Croir *Obſervat. S. in N. T.* p. 93. ſeq. unde Polyd. Virgilius, Moſen *Hexametrorum* eſſe inventorem, Ioh. Morinus autem l. c. p. 537. Judæos

Hie-

HIERONYMI ætate Pſalmos librumque Jobi aliter plane, ac Maſorethas, legiſſe & diſtinxiſſe, argumentantur. Exploſerunt autem illam de *metro* veterum Hebræorum ſententiam SCALIGER *ad* EUSEBII *Chronicon* p. 7. AUG. STEUCHUS in *Præfat. in Pſalmos*, & CLERICUS in *Biblioth. univerſ.* T. IX. p. 275. ſeq. Eandem tamen ex recentioribus probarunt ALSTEDIUS in *Triumpho Biblico* p. 263. ſeq. FR. GOMARUS in *Lyra Davidis*, qui Pſalmos Davidis cum *Odis* PINDARI & *metro* SOPHOCLIS contulit; (confutatus a LUD. CAPPELLO in *Animadverſionibus ad novam Davidis Lyram*,) MASIUS in *Comment. in Joſ.* in pericopa illa Joſ. 10, 13. ex libro *Recti* adducta, *Jambicos Tetrametros Acatalecticos* inveniſſe ſibi viſus; HERM. HARDTIUS, qui Joëlem & Jobi Caput III. per verſus *Jambicos* diſtinctum, edidit; FRID. SCHERERZIUS in *Animadverſ. circa Philologiam* L. II. c. 5. FABRIANUS REALIS in Diſſ. de *vet. Hebræorum Poëſi*, ſub titulo *Fragmenti epiſtolæ* BERNH. SCACCHI edita; SPEIDELIUS de *Accentibus Hebr.* p. 258. qui complures in Jobo & Proverbiis occurrere *Jambos* credit; FRID. ADOLPH. LAMPIUS in *Conjectaneis expoſitioni Pſalmorum præmittendis*, (z) qui *Poëſin*, in Pſalmis obviam, cum Carminum genere *Dithyrambico* comparat, &c.

§. III.

Nemo vero ulterius proceſſit eoque plures nactus eſt contradicentes, quam MARC. MEIBOMIUS, qui verum priſcorum Hebræorum *metrum* ſe reperiſſe firmiter ſibi perſuaſit, eiusque rei quoque ſpecimina quædam edidit, quo inter alia pertinent *Davidis Pſalmi* XII & *totidem S. S. V. T. integra Capita:* quod ſpecimen ille omnibus Europæ Regibus ac Principibus dedicavit eosque ſupplex rogavit, ſuos tam graves & utiles conatus, qui-

 bus

(z) Exſtant illæ in *Miſcellaneis Groning.* T. IV. p. 632. ſeq.

bus totum V. T. in meliorem formam redigeretur, ſublevarent. In Præfatione prolixas preces profundit, quibus Deo pro myſterii illius revelatione humiles agit gratias. Quia vero MEIBOMIVS, quo Textum S. ad *metrum* ſuum reduceret, eundem pro lubitu transformavit, hinc complures nactus eſt adverſarios: quos inter fuerunt I. H. MAIVS in *Introduct. ad ſtudium Philolog.* cap. ult. ZENTGRAVIVS in *Vindiciis incorrupti Codicis Hebr.* FRANC. BVRMANNVS in aliquot Diſſertationibus de *Poëſi S.* IAC. TRIGLANDIVS in Diſſertat. de *integritate Codicis S.* B. H. GEBHARDI in tribus Diſſertationibus de *metro Meibomiano*, LOESCHERVS de *Cauſis ling. Hebr.* p. 182. ſeq. aliique. MEIBOMII tamen veſtigia preſſit FRANCISCVS HARE, Epiſcopus Anglicanus, qui an. 1736. edidit *Pſalmorum librum in verſiculos metrice diviſum, & cum aliis Critices ſubſidiis, tum præcipue Metrices ope, multis in locis integritati ſuæ reſtitutum;* cui ſeſe CHR. WEISIVS in Program. de *Syſtemate Pſalmorum metrico, a Franciſco Hare adornato*, oppoſuit.

§. IV.

Quidam ſingulas illas ſententias, modo recenſitas, coniungunt, *veterem*que Hebræorum *Poëſin* partim *ſtylo Poëtico*, partim *rhythmis*, partim vero certo quodam *metro* conſtitiſſe volunt: ut LEYDEKKERVS de *Republica Hebræorum* L. XI. c. 6. I. C. SCHRAMMIVS in Progr. de *Poëſi Hebræorum in Codice S.* & I. M. WEINRICHIVS in *Comparatione Poëſeos Germanorum cum illa Hebræorum veteri*, (aa) qui Carmina veterum Hebræorum cum Germanorum *Madrigalibus* ſic dictis confert. Alii vero vel ullam *Poëſin* in Codice S. Hebr. dari negant, ut RICH. SIMON in *Hiſtor. Crit. V. T.* L. I. c. 8. POLYC. LEYSERVS in Diſſert. de *fruſtra quæſita Poëſi in Codice S. Hebr.* vel ignorantiam ſuam confiteri malunt, ut ISAACVS VOSSIVS de *Poëmatum cantu & viribus rhythmi*, WOLF-

(aa) Exſtat illa in *Miſcellaneis Lipſienſ.* T. IX. p. 76. ſeq.

WOLFFIVS in *Biblioth. Hebr.* Vol. II. p. 100. aliique apud CARPZOVIVM in *Introduct. ad Libros Bibl. V. T.* p. 21. ſeq. Plura de *veterum* Hebræorum *Poëſi* dabunt auctores, a WOLFFIO l. c. p. 101. & Vol. IV. p. 23. CARPZOVIO l. c. p. 28. ſeq. & CHR. WEISIO l. c. p. 13. laudati: quibus addendus eſt STEPH. FOURMONT in *Commentariis* ſupra laudatis T. VI. p. 175. ſeq. ASTER de *hypotheſi dramatica S. Codici illata*, &c.

§. V.

Aliter ſeſe habet Hebræorum *recentiorum Poëſis*, quæ magis cum Græcorum, Latinorum & Germanorum *Poëſi* convenit. Conſtat enim illa vel certo quodam *metro* ſive *Pedibus* certæ cuiusdam *Quantitatis:* ſicque *Poëſi* Græcorum ac Latinorum reſpondet; vel *rhythmo* abſolvitur: quomodo cum Germanorum *Poëſi* congruit. Syllaba *longa* ſive *Pes Semiſpondeus* illis dicitur תְּנוּעָה, quem omnes Vocales efficiunt. *Spondeus* ſive *Pes* duarum Syllabarum *longarum* vocatur שְׁתֵּי תְנוּעוֹת. *Brevem* Syllabam conſtituunt *Scheva Simplex Mobile*, tria *Schevaim Compoſita*, & וּ initiale, niſi aliud (:) ſequatur. *Pes Jambicus* dicitur יָתֵד, ut פְּרִי. Præter illos *Pedes* utuntur quoque aliquot *Pedibus triſyllabis:* ut *Moloſſo*, tribus Syllabis *longis* conſtante; *Bacchio*, qui unam *brevem* & duas *longas* Syllabas comprehendit, e. g. מְלָכִים; rarius *Amphimacro*, cuius prima & ultima Syllaba *longa*, media autem *brevis* eſt, ut עֲבְדְּךָ; nunquam vero *Trochæo*. Verſus *rhythmicus* appellatur חָרוּז, Carmen autem *rhythmicum* שִׁיר חֲרוּזִי. Eiusmodi *rhythmus* trifariam exoritur: 1) ſi ſingulæ ſaltem litteræ ultimæ *rhythmum* faciunt, ut אָבַד, בָּדָד, כָּחְמָר &c. quale Carmen vocatur שִׁיר עוֹבֵר; 2) ſi binæ litteræ *rhythmum* conſtituunt, ut לֵאמֹר, לִשְׁמֹר &c. quale Carmen

men dicitur שִׁיר רָאוּי; 3) ſi ternæ litteræ *rhythmum* efficiunt, ut סְפָרִים ּ דְּבָרִים &c. quod appellatur שִׁיר מְשֻׁבָּח. Eſt autem eiusmodi Carmen *rhythmicum* vel *ſimplex*, Hebr. פָּשׁוּט; vel *compoſitum*, Hebr. מֻרְכָּב. Prius eſt, quod meris *Pedibus longis* abſoluitur, *Spondeis* ſcil. & *Semiſpondeis*; *compoſitum* vero, quod ex varii generis *Pedibus* mixtum eſt.

§. VI.

Utrumque verſuum Hebraicorum genus, tam *metricum*, quam *rhythmicum, Hemiſtichiis* continetur, quæ coniuncta *Diſtichon* conficiunt, Hebr. בַּיִת. Prius *Hemiſtichion* dicitur דֶּלֶת, poſterius סֹגֶר. Carmen itaque, paucioribus quam decem *Diſtichis* conſtans, vocatur פָּסוּק; decem autem vel pluribus conſtans *Diſtichis*, שִׁירָה. De quibus ſingulis ut plura in medium producamus, non eſt noſtri inſtituti. Conſulendi hic ſunt auctores, qui de Hebræorum *Proſodia* & *Poëſi* tractant, vel in Grammaticis ſuis, ut BVXTORFFIVS in *Theſauro Gram. Hebr.* p. 625. ſeq. G. MAYR in *Inſtitut. ling. Hebr.* P. VI. IOHANNES *Vallenſis* in *Grammatica Hebr.* &c. vel peculiaribus libellis, ut I. F. TREIBERVS in Append. ad *Compendium Phraſeologiæ Hebr.* IOH. CLAIVS in *Proſodia Latinorum, Græcorum & Hebræorum*, THEOD. EBERTVS in *Poëtica Hebr.* I. G. DRECHSLERVS in *Manuductione ad Poëſin Hebr.* LAVR. FABRICIVS in *Metrica Hebræorum veteri & nova*, I. C. KOHLHANS in *Exercitationibus Glotticis*, GENEBRARDVS de *metris Hebræorum*, PFEIFFERVS in Diſſ. de *Poëſi Hebræorum veterum & recentiorum*, &c. Componendis vero Verſibus Hebraicis *rhythmicis* inter alia inſervit HIER. AVIANI *Clavis Poëſeos S.* ubi omnia vocabula Hebr. *rhythmum* conſtituentia, ordine diſpoſita reperiuntur.

SECTIO

SECTIO XII.

DE

TEXTV HEBRAICO

S. CODICIS V. T.

Digitized by Google

Sectio XII.

DE

TEXTV HEBR. S. CODICIS V. T.

CAPVT I.

DE

CODICIBVS MSCR. EDITIONIBVS ET VARIANTIBVS LECTIONIBVS TEXTVS V. T. HEBR.

§. I.

Lingua Hebr. hactenus per ſe conſiderata, iam quoque de *Textu V. T.* lingua illa conſignato, ita commentabimur, ut 1) de præcipuis *Textus* illius *codicibus mſcr.* atque *editionibus*, 2) de *Variantibus* eius *Lectionibus*, in ſpecie de *Kri* & *Kethibh* ſic dicto, 3) de variis eiusdem *partitionibus*, & 4) de *Maſora* ſive *Critica* veterum Hebræorum circa *Textum Hebr. V. T.* agamus. Ad *Textus Hebr. codices mſcr.* quod attinet, dubium non eſt, quin omnia eius *Autographa* iam dudum perierint; quamvis R. Asaria in *Meor Enaim* c. 9. p. 53. b. ſe Eſræ *Autographum* quoddam Cabillione in Gallia reperiſſe referat; alii autem eiusdem Eſræ *Autographum* Pentateuchi in cœnobio Dominicanorum Bononienſium, a Judæis ſeculo decimo quarto vel dono illuc datum vel oppigneratum, ſupereſſe tradant. Vana iſta opinione Judæi procul dubio monachis impoſue-

Digitized by Google

poſuerunt; alioquin enim κειμήλιον tam pretioſum minime miſſum feciſſent. Conf. HOTTINGERI *Theſaurus Philolog*. p. 115. ſeq. I. F. MAYERI *Diſſertat. Select*. p. 559. ſeq. & B. G. CLAVSWITZII Diſſert. de *Autographorum Bibl. iactura innoxia* §. 6. ſeq. Nec certiora ſunt, quæ Karæi Cairenſes de Eſræ *Autographo* Pentateuchi in Synagoga ſua aſſervato, ſed nemini unquam monſtrato, gloriantur; aut quæ Samaritani in litteris, ad Judæos in Anglia datis, de Pentateuchi exemplari, ab Abiſæo filio Pinechaſi conſcripto, iactarunt.

§. II.

Cum itaque aliquod V. T. exemplar *Autographum* ſupereſſe certo demonſtrari nequeat, *codices mſcr.* iacturam illam compenſent neceſſe eſt. Quidam vero illorum *codicum mſcr.* & ipſi dudum interciderunt: ut 1) tria exemplaria, in atrio Templi olim reperta, tradentibus Judæis in Talmudis Hieroſolymitani Tractatu *Taanith* fol. 68. 1. conf. LIGTFOOTI *Horæ Hebr.* ad Matth. 5, 18. 2) HILLELIS exemplar, an. 1196. in Hiſpania repertum, ad quod DAV. KIMCHIVS paſſim provocat, ſuo adhuc tempore Toleti id ſuperfuiſſe teſtatus; licet incertum ſit, quisnam ille HILLEL fuerit? conf. HOTTINGERVS l. c. p. 105. BARTOLOCCIVS in *Bibliotheca Rabbin.* T. II. p. 798. ſeq. BVXTORFFIVS de *antiquitate Punctorum* p. 350. ſeq. & Anonymus quidam in peculiari *Diſſertatione* de hoc *codice.* (bb) 3) Codex, ſic dictus *Ægyptiacus*, qui, teſte MAIMONIDE, ipſius adhuc tempore in Ægypto, antea vero Hieroſolymis exſtitit, alias quoque dictus *Codex Ben Aſcheris*, qui eum corre-

(bb) Exſtat illa in *Speciminibus rei litterariæ*, Gallice an. 1704. editis.

correxiſſe &. recenſuiſſe fertur. 5) Codex, ſic dictus *montis Sinai*, cuius ELIAS *Levita* mentionem facit. 6) Pentateuchus *Hierichuntinus*, ad quem MENACHEMVS *de* LONZANO in *Or Thora* ſæpius provocat. Idem MENACHEMVS aliquoties codicem *Sanbuki* allegat; quid vero loci ſit illud *Sanbuk*, nemo facile dixerit, niſi ſit *Sambucum*, oppidum Pedemontii ad flumen Sturæ.

§. III.

Codices vero *mſcr.* hodienum ſuperſtites magna copia recenſentur & deſcribuntur a I. H. HOTTINGERO in *Bibliothecario Quadripartito*, a IACOBO *le* LONG in *Biblioth. S.* c. 2. WOLFFIO in *Biblioth. Hebr.* Vol. II. p. 293. ſeq. & Vol. IV. p. 79. ſeq. & CARPZOVIO in *Critica S. V. T.* P. I. c. 8. Nos ſaltem codices antiquiores & præcipuos hic attingemus. Continent autem codices illi vel omnes V. T. libros, vel aliquam ſaltem eius partem, & quidem vel ſolum Textum Hebr. vel *Maſora* aut etiam *Targumim* ſive *Paraphraſibus Chald.* inſtructum; ſuntque vel codices *quadrati*, vel *convoluti*, quales Judæi in Synagogis ſuis adhibent. Nullus vero illorum codicum, quantum conſtat, ſeculum a Chriſto nato decimum ætate antecedit. Eorum antiquiſſimus habetur Pentateuchi codex Hebr. & Chald. cum quinque *Megilloth*, conſcriptus an. 1076. quem quondam SCHVLTINGIVS, Eccleſiæ Reform. Amſtelod. miniſter, poſſedit. Hunc excipit codex Bibliorum Hebr. mſcr. una cum *Targum* in Prophetas & cum *Maſora*, litteris conſignatus an. 1106. & a IOH. REVCHLINO bibliothecæ Phorcenſi donatus. Aliud exemplar pretioſiſſimum, ab Imperatore MAXIMILIANO I. REVCHLINO dono datum, ab hoc vero in eandem bibliothecam Phorcenſem & dehinc Durlacenſem delatum, quod

quod HENR. OPITIO in edendis Bibliis Hebr. uſui fuit, præter Textum S. etiam *Targum* ONKELOSI ac *Maſoram*, nitidiſſimis animalium figuris exornatam, complectitur. Exſtat Vratislaviæ in bibliotheca *Magdalenæa* codex magni pretii, ſcriptus an. 1238. quem ACOLVTHVS de *aquis amaris* p. 194. ſummis laudibus effert. Amſtelodami habetur codex aliquot librorum Biblicorum, conſcriptus an. 1294. quo olim LEDEBVHRIVS uſus eſt, quemque Jos. ATHIAS ab eius poſſeſſore, CORNELIO *de* GRAAF, mille thaleris redimere voluit. Romæ in bibliotheca *Vaticana* codex aſſervatur totius V. T. Hebr. una cum *Maſora* & *Targum* in Pentateuchum, ſcriptus an. 1295. vulgo pro illo habitus, quo olim IVNIVS & TREMELLIVS in adornanda Verſione S. S. uſi ſunt, cum bibliotheca Heidelbergenſi Romam delatus. Similis codex in bibliotheca ſenatoria *Regiomontana* reperitur, quo OPITIVS in ſua Bibliorum Hebr. editione uſus eſt. Eximium codicem mſcr. *Erfurtenſem*, ſcriptum an. 1343. cui etiam adiectum eſt *Targum* in utrumque Chronicorum librum, a MICH. BECKIO primum in lucem emiſſum, edendis Bibliis Hebr. *Halenſibus* b. I. H. MIÇHAELIS adhibuit, & in Diſſert. de *Codicibus mſcr. Biblico-Hebraicis, maxime Erfurtenſibus*, pluribus deſcriptum dedit. Exſtat & inter alia codex vetuſtus in bibliotheca regia *Berolinenſi*, ſcriptus an. 1455. & ab OPITIO ſimiliter uſurpatus; Serveſtæ item Celeb. H. I. *van* BASHUYSEN codicem poſſidet, exaratum an. 1474. qui I. H. MAIO in ſua Bibliorum Hebr. editione ad manus fuit. Ut alios *codices*, paſſim in Gallia & alibi exſtantes, taceamus.

§. IV.

Præter illos *codices mſcr.* dantur & alii, quorum ætas dubia eſt vel incerta. Amſtelodami penes Judæos

dæos Luſitanos ad ſexaginta fere codices mſcr. haud exigui pretii reperiuntur, de quibus conf. LEVSDENI *Philologus Hebr.* Diſſert. XXXIV. In bibliotheca regia *Berolinenſi* videre eſt aliquot codices eximios, ut unum, quem olim poſſedit Epiſcopus Brandenburgicus STEPHANVS; alium, cuius titulus voceſque initiales ſcriptæ ſunt litteris inauratis, &c. Compluti ſeptem codices ſupereſſe feruntur, qui Cardinali & Archiepiſcopo Toletano FRANC. XIMENIO quater mille ſolidis aureis quondam conſtiterunt. Deſſaviæ in bibliotheca principali rarus quidam exſtat codex, & alius Dresdæ, quem CARPZOVIVS in *Critica S. V. T.* p. 382. ſeq. pluribus deſcripſit. Helmſtadii duo Pentateuchi codices mſcr. aſſervantur, a IOH. SAVBERTO in Append. ad *Variantes Lectiones Evangelii Matthæi* p. 261. ſeq. deſcripti. Ienæ in bibliotheca Academica codex, in quo tamen Pentateuchus deficit, habetur, a GLASSIO in *Philologia S.* p. m. 30. & HÆNERO in *Obſervat. Philolog.* §. 6. & 7. laudatus. Lipſiæ in bibliotheca ſenatoria inter alia codex exſtat, Pentateuchum & *Megilloth* complexus, quem olim WAGENSEILIVS poſſedit proque admodum antiquo habuit. In bibliotheca ſenatoria noſtra *Halenſi* codex eſt mſcr. editioni Bibliorum Hebr. a b. I. H. MICHAELIS adhibitus, & alius codex Pentateuchi longe pretioſior in bibliotheca Academica, quo an. 1687. in expugnatione urbis Patrarum in Peloponneſo nonnemo potitus fuit, unde primo ad ANDR. ERASM. SEIDELIVM, ab hoc ad DAN. ERN. JABLONSKIVM, tandemque ex eius bibliotheca redemtus, huc devenit. Ut alios codices V. T. Hebr. mſcr. fere innumerabiles, paſſim per Germaniam, Galliam, Italiam, Helvetiam, Angliam, Belgium &c. latitantes, ſilentio prætermittamus, de quibus plura tradunt IAC. LE LONG, WOLFFIVS

R

& CARPZOVIVS l. ſupra c. qui CARPZOVIVS quoque oſtendit, qua ratione de *antiquitate* & *præſtantia codicum mſcr.* iudicari queat, ſimulque eorundem uſum monſtrat. De *atramento*, quo Judæi in deſcribendis libris ſuis utuntur, agit I. I. QUANDT in Diſſert. de *atramento Hebræorum.*

§. V.

Poſt inventam artem typographicam etiam Textus Hebr. V. T. typis exſcribi cœpit. Eiusmodi Biblia Hebr. typis expreſſa, ſunt vel *Polyglotta*, vel *Rabbinica*, vel *Hebræo - Latina*, vel *Hebraico - Germanica*, vel *nude Hebraica.* Biblia *Polyglotta* partim a *Chriſtianis*, partim a *Judæis* in lucem ſunt emiſſa. Inter Biblia *Chriſtianorum Polyglotta* referuntur I.) *Polyglotta Complutenſia*, Compluti ab an. 1514. usque ad an. 1517. ſex voluminibus formæ maximæ, impenſis & cura FRANC. XIMENII, edita, conf. *Introduct. in ling. Græc.* Sect. XI. §. 15. Continent illa ex V. T. Textum Hebr. ſine Accentibus una cum *Targum* ONKELOSI, Verſiones item *Græcam* & *Latinam Vulgatam*, cum *Dictionario Hebr. Chald. & Græco.* II.) Biblia *Polyglotta Antwerpienſia*, alias quoque *Regia* & *Plantiniana* dicta, quia ab anno 1569. usque ad an. 1572. Antwerpiæ, impenſis PHILIPPI II. Hiſpaniæ Regis, a CHRIST. PLANTINO octo voluminibus formæ maximæ impreſſa ſunt, idque cura ARIÆ MONTANI, cui manus auxiliatrices commodarunt ANDR. MASIVS, GUIDO FABRICIVS, LUCAS *Brugenſis*, FRANC. RAPHELENGIVS aliique. Continent illa Textum V. T. Hebraicum una cum tribus *Targumim*, ut & Verſiones *Græcam* & *Latinam Vulgatam*, novem item Tractatus de *Antiquitatibus S. Apparatum Criticum* &c. adeoque *Complutenſia* multum excellunt. Menda quædam ſingularis Gen. 3, 15. in iis obſerva-

ſervatur, ubi loco *Pronominis Maſc.* הוא exſtat *Fœm.* הִוא, cum nota *Variæ Lectionis*, ſine ullius codicis mſcr. auctoritate: quæ menda, data omnino opera admiſſa, GUIDONI FABRICIO tribuitur. III.) *Polyglotta Pariſienſia* ſive *Heptapla Regia*, quæ an. 1645. Pariſiis decem voluminibus in folio, uti vocant, ſumtibus plusquam centies mille thalerorum, prodierunt, opus dirigente GUID. MICHAELE *de* JAY, ſupremi Galliæ ſenatus Advocato, cui adſuerunt PHILIPPVS *Aquinas*, IOH. MORINVS, ABRAHAMVS *Echellenſis*, GABRIEL *Sionita* &c. Complectitur hæc editio Textum Hebr. una cum Textu & Verſione Pentateuchi *Samaritana*, *Targumim*, Verſiones *Græcam*, *Latinam Vulgatam*, *Syriacam* & *Arabicam*; ſed mendis minime caret. Conf. HOTTINGERI *Analecta Hiſtor. Theol.* Diſſert. II. p. 83. ſeq. IV.) *Polyglotta Anglicana*, ab anno 1653. usque ad an. 1657. Londini ſex voluminibus in fol. cura BRIANI WALTONI, & ope EDM. CASTELLI, THOMÆ HYDII aliorumque, typis excuſa, præcedentibus Bibliis *Polyglottis* longe præſtantiora; in quibus utpote inſuper acceſſerunt Verſiones *Perſica* Pentateuchi, & *Æthiopica* Pſalterii ac Cantici Canticorum, una cum luculentiſſimis *Prolegomenis* & *Apparatu Critico*: quo etiam ſpectat CASTELLI *Lexicon Heptaglotton.* His denique V.) addi poſſunt ELIÆ HUTTERI Biblia *Polyglotta*, an. 1599. Hebraice, Chaldaice, Græce, Latine, Germanice & Sclavonice edi quidem cœpta, ſed ad finem non perducta. Biblia *Polyglotta*, a *Judæis* procurata, duo ſunt, Conſtantinopoli edita, ſed ſolum Pentateuchum complexa. Prior editio an. 1546. prodiit, continetque Textum Hebr. & Verſiones *Chaldaicam*, *Perſicam* atque *Arabicam*, una cum RASCHII *Commentariö.* Altera, an. 1547. edita, Textum Hebr.

una cum Verſionibus *Chaldaica*, *Hiſpanica* & *Neo-Græca* exhibet. Conf. pluribus de Bibliis eiusmodi *Polyglottis* OLAI CELSII & W. E. TENZELII Diſſert. de *Bibliis Polyglottis*, & IACOBI *le* LONG *Diſcours Hiſtorique de Bibles Polyglottes*.

§. VI.

Biblia *Polyglotta* excipiunt Biblia *Rabbinica*, i. e. quibus præter Textum S. *Maſora*, *Targumim* & præcipui *Rabbinorum Commentarii* continentur. Huc referenda ſunt Biblia DAN. BOMBERGII, ab ipſo Venetiis an. 1518. auxiliante FELICE *Pratenſe*, edita & aliquoties deinde ibidem recuſa. Hæc vero multis paraſangis relinquunt IOH. BVXTORFFII Biblia *Rabbinica*, an. 1618. 1619. Baſileæ in lucem emiſſa. Longum foret, recenſere, quæ utrisque Bibliis illis continentur. Præterea an. 1724-1727. R. MOSES *Francofurtenſis* Amſtelodami eiusmodi Bibliorum *Rabbinicorum* editionem procuravit, cui multo plures *Rabbinorum Commentarii* inſerti ſunt. Conf. de illa Celeb. P. T. CARPOVII *Animadverſ. Philolog. Crit.* p. 1. ſeq. Ex Bibliis *Hebræo-Latinis* præ ceteris memoranda ſunt 1) SEB. MÜNSTERI Biblia, quæ ille an. 1534. 1535. Baſileæ duobus voluminibus in fol. notis hinc inde inſtructa, in lucem edidit, recuſa an. 1546. 2) Editio *Plantiniana*, an. 1584. Antwerpiæ in officina PLANTINI excuſa & an. 1657. Lipſiæ recuſa. 3) Editiones ARIÆ MONTANI cum verſione Lat. SANTIS PAGNINI, annis locisque diverſis typis exſcriptæ. 4) Editio ROB. STEPHANI, quæ an. 1586. duobus voluminibus in fol. una cum Verſione *Græca* & gemina *Latina*, notisque FRANC. VATABLI, Heidelbergæ prodiit. His ex recentioribus addenda eſt editio I. C. CLODII, an. 1740. Lipſiæ cum SEB. SCHMIDII Verſione *Latina* impreſſa,

preſſa, & quam anno proxime elapſo Pariſiis Houbigant, monachus Gallus, adornavit, qua ille improbo auſu Textum Hebr. iuxta analogiam Grammaticam Verſionesque veteres, & regulas Criticas, ab ipſo in *Prolegomenis in S. S.* an. 1747. editis, præſtabilitas, correxit, eo perfeciſſe ſibi viſus, quæ Lud. Cappellus inceperat. Textui Hebr. Verſio *Latina* ſingulisque capitibus notæ *Criticæ* adiectæ ſunt. Biblia *Hebræo-Germanica* dici poſſunt, quæ an. 1741. impenſis Orphanotrophei Züllichovienſis cum Verſione *Germanica* Lutheri lucem viderunt.

§. VII.

Denique & paucis recenſendæ ſunt præcipuæ editiones, *ſolum Textum Hebr.* complexæ, eæque vel a *Iudæis* vel a *Chriſtianis* accuratæ. Ad prioris generis Biblia Hebr. pertinent editio vetuſtiſſima ac rariſſima, Soncini an. 1488. in fol. excuſa; editio alia an. 1494. forma minori Brixiæ edita, Luthero olim uſurpata, cuius exemplar in bibliotheca regia *Berolinenſi* aſſervatur; editiones R. Menassis Ben Israel, quarum prior Amſtelodami an. 1635. duobus voluminibus in forma quarta, altera an. 1639. in forma octava prodiit; utraque editio Ios. Athiæ, eadem forma, altera an. 1661. altera vero 1667. ibidem typis exſcripta; Davidis Nunnes Tores editio formæ minimæ, ib. an. 1705. &c. vid. & ſupra p. 157. Poſterioris generis ſunt editiones Dan. Bombergii, Venetiis forma quarta an. 1518. 1521. 1528. 1533. 1544. in lucem emiſſæ; Rob. Stephani utraque editio, altera quatuor voluminibus eiusdem formæ, altera ſeptem voluminibus formæ minimæ comprehenſa; editiones aliquot Venetæ ex officina Ant. Iustiniani, & aliæ Johannis *de* Gara; complures editiones *Plantinianæ* Antwerpienſes; Ioachimi & Fride-

RICI HARTMANNORVM editiones, triplici forma Francofurti ad Oderam excuſæ; *Raphelengiana*, forma minima Lugduni Batavorum an. 1595. edita; IOH. BUXTORFFII editio in 8. Baſileæ an. 1611. IOH. BRAGADINI editiones aliquot, Venetiis diverſa forma evulgatæ; I. G. NISSELII editio Lugd. Bat. an. 1662. in 8. DAV. CLODII editio Francof. an. 1677. in 8. DAN. ERN. JABLONSKII editio utraque, altera an. 1699. forma octava maiori, altera an. 1712. forma minori Berolini typis exſcripta; nitidiſſima editio EVERHARDI *van der* HOOGHT Amſtelod. an. 1705. in 8. HENR. OPITII editio Kilonienſis an. 1709. I. H. MAII editio Francof. an. 1716. Halenſis I. H. MICHAELIS, hinc inde annotatiunculis, Notisque uberioribus, ſeorſim editis, & *Variis* inſtructa *Lectionibus*; REINECCIANA Lipſienſis utraque, una in 4. altera in 8. & noſtra an. 1752. cum *Analyſi τῦ Kri* & *Kethibh*, atque cum *Dictionario omnium vocum Hebr. & Chald.* Vt taceamus Biblia Hebraica *non punctata*, & partes Bibliorum Hebr. maxime Pſalterii & Pentateuchi, ſeorſim editas: quas inter cum primis memoratu digna eſt editio Pentateuchi cum *Haphtaroth* & *Megilloth*, quam Judæi Olsnenſes in Sileſia notis illuſtratam procurarunt, ſed horrenda tempeſtas, an. 1735. ibi exorta, ex typographeo ita diſpulit, ut ne unum quidem exemplar completum colligi potuerit, conf. I. G. PAGENDARMII Diſſert. de *Codice Judæorum Olsnenſium Hebræo, ex parte adhuc ſuperſtite,* & I. E. BERGERI Diſſert. de *Bibliis Hebr.*

§. VIII.

Sequitur, ut paucis quoque de Textus S. V. T. *Variis Lectionibus* agamus. Sunt autem illæ partim *antiquiores*, partim *recentiores*. *Antiquiores* Textus S. *Lectiones Variantes* dicimus, quas vulgo *Kri* & *Kethibh* vocant.

vocant. Nos illarum 1) *nomen*, 2) *naturam* & *conditionem*, 3) *originem*, 4) *diſcrimen* atque *numerum*, & 5) utra Lectionum illarum alteri præferenda ſit? conſiderabimus. קְרִי Chald. ſignificat *lectum*, eamque Lectionem Textus Hebr. innuit, quæ ad marginem eius ponitur & per litteram 'ק, *abbreviaturæ* notam, indicatur; כְּתִיב vero notat *ſcriptum*, & illam Lectionem ſignificat, quæ in ipſo Textu exſtat & *circulo* ſive *aſteriſco* quodam notatur, conf. Sect. II. §. 50. Puncta autem, τῷ *Kethibh* ſubſtrata, non ad *Kethibh*, ſed ad *Kri* referenda ſunt. Sunt, qui magna myſteria in diverſis Lectionibus illis quærunt; quas alii pro gloſſis & emendationibus, proprio auſu a *Maſorethis* ſusceptis, vel potius pro Rabbinorum corruptelis habere malunt. Vulgaris eaque maxime probabilis ſententia eſt, *Kri* & *Kethibh* partim *Variantes* eſſe *Lectiones*, ab Esræ temporibus ex diverſis codicibus collectas ſicque exhibitas; partim vero *Maſoretharum notas Criticas*, diverſam vocum orthographiam inſinuantes; partim denique, quod ad conſtructiones *irregulares* vel *obſoletas* in *regulariores*, ad voces item *obſcœnas* in *honeſtiores* mutatas, emendationes, ab iisdem proprio auſu factas, ut cum שכב repoſuerunt pro שגל, טחרים pro עפלים &c. Lectiones illæ vulgo Judæis, interque eos Talmudicis in Tract. *Nedarim* c. 4. pro *traditione Moſis* habentur; alii vero easdem acceptas ferunt Eſræ cæterisque *Synagogæ Magnæ* membris; modo tamen diverſo. Abarbanel quidem Esram ſic Prophetarum priorum conſtructiones phraſesque irregulares corrigere voluiſſe credit; quod tamen Danzius in Diſſertat. de *ſinceritate S. S. prævalente Kri vacillante* p. 98. ſeq. refellit; alii Esram poſt captivitatem Babylonicam exemplaria S. Codicis reſidua cum invicem contuliſſe, & variationibus paſſim obſer-

vatis, Lectionem, ſibi commodiorem viſam, in margine Textus poſuiſſe, putant. HILLERVS vero in *Arcano Kri & Kethibh* p. 24. ESRAM Codicem S. aliquoties deſcripſiſſe vel deſcribi curaſſe & deinde revidiſſe, cumque in ſingulis exemplaribus, non ubique iisdem verbis uſus, ſubinde in deſcribendo variaverit, ab eius tempore variationes iſtas ſic notatas, adeoque utramque Lectionem, & *Kri* & *Kethibh*, divinæ eſſe originis, contendit. HILLERO tamen contradixerunt CARPZOVIVS in *Critica S. V. T.* p. 336. ſeq. SCHVLTENS in *Inſtit. ling. Hebr.* p. 97. ZELTNERVS in *Enneade Quæſtionum Philolog.* quæſt. 9. §. 9. P. C. KÆMPFFERVS in Diſſertat. de *origine atque indole τῦ Kri & Kethibh* §. 10. HILLERVM vero defendit G. F. GVDIVS in *Novis Miſcellaneis Lipſienſ.* Vol. V. P. III. Epicriſi a I. H. SCH. in *Muſeo Helvet.* P. XVI. exceptus. Quicquid ſit, quia in Malachia eiusmodi *Kri* & *Kethibh* non occurrit, haud obſcure exinde Lectiones illæ vel Malachia antiquiores, vel ſaltem eius tempore inceptæ eſſe colliguntur.

§. IX.

Numerus illarum Lectionum, *Karjan* & *Kethibhan*, definiri accurate nequit, quia codices, hodienum ſuperſtites, diſcrepant. Catalogum earum exhibent WALTONVS in *Bibliis Polygl. Angl.* T. VI. p. 1. ſeq. vid. & *Analyſis* noſtra illarum Lectionum. Numerum vero inierunt LVD. CAPPELLVS in *Critica S.* L. III. c. 1. §. 6. & CARPZOVIVS in *Critica S. V. T.* p. 346. 347. conf. HILLERVS l. c. L. I. c. 14. Concernit autem *Kri* & *Kethibh* vel *integras voces*, vel *ſingulas litteras*, nunquam vero *Puncta*. Ratione *integrarum vocum Kri* & *Kethibh* occurrit, 1) ubi vox omiſſa eſt aut ſuperflua; 2) ubi duæ voces in unam contractæ ſunt, aut vice verſa una vox

in

in duas diſtracta; 3) ubi vox, ſenſum *obſcœnum* fundere viſa, in *Kri* marginali cum *honeſtiori* permutata eſt. Ratione *ſingularum litterarum Kri* & *Kethibh* offenditur, 1) ubi litteræ tranſpoſitæ ſunt; 2) ubi littera vel cum alia permutata, vel omiſſa eſt, vel redundat; maxime vero 3) ubi Litteræ *Quieſcentes* אהוי inter ſe alternant. Quod ſi vero quis quærat: utra Lectio alteri præferenda ſit? alicubi quidem diſcrimen notabile inter *Kri* & *Kethibh* non intercedit: ut ubi Litteræ *Quieſcentes*, tanquam *Matres Lectionis*, abundant, e. g. in וְקָאם Hoſ. 10, 14. vel deficiunt, e. g. in בְּעֵינָו 2 Sam. 12, 9. vel alternant, e. g. Job. 6, 2. In multis tamen locis *Kri* & *Kethibh* multum differre nemo facile negaverit: ubi Lectio alterutra antiquior eoque verior ſit oportet. Quidam igitur, præſertim Judæi, τῷ *Kri* inhærent, τὸ *Kethibh* autem pro Lectione habent mendoſa: quam ſententiam tuentur IOH. AVENARIVS, HACKSPANIVS, SCHICKARDVS, HOTTINGERVS, SIXT. AMAMA, &c. cf. CARPZOVIVS l. c. p. 352. alii, ut VOETIVS in *Diſputat. Theol.* P. I. p. 35. ſeq. DANZIVS in *Diſſert.* ſupra cit. & in *Litterat.* p. 67. SCHVLTENS l. c. p. 98. &c. τὸ *Kethibh* præferunt. Tutius vero putamus, ſi media via incedatur &, adhibito iudicio diſcretionis, mox τὸ *Kri*, mox τὸ *Kethibh* præferatur, prout alterutra Lectio melior eſſe videtur: quæ ſententia probatur LAVR. FABRICIO, CALOVIO, GLASSIO, PFEIFFERO, WOLFFIO, CLERICO, CARPZOVIO &c. Denique & hoc obſervandum eſt, voces Textus Hebr. quæ vel *ſemper* vel *ſæpius* diverſimode leguntur, in *Kri* marginali non notari, e. g. יְרוּשָׁלַםִ · יְהוִֹה &c. Plura de *Kri* & *Kethibh* dabunt auctores, a CARPZOVIO l. c. p. 328. 329. & WOLFFIO in *Biblioth. Hebr.* Vol. II. p. 507. ſeq. & Vol. IV. p. 225. laudati, qui-

bus addi poſſunt SENNERTVS in *Exercitationum Philolog. Tertario* p. 22. ſeq. G. OTHO in Diſſert. I. & II. de *Kri & Kethibh*, FRANC. TSEPREGIVS in Diſſertat. de *authentia ſelectiorum Kethibhim*, ZENCKELIVS in *Commentario Gram. ling. Hebr.* p. 90. ſeq. &c. Litteras quoque *inſolitas & punctatas* ex mente HILLERI *Lectionum Variantium* eſſe indices, ſupra Sect. II. §. 50. dictum eſt.

§. X.

Vetuſtioribus porro *Lectionibus Variantibus* accenſendæ ſunt illæ, quæ *Piska*, i. e. *pauſa* ſive *ſpatium*, & quæ *Ittur Sopherim*, h. e. *ablatio Scribarum*, *Tikkun Sopherim*, i. e. *correctio Scribarum*, & *Sebirin*, i. e. *quæ putantur* ſic vel ſic legenda, vocantur, de quibus infra Cap. III. pluribus dicendi locus erit. Similes *Variæ Lectiones* ſunt quoque, quibus codices *orientales* & *occidentales*, codiceſque duorum Rabbinorum, BEN ASCHERIS & BEN NAPHTHALI, differunt. Per codices *orientales* intelliguntur *Babylonici*, per *occidentales* autem *Palæſtini*. In Babylonia enim & Palæſtina Judæos ab everſis per Titum Hieroſolymis Academias ſuas celebreſque habuiſſe doctores, cum invicem æmulatos, ſupra Sect. I. §. 22. notavimus. Sicut itaque duplex exinde *Talmud* ſive *Gemara* enata eſt, *Talmud* ſcil. *filiorum orientis*, i. e. *Babylonicus*, & *filiorum occidentis*, i. e. *Hieroſolymitanus:* ſic quoque diſcrimen quoddam intercedebat codices inter *orientales* & *occidentales*. Eiusmodi *Lectionum Variantium* index ad finem Bibliorum *Rabbinicorum* BOMBERGII & BVXTORFFII, ut & apud DRVSIVM *de recta lectione linguæ S.* c. 50. exhibetur, cuius indicis tamen auctor latet. Exſtant in indice illo ducentæ & ſedecim *Variantes Lectiones*, ad ſolas tamen *voces* aut *litteras* ſpectantes, non vero ad

Pun-

Puncta, exceptis Jer. 6, 6. Amoſ. 3, 6. quoad ה *Mappikatum*. In ſolo Pentateucho *Variæ* illæ codicum *orient.* & *occident. Lectiones* deficiunt. Conf. C. H. ZEIBICHII Diſſert. de *Codicum V. T. orientalium atque occidentalium diſſenſionibus*. Seculo a Chriſto nato undecimo duo celebres Iudæorum doctores florebant, alter in Palæſtina, nomine BEN ASCHER, vel plenius, R. AHARON BEN MOSCHE *de tribu* ASCHER, alter in Babylonia, cui nomen erat BEN NAPHTHALI, vel plenius, R. MOSCHE BEN DAVID *de tribu* NAPHTHALI. Uterque Textui S. Hebr. corrigendo, iuxta exemplaria, quæ ad manum erant, operam dabat. Utriusque deinde diſcipuli codici, a doctore ſuo correcto, inhærebant, eoque novus disſenſus inter codicem BEN ASCHERIS & inter codicem BEN NAPHTHALI ſubnaſcebatur; qui tamen ſola *Puncta* tangebat & unicam vocem שלהבתיה Cant. 8, 6. quam BEN ASCHER ut unam, BEN NAPHTHALI autem ut duas voces legendam præcepit. Eiusmodi igitur utriusque codicis *Variæ Lectiones* numero ſunt octingentæ & ſexaginta quatuor, iuxta indicem, Bibliis *Rabbinicis* BOMBERGII & BUXTORFFII ſubiectum; cum contra in Bibliorum *Polyglottorum* Anglicanorum Tomo VI. p. 8. ſeq. longe plures numerentur, conf. LUD. CAPPELLI *Critica S.* p. 195. ſeq. & WOLFFII *Biblioth. Hebr.* Vol. I. p. 126. ſeq.

§. XI.

Lectiones autem *Variantes recentiores* ex illo tempore in codicibus mſcr. hodienum ſuperſtitibus, inque editionibus impreſſis paulatim ſunt exortæ: quod certe per rerum naturam aliter eſſe nequit, cum *errare humanum* ſit; nec, niſi interveniente continuo miraculo, evitari potuit. Num vero operæ pretium ſit,

ſit, ut omnes & ſingulæ illæ *Variantes Lectiones* colligantur, & an non hominibus ſcepticis anſa ſic præbeatur, vehementius impugnandi Textus S. integritatem? haud abs re diſceptatur; conf. WOLFFIVS l. c. p. 328. ſeq. CARPZOVIVS in *Critica S. V. T.* p. 360. ſeq. & I. H. MICHAELIS in Præfat. ad *Biblia Hebr.* c. 3. qui quoque de *Variantium Lectionum cauſis* variisque *ſpeciebus* tractat. Quid vero hac in re præſtitum huc usque ſit, videre eſt ex iis, quæ WOLFFIVS l. c. p. 544. ſeq. in medium profert. De Pentateuchi *Samaritani*, *Targumim* & *Verſionum* LXX *Interpretum* atque *Latinæ Vulgatæ* a Textu Hebr. variationibus, quarum ſpecimina dederunt SIXTINVS AMAMA, MALDONATVS, STEPH. MORINVS &c. hoc loco ſermo non eſt; ſed de codicum ac editionum Textus Hebr. diſſenſionibus inter ſe, quas nemo adhuc peculiari ſcripto expoſuit, præter ea, quæ CAPPELLVS ad finem *Criticæ S.* ARIAS MONTANVS in *Apparatu* ad Biblia *Polyglotta Antwerpienſia*, laudatus I. H. MICHAELIS aliique in ſuis Bibliorum Hebr. editionibus exhibent. Equidem IOH. BVXTORFFIVS Tractatum hanc in rem ſatis prolixum in mſcr. reliquit, qui tamen nunquam lucem publicam vidit; promiſit quoque SCIP. SGAMBATVS *Emendationes Hebraicas*, & WILH. EYRIVS, Anglus, an. 1607. eiusmodi tractationis ſciagraphiam quandam in *Epiſtola* ad VSSERIVM delineatam dedit, de qua conf. WOLFFIVS l. c. Vol. IV. p. 231. ſed neuter promiſſis ſtetit. Conf. VSSERIVS in Epiſt. de *Textus Hebr. V. T. Variantibus Lectionibus*, edit. Lond. an. 1652. VITRINGA in *Obſervat. S.* L. III. c. 14. & G. OTHO in Diſſertat. *de Variis Textus S. Lectionibus*.

CAP.

CAPVT II.

DE VARIIS TEXTVS HEBR. V. T. PARTITIONIBVS.

§. XII.

Conſiderandæ porro circa Textum Hebr. V. T. veniunt variæ eius *Partitiones.* Sunt autem illæ partim *univerſales*, ad univerſum V. T. ſpectantes, partim *particulares*, quæ aliquot libros in ſpecie concernunt. Utriusque generis *Partitiones* vel *Judaicæ* ſunt vel *Chriſtianæ.* Antiquiſſima *Judaica* V. T. *Partitio* eſt, qua illud dividitur in תּוֹרָה, *Legem*, in נְבִיאִים, *Prophetas*, & in כְּתוּבִים, *Hagiographa.* תּוֹרָה ſive *Lex* quinque libros Moſis complectitur, quos Judæi vocant חֲמִשָּׁה חוּמְשֵׁי תוֹרָה, vel חֲמִשָּׁה חוּמָּשִׁים. *Prophetæ* illis ſunt vel נְבִיאִים רִאשׁוֹנִים, *Prophetæ priores*, quo nomine libri *Joſue, Judicum, Samuelis* & *Regum* intelliguntur; vel נְבִיאִים אַחֲרוֹנִים *Prophetæ poſteriores*: iique vel גְּדוֹלִים *maiores*, ut *Jeſaias*, *Jeremias* & *Ezechiel*, vel קְטַנִּים duodecim Prophetæ *minores*, qui coniunctim, veluti unicus liber, vocantur שְׁנֵים עָשָׂר vel Chald. תְּרֵיסַר, & quoque ut unicus liber interdum citati fuerunt, conf. Act. 7, 42. כְּתוּבִים ſive *Hagiographa* ſic dicunt, quia ea non oretenus a Deo tradita, ſed tantum interno Spiritus S. inſtinctu conſcripta eſſe credunt. Sunt autem illa numero undecim: *Pſalmi*, *Proverbia*, liber *Jobi*, *Canticum Canticorum*, liber *Ruthæ*, *Threni*, *Eccleſiaſtes*, liber *Esthera*, *Daniel*, *Eſra* cum *Nehemia* coniunctim, & libri *Chronicorum.*

corum. Quinque ex illis vocant חָמֵשׁ מְגִלּוֹת i. e. *quinque volumina*, quæ certis diebus feſtis poſt *Paraſchas* in Synagogis publice præleguntur: ut *Canticum Canticorum* feſto Paſchatis, liber *Ruthæ* feſto Pentecoſtes, *Threni* die nono menſis Ab, quo utrumque templum exuſtum credunt, *Eccleſiaſtes* feſto tabernaculorum, & liber *Estheræ* feſto Purim. Dicuntur autem מְגִלּוֹת, *volumina*, quia ea, hunc in uſum ſeorſim deſcripta, *convolvere* ſolent. Quinque itaque libri *Moſis*, quatuor *Prophetæ priores*, tres *Prophetæ poſteriores maiores*, liber *Prophetarum minorum*, & undecim *Hagiographa*, in unum computata, viginti quatuor conficiunt: ideoque totum V. T. Judæis vocatur עֶשְׂרִים וְאַרְבָּעָה, *viginti quatuor*, quæ deinde quidam ad viginti duo reduxerunt, librum *Ruthæ* cum libro *Judicum*, *Threnos* autem cum prophetia *Jeremiæ* complexi, ut totidem libri Biblici, quot litteræ Hebraicæ, numerarentur, conf. ſupra Sect. II. §. 1. Illam vero V. T. diviſionem in *Legem*, *Prophetas* & *Hagiographa* ſummæ eſſe antiquitatis, quidam colligunt ex Luc. 24, 44. ubi *Pſalmi*, ut *Hagiographorum* primum, per *Synecdochen* pro omnibus *Hagiographis* ponuntur: prout & nonnulli ex eo, quod *Jeremias* in multis codicibus antiquis inter Prophetas *maiores* primo loco ponitur, per ſimilem *Synecdochen* locum Matth. 27, 9. explicant. *Partitioni* autem illi V. T. *Judaicæ* exiguum ſtatuendum eſſe pretium, vel exinde patet, quod iuxta eam *David* & *Daniel*, qui tamen in N. T. diſerte *Prophetæ* appellantur, ex *Prophetarum* numero excludantur, & contra libri *Hiſtorici* in cenſum *Propheticorum* referantur. Quapropter Chriſtiani aliam V. T. *Partitionem* inſtituerunt; quamvis diverſa ratione: ſiquidem alii libros Biblicos dividunt in *Hiſtoricos* & *Didacticos*; alii in *Legales*, *Hiſtoricos*,

ſtoricos, *Poëticos* & *Propheticos;* vulgo autem in *Hiſtoricos*, *Propheticos* & *Didacticos.*

§. XIII.

Partitiones librorum Biblicorum *particulares* Judæis vel *propriæ* ſunt, vel cum Chriſtianis *communes*. *Partitio* Judæis *propria* eſt illa, qua *Legem* ſive Pentateuchum dividunt in פָּרָשִׁיּוֹת i. e. *Sectiones*, (a פרש *ſeparavit*, *diviſit*,) *Prophetas* autem in הַפְטָרוֹת h. e. *diviſiones*, coll. *Rad.* Arab. פטר, (Chald. & Syr. פרט) *diſſecuit*, *diviſit*. Circa *Paraſchas*, quæ & ſubinde סְדָרִים vocantur, tum *originem* & *antiquitatem*, tum *numerum*, tum diverſas *ſpecies* illarum conſideramus. *Paraſchas* illas antiquiſſimæ eſſe inſtitutionis, colligunt ex Act. 15, 21. unde Judæi æque ac multi Chriſtiani earum originem vel ad ipſius Moſis ætatem, vel ſaltem ad tempora, haud procul inde remota, referunt: quam ſententiam pluribus tuetur Ioh. Marckius *in Sylloge Diſſertat. ad ſelectos V. T. Textus* Exercitat. XVI. cum alii easdem vel Eſræ vel membris *Synagogæ* M. acceptas referant. Sunt autem *Paraſchæ* numero LIV, vel iuxta Maſorethas LIII: ut duodecim in *Geneſi*, undecim in *Exodo*, decem in *Levitico* totidemque in *Numeris*, & undecim denique in *Deuteronomio*. Cuius diviſionis in LIV *Paraſchas* ſive *Sectiones* non aliam habuerunt cauſam, quam ut ſic, ſingulis ſabbathis una *Paraſcha* lecta, anni ſpatio *Legem* abſolverent. Quamvis enim annus Chriſtianorum tantum quinquaginta duas, Judæorum autem, qui annos habent *lunares*, quinquaginta ſaltem ſeptimanas cum quatuor diebus complectatur, neminem tamen fugit, Judæos quavis enneadecateride ſive novemdecim annorum cyclo ſepties integrum intercalare menſem, quem *Veadar* vocant: qualis annus *intercalaris*

Digitized by Google

laris LIV hebdomadibus abſolvitur, quibus totidem *Paraſchæ* reſpondent. Anno vero vulgari quinquaginta hebdomadum aliquoties binas *Paraſchas* coniungunt: & ſic quoque Pentateuchum intra anni ſpatium legendo ad finem perducunt. Initium autem prælectionis *Paraſcharum* faciunt primo a feſto tabernaculorum ſabbatho, eamque die vigeſimo tertio menſis Tiſri, feſti illius ultimo, anno ſequente abſolvunt, quem diem שִׂמְחַת תּוֹרָה, *lætitiam Legis*, vocant, conf. BVXTORFFIVS in *Synagoga Jud.* c. 27. & VITRINGA de *Synagoga vet.* L. III. P. II. c. 8.

§. XIV.

Sunt autem *Paraſchæ* illæ vel *maiores* vel *minores*. Quæ modo adduximus, intelligenda ſunt de *Paraſchis maioribus*, quæ & *ſabbathicæ* vocantur, & ut plurimum a prima voce, unde incipiunt, vel ab alia voce memorabili, ſtatim ab initio occurrente, peculiares denominationes acceperunt, e. g. prima Geneſeos *Paraſcha* dicitur *Paraſcha Breſchith*, a primo vocabulo Gen. 1, 1. procedens usque ad c. 6, 8. ſecunda vocatur *Paraſcha Noach*, a Gen. 6, 9. ad finem usque capitis 11. &c. *Paraſchæ minores* ſunt ſectiones minuſculæ, in quas *Paraſchæ maiores* pro argumenti ratione diſtinctæ ſunt, e. g. Gen. 1. diverſa creationis opera in tot *Paraſchas minores* diviſa videas. Vtriusque generis *Paraſchæ* porro vel *apertæ* ſunt, Hebr. פְּתוּחוֹת, vel *clauſæ*, Hebr. סְתוּמוֹת: quæ quomodo litteris quibusdam denotentur & diſtinguantur, ſupra dictum eſt Sect. II. §. 21. Præterea ſingulæ *Paraſchæ maiores* pro numero & ordine lectorum dividuntur in ſeptem חֲלָקִים, i. e. *portiones*, conf. BVXTORFFIVS l. c. c. 16. Denique & Pentateuchus per certos quosdam סְדָרִים ſive *ordines* distribuitur, quorum

rum index exſtat ab initio Bvxtorffii Bibliorum *Rabbinicorum*, & de quibus pluribus agit Voisinivs ad Prooemium Raymvndi Martini *Pugionis fidei* p. 140. e. g. Geneſis continet duodecim *Paraſchas*, ſed quadraginta tres *Sedarim* &c.

§. XV.

Ad *Haptharas* ſive *Sectiones Propheticas* quod attinet, illæ haud minus inſtitutionis admodum antiquæ eſſe colliguntur ex Act. 13, 15. 27. neque tamen eiusdem antiquitatis eſſe videntur cum *Paraſchis*. Elias *Levita* in *Thisbi* ad voc. פטר *Haptharas* primum introductas tempore Antiochi Epiphanis, quo Judæis lectionem Legis interdicente, loco *Paraſcharum* certa quædam penſa ex Prophetis tam *prioribus*, quam *poſterioribus*, eiusdem fere cum *Paraſchis* argumenti, ſelecta publiceque prælecta, deinde vero una cum *Paraſchis* aſſervata eſſe, tradit. Vix autem credibile eſt, Antiochum Judæis ſolius Pentateuchi interdixiſſe lectionem, conf. Vitringa l. c. p. 1008. & I. F. Bvddevs in *Hiſtor. Eccleſ. V. T.* P. II. p. 989. ſeq. Cæterum Haphtararum לוח i. e. *tabulam* quandam ſive *indicem*, plurimæ Bibliorum Hebr. editiones exhibent. *Partitio* illa Codicis Hebr. V. T. in *Paraſchas* & *Haphtaras* earumque prælectio publica procul dubio Chriſtianis anſam dedit, etiam ex N. T. eiusmodi penſa quædam in ſingulos dies dominicos eligendi: *Evangelia* nimirum *dominicalia*, ut vulgo vocantur, ad *Paraſcharum*, *Epiſtolas* autem *dominicales* ad *Haphtararum* exemplum. Conf. Vitringa l. c.

§. XVI.

Partitio librorum Biblicorum *particularis*, Judæis cum Chriſtianis *communis*, eſt diſtinctio in *Capita*, Hebr.

פְּרָקִים, & *Verſus*, Hebr. פְּסוּקִים. Diſtinctionem in *Capita* Iudæi ſequioribus temporibus a Chriſtianis mutuo acceperunt, quos inter primus illa uſus eſt R. MORDECHAI NATHAN; quamvis de eius auctore non ſatis conſtet. Conf. BVXTORFFII Præfat. ad *Concordant. Hebr.* IOH. MORINI *Exercitat. Bibl.* p. 487. ſeq. & *Introductio* noſtra *in linguam Græc.* Sect. XI. §. 23. & 24. Aliter ſe habet diſtinctio S. Codicis Hebr. in *Verſus*, quæ eiusdem antiquitatis eſt cum Accentibus: ſiquidem ſingulorum verſiculorum finis per Accentum *Silluk* & duo puncta, *Soph Paſuk* dicta, indicatur. Quicunque igitur authentiam & antiquitatem Accentuum propugnant, etiam diſtinctionem illam in *Verſus* ipſis ſcriptoribus ſacris vindicant; quod vero alii, Accentuum originem divinam impugnantes, negant, ut MORINVS l. c. Exercitat. XVII. c. 1. RICH. SIMON in *Hiſtor. Crit. V. T.* L. I. c. 28. CLERICVS in *Arte Crit.* P. III. c. 10. §. 24. & in Diſſertat. de *interpretatione S. S.* §. 8. HERM. HARDTIVS in *Program.* prælectionibus in Aben-Eſram præmiſſo, &c. quos CARPZOVIVS in *Critica S. V. T.* p. 156. ſeq. confutatos dedit. Iudæi, quos & Chriſtiani nonnulli ſequuntur, diviſionem illam in *Verſus* Eſræ reliquisque *Synagogæ M.* membris tribuunt. Plura de Textus S. V. T. *Partitionibus* habent LAVR. FABRICIVS de *Partit. Codicis Hebr.* FRISCHMVTH in Diſſertat. de *Scripturæ in Legem, Prophetas & Hagiographa diſtinctione*, HOTTINGERVS in *Theſauro Philolog.* p. 217. ſeq. LEVSDENIVS in *Philologo Hebr.* Diſſert. II. III. IV. PFEIFFERVS in *Critica S.* p. 14. ſeq. BARTOLOCCIVS in *Biblioth. Rabbin.* T. II. p. 593. ſeq. BVXTORFFIVS in *Tiberiad.* p. 99. ſeq. PETR. GVARINVS in *Grammat. Hebr.* T. II. p. 438. ſeq. CARPZOVIVS l. c. p. 132. ſeq. WOLFFIVS in *Biblioth.*

blioth. Hebr. Vol. II. p. 40. ſeq. & Vol. IV. p. 12. A. E. MIRVS in Diſſert. de *utriusque Fœderis diviſione in Capita & Verſus*, & in Diſſert. de *Sectionibus Hebræorum Legalibus & Propheticis*, DAN. LVNDIVS in Diſſert. de *Paraſchis & Haphtaris*, I. H. OPITIVS in Diſſert. de *Sectionibus Pentateuchi minoribus apertis & clauſis*, IOH. CRAVSIVS in Diſſert. de *Paraſchis*, IOH. REINHARDVS in Diſſert. I. & II. de *Haphtaris*, &c.

CAPVT III.

DE MASORA SIVE CRITICA HEBRAEORVM CIRCA TEXTVM HEBR. V. T.

§. XVII.

Supra paſſim *Maſoræ* & *Maſoretharum* mentionem iniecimus: quare iam paucis quoque de *Maſora* diſſeremus, & quidem 1) de *nomine*, 2) *origine*, 3) *fatis*, 4) *obiecto*, 5) *forma* ac *conditione*, & 6) de *uſu* illius. *Nomen* eius eſt מְסוֹרָה vel etiam מְסוֹרֶת, ut vulgo punctatur, ſed invita analogia Grammatica; niſi ſubſit contractio quædam ex מַאֲסוֹרָה & מַאֲסוֹרֶת, a *Rad.* אסר *ligavit:* quomodo nomen hoc *vinculum* notat ſive *clauſtrum*, coll. Ezech. 20, 37. quia *Maſora* Textum Hebr. quaſi *colligavit* & conſervavit, ne quid excideret: unde eadem a Iudæis סְיָג לַתּוֹרָה, *ſepimentum Legis*, vocatur. Quia vero *nomen*

men Maſoræ vulgo derivatur a מסר *tradidit*, rectius ſic legeretur מַסּוֹרָה & מַסּוֹרֶת, cum *Dageſch Forti.* Iuxta hanc itaque derivationem *Maſora* nihil aliud eſt, quam *Traditio* obſervationum *Criticarum*, ſive doctrina *Critica* circa Textum Hebr. a ſapientibus Hebræorum tradita. Talmudici aliique Iudæi quidam *Maſoram* eſſe *traditionem Moſis ex monte Sinai* abſurde dictitant. Tempore enim Moſis nihil quicquam librorum ſacrorum exſtitit, præter Pentateuchum, circa quem vero, vivente Moſe, eiusmodi *Critica* ſuperflua fuit; quamvis HOTTINGERVS in *Theſauro Philolog.* p. 397. & SENNERTVS in Biga *Diſſertationum Theolog. Philolog.* ſententiæ illi ſubſcribant. Alii *Maſoræ* ætatem iuſto recentiorem faciunt, eam tribuentes doctoribus Iudæorum, qui ſeculo poſt Chriſtum natum quinto vel ſexto in Academia Tiberienſi floruerunt, ut IOH. MORINVS in *Exercitat. Bibl.* XII. & ſeq. LVD. CAPPELLVS in *Critica S.* WALTONVS in *Prolegom.* VIII. ad *Bibl. Polygl.* &c. quod tamen vel ideo eſſe nequit, quia Talmudici, doctoribus Tiberienſibus antiquiores, *Maſoræ* iam mentionem faciunt. Reſtat ergo plurimorum tam Iudæorum, quam Chriſtianorum ſententia, eaque longe probabilior: Eſram cum *Synagogæ M.* membris primum *Maſoræ* initium tum feciſſe, cum libros V. T. revidit atque recenſuit; eorum exemplum alios tam ante, quam poſt Chriſtum natum ſecutos, סוֹפְרִים exinde dictos; doctores denique Tiberienſes, quos hinc *Maſorethas* vocarunt, ultimam manum *Maſoræ* admoviſſe, & quicquid maiores ipſorum circa Textum Hebr. annotaverant, collegiſſe inque ordinem redegiſſe. Quanquam etiam Iudæi recentiores in Bibliorum Hebr. codicibus mſcr. novas annotationes Textui S. ſubinde adiecerunt: quos inter

inter præſertim nominantur duo Rabbini, BEN ASCHER & BEN NAPHTHALI, de quibus ſupra §. 10.

§. XVIII.

Suas itaque *Maſora viciſſitudines* atque *fata* experta eſt, neque eadem eius facies ſemper fuit, quam hodienum habet. Initio enim non ipſi Textui S. adſcripta fuit, ſed ſeorſim atque prolixiſſime deſcripta. Cum vero in legendis Bibliis opus adeo prolixum ſeorſim evolvere ſummæ eſſet moleſtiæ, primum quidem maxime neceſſaria ex *Maſora* brevibus quibusdam ſcribendi compendiis, quæ *Abbreviaturæ* vulgo vocantur, margini Textus Hebr. adſcribi cœperunt: unde *Maſora Parva* enata eſt. Quia autem *Maſoræ* abbreviatio illa obſcurior nec ſufficiens videbatur, alia quædam epitome paulo plenior Textui Hebr. adiecta fuit: quæ hodie *Maſora Magna* dici ſolet. Tandem reliqua quoque, quibus iuxta vel infra Textum S. ſpatium non ſuppetebat, ad finem Codicis S. ſeorſim addita ſunt: quæ *Maſoram Finalem* conſtituunt. Sic vero *Maſoræ* corpus, ut nemo non intelligit, miſere dilaceratum eſt atque mutilatum; ut taceamus librariorum inſcitiam ac negligentiam, quæ & ipſa Maſoræ haud paucas corruptelas intulit. Iſtis *Maſoræ* nævis mederi primus inter Chriſtianos ſtuduit DAN. BOMBERGIVS, eruditus apud Venetos typographus, magnis ſumtibus conducto Judæo quodam Tunetenſi, R. JACOB BEN CHAJIM, ad *Maſoram* iuxta complures codices mſcr. conferendam, emendandam atque in ordinem redigendam: quod & Judæus ille incredibili labore proque virili præſtitit, unde deinde BOMBERGIVS *Maſoram* ſecundæ ſuæ Bibliorum *Rabbinicorum* editioni addidit, ſicque primus publici iuris fecit. Quia vero illa

Maſoræ editio ipſa quoque plurimis nævis laborabat, Ioh. Bvxtorffivs, pater, opus aggreſſus, *Maſoram* ulterius emendavit ſuæque Bibliorum *Rabbinicorum* editioni inſeruit. Neque tamen hæc ipſa *Maſoræ* editio omne tulit punctum, ut notant Dan. Ern. Jablonski in Præfat. ad *Biblia Hebr.* §. 31. ſeq. I. H. Michaelis in Præfat. ad *Bibl. Hebr.* p. 18. ſeq. aliique. Nævos iſtos nec in Bibliis *Rabbinicis* Amſtelodamenſibus, quorum ſupra §. 6. mentionem fecimus, ſublatos eſſe, monet Celeb. P. T. Carpovivs in *Animadverſionibus Philolog. Crit.* p. 2. & 7. Fuerunt equidem, qui *Maſoræ* magis adhuc reſtaurandæ operam dederunt, ut Henr. Opitivs & I. H. Michaelis hinc inde in ſuis Bibliorum Hebr. editionibus; Opitivs inſuper ſpem nobis fecit, *Maſoram* auctiorem, emendatiorem ordineque Alphabetico digeſtam edendi: quod idem promiſſum etiam filius eius P. F. Opitivs iteravit quidem, ſed non magis implevit, quam I. G. Abicht, novas *Maſoræ* correctiones ſimulque verſionem pollicitus Latinam.

§. XIX.

Obiectum, quo *Maſoræ* auctores occupati fuerunt, ſunt *Verſus*, *Voces*, *Litteræ* atque *Puncta* Textus S. Hebr. Circa *Verſus Maſorethæ* ita verſati ſunt, ut 1) eos numeraverint, e. g. ad finem Geneſeos annotant, librum hunc complecti *Verſus* 1534, mediumque eius verſiculum eſſe c. 27, 40. & ſic quoque in reliquis libris Biblicis, in quibus illi in univerſum numerant *Verſus* 23206. 2) ut obſervaverint, qui *Verſus* ſingulare quid contineant, e. g. in Pentateucho duos eſſe *Verſus*, quorum ſingulæ voces in ם definunt, Gen. 32, 15. Num. 29, 33. tres *Verſus* eſſe, qui ſinguli octoginta conſtant litteris, vid. *Maſora*

Maſora ad Num. 36, 8. quatuordecim eſſe *Verſus*, qui tribus tantum vocibus abſolvuntur, vid. Exod. 28, 13. viginti ſex *Verſus* omnes Alphabeti litteras complecti, vid. Ezech. 38, 13, ex iisque unum, in quo ſingulæ Litteræ *Finales* occurrunt, Zeph. 3, 8. 3) Ut ſenſum *Verſuum ellipticum* annotaverint, ne quis aliquid ex Textu S. excidiſſe putet. Huc pertinent פִּסְקָא ſic dictum, עִטּוּר סוֹפְרִים & תִּקּוּן סוֹפְרִים. De *Piska* dictum eſt Sect. II. §. 50. ex inſtituto quoque de illo agit IOH. MEYERVS in peculiari quadam *Diſſertatione*. *Ittur Sopherim*, i. e. *ablatio Scribarum*, in quinque locis occurrit, Gen. 18, 5. c. 24, 55. Num. 12, 14. Pſ. 36, 7. Pſ. 68, 26. Ibi enim *Maſorethæ* monent, *Scribas*, h. e. Eſram eiusque Collegas, *Præfixum Vau* abſtuliſſe, ſive annotaſſe, *Vau* illud non pertinere ad Textum S. conf. I. G. WERCHAV in Diſſertat. de *Ittur Sopherim*. *Tikkun Sopherim*, i. e. *ordinatio* ſive *correctio Scribarum*, in octodecim locis occurrit, ut Gen. 18, 22. Num. 11, 15. &c. ubi *Scribæ* ordinarunt, ſic & non aliter legendum eſſe, quamvis aliquid mendoſi ſubeſſe videretur; cf. LAVR. FABRICIVS de *Partitit. Codicis Hebr.* c. 3. HOTTINGERVS in *Theſauro Philolog.* p. 424. ſeq. DAN. CRAMERVS in *Iudicio Academico*, IOH. MEYERVS in Diſſertat. de *vero ſenſu Tikkun Sopherim*, I. E. BORNITIVS in Diſſertat. de *Tikkun Sopherim*, HACKSPANIVS ad *Nizzachon Lipmanni* p. 325. ſeq. I. P. LENZIVS in Diſſertat. de *notis Maſorethicis*, *Piska*, *Tikkun & Ittur Sopherim*, &c. Qui Textum S. corruptionis arguunt, inter alia ad *Piska*, *Tikkun* & *Ittur Sopherim* provocant, vid. WOLFFII *Biblioth. Hebr.* Vol. II. p. 22. ſeq. & Vol. IV. p. 5. ſeq. Impietatis proinde illam *Scribarum* vel *Maſoretharum Criticam* incuſat, Verbique

que divini integritati adverſari oſtendit CHR. HAVEMANNVS in *Symbolis litterariis Bremens.* T. III. P. III. p. 489. ſeq.

§. XX.

Circa *Voces Maſorethæ* annotant 1) earum *numerum*, ſive quot vicibus vox quædam in S. Codice occurrat, ut לראשׁי Jon. 2, 5. quater ſic occurrit; 2) *locum*, ut והארץ Gen. 1, 2. octies ab initio Verſus ſic legitur; 3) *conſtructionem*, ut אמר novies cum אל אלהים (*ad Deum*) conſtruitur; 4) *ſignificationes*, quoties illæ dubiæ videntur, e. g. ad כארי Pſ. 22, 17. *Maſora* notat, hanc vocem bis hac *Forma* occurrere, ſed diverſo *ſignificatu:* alter locus eſt Jeſ. 38, 13. 5) *imperfectiones* vel *perfectiones*, ut quot vicibus vox quædam *defective* ſive absque Litteris *Quieſcentibus* ſcribatur: quales voces *Maſorethæ* חֲסֵרִים vocant; & contra quot locis vocabulum aliquod *perfecte* ſcriptum legatur: qualia vocabula illis dicuntur מְלֵאִים, vid. Gen. 2, 7. 5) *Variantes Lectiones*, unde enatum eſt *Kri* & *Kethibh*, de quo præced. Cap. I. Huc quoque pertinent voces, quas *Maſorethæ* vocant סְבִירִין, q. d. *coniectanea*, *putativa*, (a סבר Chald. *putavit*,) i. e. tales, quæ iuxta analogiam & contextum ſermonis aliter legendæ videntur, e. g. Gen. 19, 23. legitur השמש יצא (cum Verbo *maſc.*) ubi putari poterat, legendum eſſe יצאה in *fœm.* unde *Maſora Parva* addidit: ג׳ סבירין יצאה, *tria putantur legi debere* יצאה. Porro *Maſorethæ* quoque circa *Litteras* occupati ſunt. Nam 1) eas numerarunt, ſimulque annotarunt, quod vicibus ſingulæ *Litteræ* in Codice S. occurrant: qua de re Carmen quoddam Hebr. cuius auctor putatur eſſe RAF SAADIA GAON, exſtat apud BVXTORFFIVM in *Tiberiad.*

beriad. p. 171. ſeq. Sic e. g. א 42377, ב 38218 vicibus legitur, &c. computatis autem ſingulis, iuxta SCHICKARDI calculum, 815280 *Litteræ* in Textu Hebr. V. T. numerantur; ubi tamen SCHICKARDVS, ſummam illam iuſto minorem, & forſitan *Litteras* totius Pentateuchi non eſſe annumeratas, monet. 2) *Maſorethæ Litteras* figuræ *inſolitæ* notarunt: ut ſunt *Litteræ maiuſculæ, minuſculæ, inverſæ, ſuſpenſæ, punctatæ* &c. de quibus conf. ſupra Sect. II. §. 16. & 50. Circa *Puncta* & quidem *Vocalia* iidem obſervarunt voces, irregularibus *Punctis Vocalibus* inſtructas, *Puncta* ſine Litteris, & contra Litteras ſine *Punctis* in Textu S. exſtantes &c. Et ſic quoque ſingulares *Accentuum* anomalias non prætermiſerunt.

§. XXI.

Forma atque *conditio Maſoræ* partim eius *diſpoſitionem*, de qua dictum §. 18. partim eius *Dialectum* ac *ſtylum* concernit. Eſt autem *Maſoræ Dialectus* maximam partem *Chaldaica*; *ſtylus* autem difficillimus ſummeque intricatus: cui ELIAS *Levita in Maſoreth Hammaſoreth*, voces phraſesque *Maſoretharum* explicando, mederi voluit. Quia vero ipſe ELIAS ſubinde obſcuritate laborat, ideo BVXTORFFIVS in *Clave Maſoræ* ſive *Tiberiadis* P. II. univerſæ rei *Maſorethicæ* uberius illuſtrandæ operam ſuam impendit. Haud parum inſuper *Maſoræ* lectionem difficilem reddit *abbreviaturarum* ac *numerorum* copia. Denique quoque *Maſoræ uſum* paucis attingemus. Præcipuus *Maſoræ uſus* eſt integritatis S. Codicis conſervatio. Quanquam enim *Maſorethæ* poſteriores ſcopum illum fortaſſis ſibi præfixum non habuerunt, ſed vel ex curioſitate & ſuperſtitione, vel ex gloriæ cupidine ſtuper dum illum laborem obierunt; ſummi tamen numinis providen-

tia accidit, ut ſcopus modo dictus ſic obtineretur. Non deſunt quidem, qui de illo *Maſoretharum* labore ſatis abiecte ſentiunt; ii potiſſimum, qui vel Codicis S. integritatem impugnant, vel *Puncta* Hebraica pro invento recentiori habent: qua de re vid. quæ diſſerunt WOLFFIVS in *Biblioth. Hebr.* Vol. II. p. 532. & Vol. IV. p. 226. & CARPZOVIVS in *Critica S. V. T.* p. 305. ſeq. De *Maſoræ uſu* in *controverſiis* agit HACKSPANIVS in *Miſcell. S.* L. II. c. 6. (cc) De *Maſora* vero plura ſuppeditant auctores illi, quorum catalogum exhibent idem WOLFFIVS l. c. Vol. II. p. 534. ſeq. & Vol. IV. p. 226. ſeq. & CRENIVS in *Notis* ad HACKSPANII *Miſcellanea S.* modo laudata p. 209. quibus addi poſſunt ZELTNERVS in *Enneade Quæſtionum Philolog.* quæſt. 9. RAMBACHIVS in *Hermeneutica S.* L. III. c. 1. §. 10. Celeb. WÆHNERVS in *Antiquit. Hebr.* Vol. I. p. 93. ſeq. &c.

(cc) Exſtant illa in CRENII *Theſauro librorum Philolog.* Vol. II.

APPEN-

Digitized by Google

APPENDIX
DE
LINGVA CHALDAICA.

Appendix
de
LINGVA CHALDAICA.

§. I.

Cum non ſolum multæ anomaliæ, ex lingua *Chaldaica* aſſumtæ, ſed integræ quoque pericopæ, *Chaldaice* ſcriptæ, in Textu S. V. T. occurrant, adeoque linguæ illius cognitio iuventuti Philologiæ S. ſtudioſæ perquam utilis ſit atque neceſſaria: appendicis loco quædam de lingua *Chaldaica* hic ſubiicere, operæ omnino pretium fuerit. Sic itaque in argumento illo verſabimur, ut 1) linguam *Chaldaicam*, in ſe ſpectatam, conſideremus; 2) quænam ſint pericopæ illæ, lingua *Chald.* conſignatæ, quidque cauſæ ſit, cur non ſolum integra tmemata, ſed quoque complures alii *Chaldaiſmi* in Codice S. V. T. offendantur? indicemus; 3) pauca quædam de *Targumim* ſive *Paraphraſibus* V. T. *Chaldaicis* tradamus, & denique 4) *ſubſidia*, ad linguæ illius intelligentiam neceſſaria, in medium proferamus. Ad linguam *Chaldaicam*, in ſe ſpectatam, quod attinet, eius 1) variæ *appellationes*, 2) *origo*, 3) *Dialecti*, 4) *natura* ac *proprietates* conſiderandæ nobis veniunt. Præcipua eaque vulgatiſſima huius linguæ I.) appellatio eſt, qua *Chaldæa* ſive *Chaldaica* vocatur, Hebr. לְשׁוֹן כַּשְׂדִּים Dan. 1, 4. a *Chaldæis* ſive incolis regionis *Chaldæa*, quorum lingua olim fuit vernacula. *Chaldæi* illi Hebr. vocantur כַּשְׂדִּים Gen. 11, 28. 31. &c. vel כַּשְׂדִּיִּים ſec. Kethibh Ezech. 23, 14. 2 Chr. 36, 17. Nomine *Patronymico*

ſive

ſive *Gentili* procul dubio a כֶּשֶׂד, filio Nachoris, Gen. 22, 22. Interpretes vero LXX aliique Græci vocem כַּשְׂדִּים, vel, cum terminatione *Chaldaica Emphatica*, כַּשְׂדָּיֵא, (iuxta *Kethibh* Dan. 2, 10. c. 4. 4. &c.) mutarunt in Χαλδαῖοι, poſito λ pro Hebr. שׁ. Quia vero alioquin plane inſolita eſt eiusmodi litterarum L & S permutatio, hinc Nic. Fullervs in *Miſcell. S.* L. III. c. 14. nomen τῶν Χαλδαίων, illorum ſaltem, qui Aſiæ Minori proximi fuerunt, deducit a חלד Syr. *ſuffodit, effodit*, eo quod primi fuerint metallorum *effoſſores:* cuius ſententiam quoque Bochartvs ſequitur in *Hieroz.* P. I. L. III. c. 35. Cæterum obſervandum hic eſt, tam ipſos Æthiopes, quam alios quosdam, veteri errore, linguam *Æthiopicam* vocaſſe *Chaldaicam:* qua de re pluribus conf. Waltonvs ad *Biblia Polygl. Prolegom.* XV. §. 6. Wormivs de *corruptis Antiquitatibus Hebr.* L. II. c. 7. Jobvs Lvdolfvs in Commentario ad *Hiſtoriam Æthiop.* p. 201. & in Diſſert. de *lingua Æthiop.* eius Grammaticæ *Æthiop.* præmiſſa, &c.

§. II.

Dicitur porro hæc lingua II.) *Babylonica:* quia & *Chaldæa* pars fuit *Babyloniæ*, & lingua illa in aula Regum *Babyloniæ* quondam uſu obtinuit, ceu videre eſt ex Daniele & Eſra. III.) *Aramæa:* ut Dan. 2, 4. magi *Chaldæi* Regem Nebucadnezarem allocuti leguntur אֲרָמִית, *Aramice*. Cui appellationi *Synecdoche* quædam *Generis* pro *Specie* ſubeſt. Lingua enim *Aramæa* diverſas quasdam Dialectos comprehendit, *Chaldaicam* ſcilicet, *Syriacam* & *Aſſyriacam*. Hinc 2 Reg. 18, 26. miniſtri Regis Hiskiæ Rabſaken, *Aſſyrium*, ut ſecum אֲרָמִית, *Aramice*, ſermones miſceret, rogaſſe dicuntur; & Laban, *Aramæus* ſive *Syrus*, *acervum lapidum* vocavit יְגַר שָׂהֲדוּתָא Gen. 31, 47. quod utrumque tamen voca-

bulum mere eſt *Chaldaicum.* Cur vero lingua *Aramæa* plures Dialectos comprehenderit, exinde derivandum eſt, quod ipſa regio *Aram* longe lateque extenderetur, omnes quippe terras, a Palæſtina inde & mari mediterraneo ad Euphratem usque & ulterius trans Tigrim ſitas, complexa: unde in S. Scriptura complurium regionum mentio fit, quibus nomen *Aram* adhæſit, ut *Aram Neharajim*, Græcis & Latinis *Meſopotamia*, *Aram Paddan*, *Aram Zoba*, *Aram Beth Rebob*, *Aram Maacha*, *Aram Dammeſek* ſive *Damaſci*; conf. BOCHARTI *Phaleg* L. II. c. 6. Judæi IV.) linguam *Chald.* vocant *Transeuphratenſem*, ut eam diſtinguant a priſtina ipſorum lingua *ſancta*, conf. LIGTFOOTI *Horæ Hebr.* ad Ioh. 5, 2. Denique V.) hanc linguam quoque appellant *Targumicam:* quia *Targumim* ſive *Paraphraſes* V. T. *Chaldaicæ* illa conſcriptæ ſunt, ut deinceps pluribus dicetur. A vulgari vero ſententia illa, *Chaldaicam, Babylonicam, Aramæam* & *Targumicam* eandem eſſe linguam, abeunt VAL. ERN. LOESCHERVS de *Cauſis linguæ Hebr.* L. I. c. 4. & Celeb. I. A. M. NAGELIVS in Diſſert. de *lingua Aramæa*, & in Diſſert. de *lingua adſcita hominum orbis Babylonici.* LOESCHERVS quidem antiquiſſimam *Chaldæorum* linguam ab *Aramæa*, ut & ab illa, quæ in Daniele atque Eſra & in *Targumim* ſuperſtes manſit, plane diverſam eſſe contendit: eo quod Nomina veterum *Chaldæorum Propria* non ex lingua, *Chaldaica* vulgo dicta, ſed ex *Arabica* commodius explicari poſſint. NAGELIVS autem, *Babylonicam* ſive *Chaldaicam* cum *Aramæa* nihil habere cognationis, ſed potius cum *Perſica; Aramæam* autem, tanquam linguam peregrinam, in *Babyloniam* Regumque *Babyloniæ* aulam introductam eſſe, aſſerit: in cuius utriusque ſententiæ vel veritatem vel falſitatem quo minus hic ulterius inquiramus, obſtat opuſculi noſtri brevitas.

§. III.

§. III.

Lingua itaque *Chaldaica*, qualis in Daniele, Eſra & *Targumim* habetur, procul dubio ortum ducit ab Hebraica, quacum omnium maximam habet affinitatem. Pleræque eius *Radices* mere ſunt *Hebraicæ*, multa item vocabula pure *Hebraica;* in aliis ſaltem una atque altera Littera cognata vel *Puncta* permutantur, vel quædam adduntur &c. conf. CELLARII *Chaldaiſmus* p. 65. ſeq. Vnde nonnulli linguam *Chaldaicam* Hebraicæ *Dialectum* dicunt; ſed perperam, ut PFEIFFERVS in *Critica S.* c. 3. ſect. 2. quæſt. 6. oſtendit. Ut vero omnes linguæ obnoxiæ ſunt viciſſitudinibus: ſic quoque *Chaldaica* paulatim mutata eſt & in aliquot *Dialectos* diviſa. Hinc vulgo dividi ſolet in *puram* & *impuram.* Lingua *Chald. pura* eſt, qualis in Daniele & Eſra legitur. *Impura* vero vel *minus* vel *magis* talis eſt. Lingua *Chald. minus impura* dicitur, ut in ONKELOSI *Paraphraſi* Pentateuchi occurrit, ad *Chaldaiſmum Biblicum* proxime accedens. *Chaldaiſmo* illi *minus impuro* ſuppar eſt *Targum* JONATHANIS in *Prophetas.* Lingua *Chald. magis impura* partim in reliquis *Targumim*, partim in *Talmude*, multis vocibus peregrinis, ut Hebraicis, Syriacis, Arabicis, Perſicis, Græcis, Latinis &c. mixta, reperitur. Sunt, qui *Chaldaiſmum* illum, qualis in *Targum Hieroſolymitano* & in *Talmude Hieroſolymitano* exſtat, *Dialectum* vocant *Hieroſolymitanam*, tempore Chriſti Judæis & ipſi adeo Servatori vernaculam; conf. IOH. REISKII Diſſ. de *lingua vernacula Chriſti*, & IOACHIMI KLÆDEN Diſſert. de *lingua Jeſu Chriſti vernacula.* In N. T. hæc *Dialectus* vocatur *Hebræa*, quia *Hebræorum* tum temporis fuit vernacula, conf. ſupra Sect. I. §. 20.

§. IV.

De linguæ *Chaldaicæ natura* atque *indole* ſiquis quærat, eam I) merito dicimus *antiquam:* qua *antiquitate*

tate vel cum Hebraica certare poteſt. Conſtat enim, linguam *Chaldaicam* nonnullis haberi pro omnium antiquiſſima, ut I. C. MYRICÆO in Præfat. ad *Grammaticam Chaldæo-Syr.* THOM. CAMPANELLÆ de *ſenſu rerum* L. IV. c. 2. W. CAMBDENO in *Britannia* p. 204. CAMILLO BORELLO in *Apologia Hiſtorica,* G. VENETO de *Hiſtor. Sacrament.* T. I. ſect. 3. aliisque, conf. ſupra Sect. I. §. 3. quos licet BARTH. MAYERVS in *Philologia S.* P. II. & PFEIFFERVS in *Critica S.* c. 3. ſect. 2. quæſt. 1. & in *Decade Exercitat. S.* Exercit. III. aſſert. 4. recte refutaverint, negari tamen nequit, linguam *Aramæam* ſive *Chaldaicam* eſſe ex linguis, in ipſa confuſione & diſperſione Babylonica exortis: quia ex primæva Hebraica in *Aramæam* lapſus fuit facillimus, conf. Sect. I. §. 17. p. 30. & BOCHARTI *Phaleg* L. I. c. 15. Eſt porro lingua *Chaldaica* II.) *facillima.* Siquis enim Hebraiſmi notitia imbutus ſit, ille linguam *Chald.* facili negotio addidicerit: quia utriusque linguæ ſumma eſt affinitas & eædem inſuper litteræ; ſive lingua *Chaldaica*, qualis in Codice S. habetur, litteris conſignata ſit Hebraicis, ſive Judæi, miſſis litteris prioribus, *Chaldaicas* adſciverint, conf. Sect. II. §. 7. Scripturam alioquin *Chaldæorum* ab Hebraica diverſam fuiſſe, colligunt ex Dan. 1, 4. Hinc LVCAS *Brugenſis* in Tract. de *Paraphraſibus Chald.* ſcribere non dubitat: „Spatio bimeſtri *Chaldæa* & *Syriaca*, quantum „Theologo ſatis eſt, addiſci poteſt ab eo, qui Hebrai-„cæ rudimentis inſtructus eſt. Immo CHR. VIWEGIVS in *Triborio Chaldaico*, linguæ *Chaldaicæ* Analyſin ſpatio trium horarum addiſci poſſe, monſtrare ſuſtinuit.

§. V.

Eſt eadem lingua *Chaldaica* III.) *utiliſſima:* quæ *utilitas* in ipſo Textu S. in *Targumim* ſive *Paraphraſibus Chaldaicis*, in reliquis V. T. Verſionibus, in cæterarum

 lingua-

linguarum orientalium ſtudio, in Hiſtoria Eccleſiaſtica &c. deprehenditur. In ipſo Textu S. ille *Chaldaiſmi uſus* diverſimode ſeſe exſerit. Nam 1) ope eius pericopæ V. T. *Chaldaice* conſcriptæ, recte intelliguntur; 2) multæ *Radices* deperditæ, ἅπαξ λεγόμενα aliaque linguæ Hebr. vocabula obſcuriora, in lingua *Chaldaica* ſuperſunt ex eaque explicari poſſunt; 3) multæ voces Hebraicæ ſignificationem ſuam mutuantur a *Chaldaiſmo*, ut מלך in ſenſu *conſultandi*, בר pro *filio*, Pſ. 2, 12. &c. 4) plurima vocabula Hebr. ſequuntur flexionem *Chaldaicam*, ut videre eſt ex Sect. VIII. 5) In N. T. complures phraſes occurrunt, quæ ex Dialecto *Syro-Chaldaica* illuſtrari poſſe putantur, conf. *Introduct. in ling. Græc.* Sect. XI. §. 9. multæ inſuper voces ibidem exſtant, ex eadem Dialecto exponendæ: ut ἐλωΐ, γαββαθᾶ, βοανεργὲς, ταλιθὰ κοῦμι, Θαβιθὰ &c. 6) *Maſora* ſive *Maſoretharum Critica* Textus Hebr. V. T. citra linguæ *Chald.* notitiam intelligi nequit, conf. præced. Sect. XII. §. 21. Porro *Targumim* ſive *Paraphraſes* V. T. eadem lingua ſunt conſcriptæ: illæ vero *uſum* habent plane inſignem. Ex iis enim 1) multi Judæorum ritus illuſtrantur; 2) integritas Textus Hebr. confirmatur; 3) plurima loca Codicis S. obſcura lucem accipiunt; 4) Judæi, penes quos *Targumim* magnæ ſunt auctoritatis, (conf. Celeb. C. G. SPERBACHII Diſſert. de *Targumim apud Judæos auctoritate*,) refutantur, atque Meſſiæ divinitas adſtruitur. Quem varium τῶν *Targumim* uſum pluribus demonſtrarunt, quotquot de *Targumim* commentati ſunt, conf. ſeq. §. 9. ut THOM. SMITH de *Chaldaicis Paraphraſtis* c. 8. HELVICUS de *Paraphraſibus Chald.* c. 4. ſeq. PFEIFFERUS de *Targumim* c. 7. WALTONUS ad *Bibl. Polygl. Prolegom.* XII. §. 16. ſeq. BARTH. MAYERUS in *Philologia S.* P. I. p. 384. ſeq. HACKSPANIUS de *ſcriptorum Judaic. in Theologia uſu* c. 3. I. H. MICHAELIS in Diſſ. de *Targumim uſu Anti-Judaico*,

daico, CARPZOVIVS in *Critica S.* p. 477. ſeq. I. C. KLEMMIVS in Diſſert. de *uſu Targumico-Talmudico in Critica S. Hebr.* &c. conf. WOLFFII *Biblioth. Hebr.* Vol. II. p. 1185. ſeq.

§. VI.

Eſt quoque linguæ *Chald. uſus* quidam in reliquis V. T. Verſionibus, e. g. Dan. 2, 46. de Rege Nebucadnezare legitur: לְדָנִיֵּאל סְגִד, quæ verba Latinus *Vulgatus* vertit: *Danielem adoravit;* unde Pontificiorum nonnulli Sanctorum invocationem probari poſſe volunt. Sed commode illa verba explicantur: *coram Daniele adoravit*: quam ſignificationem Præfixum ל non ſolum paſſim in Hebraiſmo, ſed quoque in lingua *Chald.* habet, ut Dan. 5, 17. ubi Daniel, ſe ſcripturam lecturum eſſe, inquit, לְמַלְכָּא *coram Rege.* Quoad reliquas linguas orientales *Chaldaica uſum* ſuum præſtat in addiſcendis linguis Syriaca, Samaritana atque Rabbinica. *Chaldaiſmi* enim notitia inſtructus, in linguarum Syriacæ & Samaritanæ ſtudio, in Talmude item & Rabbinorum ſcriptis facilius progreditur. Denique & in Hiſtoria Eccleſiaſtica plurima occurrunt vocabula *Chaldaica*, librariis non intellecta eoque ſubinde miſere corrupta ac mutilata, e. g. famoſo illi hæreſiarchæ Maneti nomen prius erat Κυβρικος, i. e. *cupa vacua* ex Chald. כּוּב *cupa* ſive *vas vinarium*, & רֵיק *vacuus, inanis;* quod nomen adultior factus in aliud melioris notæ mutavit, ſe ipſum vocans *Manes*, i. e. מָאנָא Chald. *vas* ſive *inſtrumentum. Maſſiliani* hæretici nomen acceperunt a *Participio Chald.* מְצַלְּא *orans*: eo quod continuis *precibus* vacarent. Plura de linguæ *Chaldaicæ uſu* ſuppeditant BARTH. MAYERVS l. c. P. I. p. 323. ſeq. WALTONVS l. c. *Prolegom.* XI. §. 2. & 3. PFEIFFE-

rvs in *Critica S.* c. 10. ſect. 2. quæſt. 2. I. B. Baumbachivs de *linguarum Hebr. Chald. & Syr. antiquitate, neceſſitate & utilitate*, I. B. Hahn in *Decade Obſervat. Philolog.* Obſ. I. Cellarivs in *Chaldaiſmo* p. 72. ſeq. Car. Schaafivs in Præfat. ad *Opus Aramæum*, &c. Exinde vero facile liquet, linguam *Chald.* IV.) Theologis atque Philologis ſumme eſſe *neceſſariam.* Cauſæ enim illæ, quæ linguæ Hebr. *neceſſitatem* urgent, etiam de *Chaldaica* valent; conf. Sect. I. §. 12. Oratores ſacri & volunt & debent eſſe Dei legati: quam turpe vero foret legato, neſcire Principis ſui linguam! Confer, ſi placet, quæ hanc in rem graviter diſſerit Danzivs in Præfat. *Manuductionis ad Analyſin Hebr.* & ex eo I. B. Hahn l. c. p. 2. & 3. Neque tamen linguarum *Chaldaicæ* & *Syriacæ* notitiam, utut neceſſariam, facere Theologum, contra Anonymum quendam pluribus aſſeruit G. A. Sybelivs in Diſſert. de *linguarum Chald. & Syr. notitia e multis Eccleſiæ viris exulante*, adducto exemplo Studioſi, qui pecunia deſtitutus, nihilominus revera ſit Studioſus, & hominis, qui veſtibus nudus, tamen homo ſit atque maneat. Utrumque facile quidem concedimus; quam miſere vero ſe habeat Studioſus ſine pecunia & homo ſine veſtibus, quivis facile intellexerit. Godofr. Henselivs in *Synopſi univerſæ Philologiæ* p. 304. linguæ *Chald. proprietatibus* & hanc addit: quod lingua *mollis*, *fœminea* atque *delicatula* dici queat; neque tamen aliam rationem adiicit, quam, quia ea tantopere delectetur terminatione אָ, hæc ipſa vero terminatio alias propria ſit Generi *Fœminino*.

§. VII.

Sequitur, ut, quænam particulæ & pericopæ Textus S. V. T. lingua conſcriptæ ſint *Chaldaica*, quæque eius

eius rei ſit ratio, & cur quoque plures alii *Chaldaiſmi* in Textu Hebr. occurrant? diſpiciamus. Sunt autem ex particulis ſive pericopis illis *Chaldaicis* primo duæ voces, quæ exſtant Gen. 31, 47. deinde integer verſiculus Jer. 10, 11. & denique integra Capita in Daniele a Cap. 2, 4. usque ad finem c. 7. & in Eſra a Cap. 4, 8. usque ad c. 6, 18. & porro a c. 7, 12. usque ad v. 26. Præterea multas alias voces occurrere in Textu Hebr. quæ *originem*, *ſignificationem*, *Formam* atque *flexionem Chaldaicam* ſequuntur, ſupra iam monuimus; conf. modo Pſ. CIII. CXVI. & CXXXIX. Cuius rei non alia cauſa eſt, quam partim Judæorum cum *Chaldæis* ſive *Babyloniis*, *Syris* & *Aſſyriis* commercium, partim vero ipſius argumenti ratio, qua ſcriptores ſacri inducti, verba ac ſermones ſive ipſorum *Chaldæorum*, ſive ad *Chaldæos*, propoſuerunt. Sic enim e. g. Gen. 31, 47. Moſes narrat, quo nomine Laban, *Aramæus*, *acervum lapidum*, quem Jacobus lingua Hebr. dixerat גַּלְעֵד, in propria lingua vocaverit. Jer. 10, 11. Propheta Iſraëlitis præſcribit, quæ *Chaldæis*, ad idololatriam ipſos ſollicitaturis, regerere debeant. Daniel prophetiam ſuam in captivitate *Babylonica*, Eſra autem librum ſuum exeunte captivitate illa conſcripſit, quo tempore Judæis cum *Babyloniis* ſive *Chaldæis* multum erat commercii. Cf. I. F. HIRT de *Chaldaiſmo Biblico*, & STENGELSTRVPIVS in Diſſert. de *Chaldaiſmis ſacris Textus Biblici*. Pericopas illas Textus S. *Chaldaicas* excipiunt *Targumim*, ut vulgo vocantur, ſive *Paraphraſes* V. T. *Chaldaicæ*. Vocabulum תַּרְגּוּם in genere notat *interpretationem*, a *Rad. quadrilitt.* תִּרְגֵּם *interpretatus eſt*, *tranſtulit ex una lingua in aliam*: unde תַּרְגְּמָן & מְתוּרְגְּמָן *interpres*, Turcis *Terdſchiman*, Gallis *Truchement*. In ſpecie vero nomen τῶν *Targumim* tribuitur

 Verſio-

Verſionibus V. T. *Chaldaicis*, quas vulgo *Paraphraſes* dicunt: quia non ſemper verbis Textus Hebr. ſtricte inhærent, ſed ſæpius eundem liberius circumſcribunt & uberius explicant.

§. VIII.

De *uſu Targumim* ſive *Paraphraſium Chald.* dictum eſt præced. §. 5. iam quoque de earundem *origine* ac *ſcopo*, *numero*, *auctoribus* & *conditione* quædam in medium proferemus. Judæorum nonnulli, ut alia multa, ita & *Targumim*, *traditionem Moſis* eſſe *ex monte Sinai* perhibent; alii vero iam in captivitate Babylonica eiusmodi *Paraphraſium* initium factum eſſe volunt, idque ex Neh. 8, 8. colligunt: quos & multi ex Chriſtianis ſequuntur. Cauſam vero eius rei fuiſſe putant, quod Judæi, in captivitate Babylonica Hebraicæ vernaculæ obliti, Textum S. Hebr. non ſatis intelligerent; ſed vid. Sect. I. §. 19. Rectius earundem initium aliquamdiu a captivitate illa factum eſſe aſſeritur; quamvis tempus accurate definiri nequeat. Qua ratione Judæi iam in captivitate Babylonica linguæ *Chaldaicæ* aſſueverint, & dehinc ſucceſſu temporis vernaculam Hebraicam cum aliis linguis miſcuerint, tandemque in Dialectum, vulgo *Hieroſolymitanam* dictam, depravaverint, ſupra Sect. I. §. 20. monſtravimus. His acceſſit plebis Judaicæ ignorantia, in cuius proinde gratiam *Paraphraſes* illas *Chaldaicas* confici neceſſe omnino fuit, cf. pluribus Wolffii *Biblioth. Hebr.* Vol. II. L. VI. c. 1. & Carpzovii *Critica S. V. T.* p. 431. ſeq. Sunt autem *Targumim* illa eiusdem nec ætatis nec auctoris. *Paraphraſtes* omnium celeberrimus eſt Onkelos, proſelytus Judæus, qui tempore Chriſti vel paulo antea vixit. Judæi in Talmude Onkelosi cuiusdam, cognomine *Kalonymos*, mentionem faciunt, qui nepos ſororis Titi Veſpaſiani

NI fuerit, quique a quibusdam cum *Paraphraſte* pro una eademque perſona habetur. Sunt quoque ex Chriſtianis, quibus ONKELOS idem eſſe videtur cum AQUILA *Pontico*, ipſo quoque proselyto & Verſionis Græcæ V. T. auctore, conf. *Introduct. in ling. Græc.* Sect. XII. §. 9. Quam parum vero utraque iſta ſententia fundata ſit, a compluribus demonſtratum eſt, quos laudat WOLFFIUS l. c. c. 2. ſect. 1. ONKELOS itaque, quisquis ille fuerit, *Paraphraſin* Pentateuchi *Chaldaicam* condidit, quam Judæi magni faciunt atque diligenter perlegunt. Textum Hebr. ſtricte & ſine ambagibus ſequitur, nec fabulas Judaicas admiſcet, poſt libros Biblicos puriſſimo uſus *Chaldaiſmo*, ut diximus §. 3. ONKELOSUM, ſi non ætate, ſaltem ordine excipit JONATHAN *Ben Vziel*, qui, teſtibus Judæis, diſcipulus fuit HILLELIS, adeoque brevi ante Chriſtum natum floruit. Huic JONATHANI duo tribuuntur *Targumim*, alterum in Pentateuchum, & alterum in Prophetas tam priores quam poſteriores. Quia vero duo iſta *Targumim* toto cœlo differunt: cum Targum Pentateuchi congeries quædam fabularum Judaicarum vocumque barbaricarum, alterum vero ſtylo conſcriptum ſit longe puriori; certe eiusdem auctoris eſſe nequeunt.

§. IX.

Præterea quoque *Targum* quoddam Pentateuchi exſtat, incerti auctoris, vulgo יְרוּשַׁלְמִי dictum, ſcriptum quippe Dialecto *Hieroſolymitana*, cuius tamen maxima pars periit; ut & alia *Targumim* in *Hagiographa* & in quinque *Megilloth*, quorum auctores ſimiliter latent. *Targum* quidem in *Hagiographa* vulgo R. JOSE ſive JOSEPHO *Coeco* cuidam tribuitur. Cæterum hoc loco obſervandum eſt, 1) in libros Bi-

blicos, ex parte *Chaldaice* ſcriptos, Danielem ſcil. & Eſram, non exſtare *Targumim;* 2) *Targum* in libros Chronicorum non dari quondam creditum, donec tandem MATTH. FRID. BECKIVS illud ex codice mſcr. Erfurtenſi an. 1680. Auguſtæ Vindelicorum, DAV. WILKINS autem ex codice mſcr. Academiæ Cantabrigienſis an. 1715. Amſtelodami luci publicæ expoſuerunt. Omnia *Targumim*, modo memorata, initio quidem *Punctis* caruerunt, quorum defectum *Matres* ſic dictæ *Lectionis* compenſarunt. Temporibus ſequioribus Punctis quidem hinc inde inſtructa ſunt, ſed analogiæ *Chaldaiſmi Biblici* parum congruis. Tandem vero IOH. BVXTORFFIVS rem aggreſſus, eadem in meliorem formam redegit. Plura de *Targumim* ſive *Paraphraſibus Chaldaicis* legere eſt apud eos, qui ex inſtituto de illis tradiderunt, magno numero excitati a WOLFFIO in *Biblioth. Hebr.* Vol. II. p. 1189. ſeq. & Vol. IV. p. 733. & a CARPZOVIO in *Critica S. V. T.* p. 430. quibus addi poſſunt C. H. ZEIBICHII Diſſ. de *Chald. Paraphraſibus*, CHR. CELLARII *Chaldaiſmus* p. 57. ſeq. &c.

§. X.

Supereſt, ut quoque *Subſidia* diſcendæ linguæ *Chaldaicæ* paucis indicemus. Sunt autem illa tum *Inſtitutiones Grammaticæ*, tum *Lexica*, tum ſcripta, quibus vocum *Chald. ſignificationes* & *Analyſis* illuſtrantur. Primus *Grammaticam Chaldaicam* conſcripſit SEB. MÜNSTERVS, quem deinde ſecuti ſunt IOH. MERCERVS in *Tabulis in Grammaticam Chaldaicam*, EMMAN. TREMELLIVS in *Grammatica Chald. & Syr.* CORN. BERTRAMVS in *Grammatica Hebr. & Aramica*, P. MARTINIVS, DAV. GRAFVNDE-

RVS

RVS & I. C. MYRICÆVS in *Grammatica Chald.* CASP. WASERVS in *Elementali Chaldaico*, GERH. HANEWINCKELIVS in *Elementis linguæ Arameæ*, MATTH. AVROGALLVS in *Compendio Grammaticæ Hebr. & Chald.* ANDR. SENNERTVS in *Chaldaiſmo & Syriaſmo*, W. JAMES in *Iſagoge in linguam Chald.* IOH. BVXTORFFIVS in *Grammatica Chald. & Syr.* THOM. ERPENIVS in *Grammatica Chaldæa ac Syra*, CHR. CRINESIVS in *Gymnaſii Chaldaici* Parte I. LVDOVICVS *de* DIEU in *Grammatica Orientali*, HILLIGERVS in *Summario linguæ Arameæ*, H. OPITIVS in *Chaldaiſmo Targumico-Rabbinico*, CAR. SCHAAFIVS in *Opere Aramæo*, IOH. LEVSDENIVS in *Synopſi Hebr. & Chald.* FRANC. HASELBAVERVS in *Fundamentis Gram. Hebr. & Chald.* VICT. BYTHNERVS in *brevi & perſpicua Inſtitutione linguæ Chald.* adiecta eius *Lyræ Propheticæ Davidis*, CHR. CELLARIVS in *Chaldaiſmo*, CHR. VIWEGIVS in *Triborio Chald.* DANZIVS in *Litteratore Hebræo - Chald.* eiusque *Compendio*, HERM. HARDTIVS in *Via in Chaldæam*, IAC. ALTINGIVS in *Synopſi Inſtitutionum Chaldæarum*, &c. E quibus præcipue BVXTORFFII, LVDOVICI *de* DIEU, OPITII, CELLARII & SCHAAFII *Grammaticas* commendamus. Qua ratione ac methodo *Lexica Chaldaica* conſtituta eſſe debeant, ABR. GIBELIVS docet de *Lexicographias Chaldææ conſtitutione.* (dd) Illorum præcipua ac notiſſima ſunt IOH. BVXTORFFII, patris, *Lexicon Chald. Talmud. & Rabbinicum*, omnium locupletiſſimum, triginta annorum opus, IOH. BVXTORFFII, filii, *Lexicon Chald. & Syr.* ELIÆ *Levitæ Lexicon Chald. Targum. Talmud. & Rabbin.* CRINESII *Gymnaſii Chald.* Pars II. GIBELII *Theſaurus*

T 5

(dd) Exſtat eius *Commentatio* in CRENII *Analectis* p. 251. ſeq.

ſaurus dictionum Hagiographicæ linguæ Chaldææ, CAR. SCHAAFII *Lexicon Chald.* adiectum eius *Operi Aramæo*. &c. Adiuncta quoque ſunt *Lexica Chaldaica* IOH. COCCEI, BVXTORFFII, OPITII, STOCKII, HASELBAVERI aliorumque *Lexicis Hebraicis*, quæ ſaltem ad *Chaldaiſmum Biblicum* ſufficere poſſunt. Ut taceamus *Lexica* linguarum orientalium *Harmonica*, Sect. I. §. 29. p. 47. memorata. Inter ſcripta denique, quibus vocum *Chald. ſignificationes* & *Analyſis* illuſtrantur, referuntur IOH. HEESERI *Prodromus Criticus* ſive *Obſervationes in omnes voces Chald. & multas Hebraicas V. T.* IOH. DRVSII liber ſingularis de *Particulis Chaldaicis*, *Syr. Talmud. & Rabbinicis*, CAR. SCHAAFII *Selecta Targumim*, inſerta eius *Operi Aramæo*, FR. SAM. ZIKLERI *Chaldaiſmus Danielis Prophetæ*, Cl. I. F. HIRTII Commentat. de *Chaldaiſmo Biblico*, &c. Ut taceamus varias variorum *Obſervationes*, hinc inde exſtantes, quibus *Chaldaiſmo* lux affunditur.

A01 1472138

AD-

ADDENDA.

Ad p. 8. Linguam *Syriacam* omnium eſſe antiquiſſimam, ex recentioribus quoque contendit IAC. SAVRIN in *Diſcurſibus Bibl.* p. 108. ſeq.

p. 12. Aſſerto noſtro, omnes *Radices* ſive *Primitiva* Hebr. *tribus* tantum abſolvi litteris, non obſtant Verba *Plurilittera:* nam hæc quoque vel ex duabus *Radicibus trilitteris* compoſita ſunt, vel ex *Radicibus trilitteris*, per geminationem unius atque alterius litteræ radicalis, aut præmiſſo ת *ſervili*, formata, coll. p. 207.

p. 13. lin. 8. poſt voc. *poſtremi* add. *V. T.*

p. 35. l. 5. poſt voc. *Dialecti* add. *uti vulgo putant.*

p. 46. §. 29. *Lexicis* Hebr. recentioribus add. FRANC. HASELBAVERI *Lexicon Hebraico-Chald.* edit. Pragæ an. 1743. in fol.

p. 51. *Grammaticis*, per quæſtiones & reſponſiones digeſtis, add. G. F. STEINWEEGII Erleichterte Bibliſch-Hebräiſche Grammatik nach der natürlichſten Lehrart und Eintheilung einer Sprache und Sprachlehre, edit. Stuttgardiæ an. 1752.

p. 53. Scriptis, quibus *Analyſis* Hebr. enodatur, add. P. T. CARPOVII Commentatio de *criteriis Nominum & Verborum linguæ Hebr. qua nova methodo ad facilius & ſolidius inſtituendam Analyſin via panditur*, edit. Lipſiæ an. 1738.

p. 75. Verba MENINSKII de pronunciatione litteræ *Ain* ſic habent: „*Ain* in profunda parte gutturis „formatur, magna faucium dilatatione, atque „innixa extremitate linguæ interius ſubtus inferio„res dentes, profertur, cum quodam gutturis „fra-

„fragore, inſtar vocis vituli matrem vocantis, „ſine narium adminiculo, qualem ſonum (addo „ego) ederet dolore preſſus aliquis, vim ſibi quan- „dam inferens ad aliquid faciendum.

p. 141. Supponit nimirum laudatus G. S. Nicolai, litteras שׁ & ת proprie geminum involvere elementum: שׁ quidem *s* & *ch* ſive Græcorum χ, ת autem *t* & *h*, quæ coniuncta, quatuor litteras conficiant.

p. 171. l. 8. poſt voc. *Nomina* add. *quæ notant.*

p. 183. ad finem §. 2. add. IV.) *Caſus Pronominum Perſonalium Obliquos exprimi per Pronomina Affixa, præpoſitis Particulis, Caſuum Obliquorum & alias indicibus*, ל, אֵת *&c. ut* לִי *mihi*, אוֹתָם *illos, &c.*

p. 187. ad finem §. 5. add. *quæ vel Separabiles ſunt vel Inſeparabiles.*

p. 194. lin. ult. poſt voc. *ſit* add. *& tertia* י *vel Jod.*

p. 207. Formantur quoque Verba *Plurilittera* adſcito ab initio ת *ſervili*, quaſi ex הִתְ Coniugationis *Hithpahel*, ut תִּרְגֵּל· תַּחֲרָה, conf. *Arcanum* noſtrum *Formar. Nom. Hebr.* p. 524. not. (s)

p. 228. ad §. 4. Litterarum *Epentheticarum* rationes haud ita pridem explicare tentavit Celeb. C. E. *de* Windheim in Diſſert. *qua Litteræ Epentheticæ Hebræorum ad rationem ſuam revocantur.*

p. 235. lin. penult. poſt voc. *Numeralia* add. *Cardinalia.*

p. 237. Duos codices mſcr. ſed mancos, Norimbergæ in bibliotheca *Ebneriana* exſtantes, deſcribit Celeb. I. A. M. Nagelius in Diſſert. de *tribus codicibus mſcr. Hebraicis.*

vorſt de Masoreth [illegible] in [illegible] P.III. p. 14.

INDEX

INDEX I.

LOCORVM BIBLICORVM.

Cap.	Verſ.	Pag.
	GENES.	
I.	*	272.
-	1.	121. 236. 272.
-	2.	174. 280.
-	3.	222.
-	7.	116.
-	11. 12.	142.
-	14.	116. 238.
-	21.	99.
-	22.	222.
-	24.	185. 227.
-	26.	198.
II.	7.	280.
-	25.	131.
III.	1.	173.
-	13.	102.
-	15.	23. 258.
IV.	4.	131.
-	7.	241.
-	8.	131.
-	23.	245.
-	26.	28.
V.	29.	125.
VI.	2. 4.	185.
-	8. 9.	272.
VII.	11.	245.
X.	21.	5.
XI.	1.	8.

XI.

Cap.	Verſ.	Pag.
XI.	28.	285.
-	29.	168.
-	31.	285.
XII.	18.	160.
XIV.	10.	160.
-	13.	4.
XVI.	14.	237.
XVII.	14.	236.
XVIII.	5.	279.
-	22.	279.
-	28.	116.
XIX.	14.	160.
-	23.	280.
-	24.	241.
XXII.	22.	286.
XXIV.	55.	279.
XXV.	7.	173.
-	25.	160.
-	34.	242.
XXIX.	20.	217.
XXX.	11.	125.
-	38.	202. 213.
XXXI.	13.	157.
-	30.	236.
-	47.	12. 286. 293.
XXXII.	15.	278.
XXXV.	22.	125. 127. 131.
XXXVII.	4.	215.
-	10.	241.
XXXIX.	20.	238.
XLI.	43. 44.	12.
-	45.	231.
-	57.	241.
XLII.	21.	215.

XLIII.

Digitized by Google

Cap.	Verſ.	Pag.
XLIII.	26.	155.
XLVII.	7. 10.	20.
XLIX.	-	14.
-	6.	120.
-	10.	124.
	EXOD.	
II.	20.	202.
IV.	31.	232.
VI.	8.	218.
IX.	18.	109.
XII.	31.	160. 242.
XIV.	11.	160.
XV.	-	80. 245.
-	1.	221.
-	6.	227.
-	9.	242.
-	17.	225.
XVI.	23.	231.
XVIII.	9.	154.
XIX.	24.	97.
XX.	-	125.
-	9.	109.
-	13.	109. 126.
-	14.	128.
XXI.	8.	238.
-	11.	97.
-	29.	238.
XXVIII.	13.	279.
	LEVIT.	
I.	2.	241.
X.	16.	131.
XI.	42.	82. 131.
XXIII.	17.	155.

NVMER.

Cap.	Verſ.	Pag.
	NVMER.	
X.	34-36.	89.
XI.	1.	89.
-	15.	279.
XII.	14.	279.
XV.	28.	109.
XXI.	1.	225.
-	30.	190.
XXIX.	33.	278.
XXXII.	42.	109.
XXXVI.	8.	279.
	DEVT.	
II.	24.	160.
IV.	41.	221.
V.	-	125. 128.
-	17.	109.
-	18.	128.
XXXII.	-	14. 80. 245.
-	5.	124.
	36.	232.
XXXIII.	-	14.
	JOS.	
I.	8. 15.	114.
VI.	13.	236.
X.	13.	247.
XIV.	8.	232.
	JUDIC.	
V.	-	80. 245.
VI.	24.	124.
XII.	6.	32.
XIII.	17.	182.
XVI.	16.	109.
XIX.	5.	157.
XX.	15. 17. 31. 32.	160.

Cap.	Verſ.	Pag.
	I. SAM.	
I.	6.	156.
II.	4.	241.
VI.	12.	160.
IX.	9.	32.
X.	24.	156. 160.
XIV.	36.	160.
XVII.	47.	218.
XVIII.	1.	138.
XX.	20.	109.
-	38.	170.
XXIV.	11.	157.
XXV.	34.	213.
	II. SAM.	
III.	30.	232.
XII.	9.	265.
XIV.	2. 3.	102.
XX.	13.	160.
XXIII.	6.	227.
	I. REG.	
I.	6.	114.
VI.	34.	61.
VIII.	1.	221.
XVII.	13.	102.
XIX.	20.	242.
XXI.	20.	215.
	II. REG.	
XI.	20.	137.
XVIII.	26.	5. 286.
XIX.	37.	137.
	JES.	
I.	-	14.
VI.	7.	218.

Cap.	Verſ.	Pag.
IX.	3.	124.
-	6.	82.
XIX.	4.	238.
-	18.	6.
XXVIII.	12.	227.
XXX.	5.	213.
XXXII.	11.	202.
XXXVIII.	13.	280.
XL.	7. 8.	125.
XLIII.	7.	28.
XLIV.	5.	28.
-	21.	215.
XLV.	18.	107.
XLVIII.	1.	28.
L.	8.	119.
LIII.	4.	178.
	JEREM.	
III.	4.	102.
VI.	6.	267.
X.	11.	293.
XXI.	7.	114.
XXII.	29.	240.
XXIX.	23.	189.
XXXVIII.	16.	137.
XLIX.	8.	196.
	EZECH.	
VIII.	6.	125. 182.
-	16.	232.
IX.	4.	70.
XVI.	7.	149.
-	31.	217.
XX.	37.	275.
XXI.	32.	240.

Cap.	Verſ.	Pag.
XXIII.	14.	285.
-	40.	102.
XXIX.	3.	215.
XXXII.	19.	196.
XXXIII.	11.	240.
XXXVIII.	12.	58.
	13.	279.
	HOS.	
X.	14.	265.
	AMOS.	
III.	6.	267.
	OBAD.	
I.	11.	157.
	JON.	
II.	-	245.
-	5.	280.
	MICH.	
I.	5.	182.
	ZEPHAN.	
III.	8.	58. 279.
-	9.	6.
	ZACH.	
IV.	7.	109.
Pſ.	Verſ.	Pag.
	PSALM.	
I.	1.	167. 241.
-	3.	130.
II.	12.	290.
III.	9.	166.
IV.	2.	156.
-	5.	116.
VII.	6.	213.
VIII.	10.	166.
IX.	16.	222.

Pſ.	Verſ.	Pag.
XVI.	1.	157.
XVIII.	31. 32.	166.
-	51.	238.
XXII.	17.	280.
XXV.	-	59.
XXX.	4.	157.
XXXIII.	4.	235.
XXXIV.	-	59.
XXXV.	10.	157.
XXXVI.	7.	279.
XXXVIII.	1.	168.
-	21.	157.
LI.	17.	147.
LX.	4.	226.
LXVIII.	26.	279.
CIII.	-	232. 293.
CIV.	-	14.
CXI.	-	59.
CXII.	-	59.
CXIII.	5. ſeq.	227.
CXV.	7. 8.	75.
CXVI.	-	232. 293.
-	6.	232.
CXX.	6.	157.
CXXII.	6.	222.
CXXXIX.	-	293.
CXLV.	-	59.

Cap.	Verſ.	Pag.
	PROVERB.	
I.	20.	238.
-	22.	226.
XIV.	7.	236.
-	10.	156.

XV.

Cap.	Verſ.	Pag.
XV.	20.	236.
XXIV.	28.	168.
XXVII.	9.	241.
XXXI.	10. ſeq.	59.

JOB.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	9.	20.
VI.	2.	265.
XVIII.	2.	232.
XXI.	5.	196.
XXIV.	21.	226.
XXXI.	22.	109.
XXXIII.	21.	98. 155.
XXXVIII.	1.	82.
XXXIX.	13.	109.
XL.	15.	238.
-	22.	106.

CANT.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	3.	106.
IV.	6.	222.
VIII.	6.	267.

RVTH.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	13.	160.
-	20.	202.

THREN.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	-	59.

ECCLES.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	5.	5.
-	13.	231.
III.	21.	190.
IV.	14.	226.
VIII.	2.	124.

Cap.	Verſ.	Pag.
	ESTHER.	
II.	5.	5.
	DAN.	
I.	4.	69. 285. 289.
II.	4.	286. 293.
-	10.	286.
-	46.	291.
III.	5.	231.
IV.	4.	286.
V.	17.	291.
	ESR.	
III.	12.	33.
IV.	7.	231.
-	8. ſeq.	293.
VII.	12.	293.
VIII.	18.	155.
	NEHEM.	
II.	13.	82.
VIII.	7.	33.
-	8.	33. 294.
XIII.	24.	33.
	I. CHRON.	
IV.	32.	60.
VI.	11.	232.
VII.	8.	30.
XXIII.	6.	215.
XXVII.	26.	74.
XXVIII.	1.	114.
	II. CHRON.	
XXXII.	18.	5.
XXXVI.	17.	285.
	II. MACCAB.	
XII.	35.	74.

MATTH.

Cap.	Verſ.	Pag.
	MATTH.	
V.	18.	69. 91.
XXVII.	9.	270.
	LVC.	
XXIV.	44.	270.
	IOH.	
VII.	35.	35.
	ACTOR.	
II.	9. 10.	35.
VII.	42.	269.
XIII.	15. 27.	273.
XV.	21.	271.
XXI.	40.	4.
XXII.	2.	4.
XXVI.	14.	4.
	I. PETR.	
I.	1.	35.
	II. PETR.	
II.	15.	75.
	APOC.	
XIX.	4.	7.

INDEX II.

RERVM NOTATV DIGNIORVM.

A.

Abbreviaturæ Hebr. pag. 277. 281

Abija primum Nomen Compoſitum cum nomine divino יָה 30

Abolitio Vocalium 161

Abſolute immutabiles Vocales longæ 161

Abſtractum pro Concreto . . 174
Academiæ Judæorum. 36-38
Accentuatio Hebr. commode ſub forma regiminis cuiusdam proponitur 116. 118. Proſaica 113. 117. 118. 125. Metrica 113. 115. 117. 118. 125. 245. gemina 125. ſeq. in Decalogo 109. 125. ſeq. eius utilitas & neceſſitas 123. 124. difficultates 21. 22. 124. ſeq. ſubſidia 129. 130
Accentus 109. ſeq. Tonici 114. 115. ſeq. quid ad Syllabam conferant? 144. 149. eorum antiquitas 109. 110. nomina 110. ſeq. figura 110. ſeq. uſus 119. ſeq. Muſicus 120. ſeq. munus 17. 119. ſeq. hoc quotuplex? 122. transpoſitiones 125. diviſio 115. ſeq. privatio 130. mutatio 175. 186. 216. 221. 222. anomaliæ a Maſorethis notantur 281. an ponantur in antepenultima? 116. 119. 120. duo immediate ſe excipientes 159. mutationes accidentales Verbis inducunt 222. Simplices 114. 115. hi geminantur 115. 116. Compoſiti 113-115. 118. 130. 156. Pauſantes ſive Diſtinctivi maiores 22. 127. 159. 222. ex ultima ad penultimam recedunt 159. Imperatores 116-119. reges ſive regii 116-119. ſervi ſive miniſtri 117-119. 123. Duces 117. 118. Comites 117. 118. Diſtinctivi 116-118. 139. Subdiſtinctivi 118. Legati 118. Vicarii 118. Coniunctivi 117. 118. Præpoſitivi 111. 115. Poſtpoſitivi 110. 115. Superni 115. 121. 122. Inferni 115. 121. 122. Superni & Inferni ſimul 115. Lateralis 115. Proſaici 113. Metrici 118. 121. Euphonicus, Metheg, 111. 114. 116. 123. hic deſideratur 123. 148. quid ad Syllabam conferat? 144. 149. eius munus 123. pro eo venit Tonicus 116. 130
Accidentalis valor litterarum Hebr. 77. ſeq. uſus earundem 86. 89
Actionis Intranſitivæ Verbum 204
Adiectivum 167. Subſtantivi naturam induit 236. Adiectiva

va abſoluta 168. relativa 168. Gentilia 168. 190. Patronymica 168. Numeralia 168
Adſpiratæ litteræ 58. 73. 83. 106. 108. 139. 140
Adverbium 181
Ægyptiacus codex mſcr. V. T. Hebr. 254
Ægyptiaca lingua ab Hebraica longius recedit 30
Ægyptiacæ voces in Textu Hebr. V. T. 12. 231
Ætatum Nomina carent ſingulari 171
Æthiopica lingua falſo vocatur Chaldaica 286
Affectiones Conſonantium 101. 105. ſeq.
Affixa 87. 168. 181. 183. 185. eorum origo 184. ſignificatio 184. 185. Gravia 184. 186. 216. Levia 184. Syllabica 184. 216. Aſyllaba 184 216. Particularum Separabilium 188
Affixio 175. 176. 186. Suffixorum cum Verbis 214. ſeq.
Afformantes 200-202. Syllabicæ 200. Aſyllabæ 200. 222. earum origo 209
Agglutinationis Punctum 186. 216
Ain unde dictum? 64. in Grammatica notat ſecundam litteram radicalem 199. eius pronunciatio 74. 75. 299. 300
אל Verbis mutationes accidentales inducit 222
Aleph unde dictum? 60. quot vicibus in univerſo Codice Hebr. occurrat? 281. cum Dageſch Forti 155. Heemanticum an Superlativum exprimat? 174. non patitur ante ſe Scheva ex Syriſmo 161. 231. quomodo quieſcat? 137. præmittendum ו initiali 73. 146. Emphaticum in linguis Chald. Syr. & Samar. 228. Epentheticum 227. Paragogicum 227. eius pronunciatio 73
Allœoſis 237
Alternatio Vocalium 161. τῶν Schevaim 162
Amphibolias arguitur lingua Hebr. 19. 27
Amphimacer pes 249
Analyſis Hebr. 242. Chaldaica 298. a nonnullis facilitata 53. 54. 298. 299.

Anaſtrophe 226. 241
Ancipites Vocales an habeant Hebræi? 95
'Ανδρόγυνος vox 202
Anglicana Biblia Polyglotta 359
Animalium Nomina Hebr. ab aliis Nominibus diſcrepant 28. 29
Anni Judæorum lunares 271
Annotationes in Textum V. T. 49
Antimeria 173. 237
Antiphraſes an dentur in lingua Hebr. 19. 20. 204
Antiquitates Græcæ & Romanæ in multis ad Antiquitates S. alludunt 23
Antitheſis 226
Antwerpienſia Biblia Polyglotta 258
Aoriſti Græcorum 203
Apertæ Paraſchæ ſive ſectiones Pentateuchi 89. 272
Aphæreſis 225. litteræ Nun 62. 208. Jod 210
Apocope 221. litteræ Mem 170
Apollinaris linguæ Hebr. gnarus 37
Apoſtrophus Græcorum 13
Aquila Ponticus idem habetur cum Onkeloſo 295
Arabes habent tantum tres Partes Orationis 165
Arabiſmi in lingua Hebr. 232
Aram regio latiſſime patuit 287
Aramæa vocatur lingua Chald. 285. 287. Dialectus 231. 232
Aramææ voces in Textu Hebr. V. T. 12
Archaiſmi linguæ Hebr. 187
Archiduces Accentus 117
Arithmeticus uſus litterarum Hebr. 78. ſeq.
Armenica lingua 238
Articulus 181. ה 157. 168. 173. 189. 220
Aruch Lexicon Hebr. 39
Aſſyriaca ſcriptura 70. Dialectus 286
Aſteriſcus ſupra & intra voces Hebr. 131. 263

Aſyl-

Aſyllaba Affixa 184. 216
Aſyllabæ Afformantes 200, 222
Aſyndeton 226. 242
Athe merachik, Dageſch Forte 142. 157
Athnach Accentus 111. 115. 117-119. 122
Attica Dialectus multas conſtructiones cum lingua Hebr. habet communes 235
Autographa exemplaria Textus V. T. Hebr. 253. 254

B.

Babylonica lingua vocatur Chaldaica 286. Gemara 37. 266
Babylonici codices mſcr. V. T. Hebr. 266
Bacchius pes 249
Barones Accentus 117
Baſſus 122
Bec Phrygum lingua panem notat 26
Ben Aſcher 38. 267. 277. eius codex mſcr. V. T. Hebr. 254. 266. 267
Ben Naphthali 38. 267. 277. eius codex mſcr. V. T. Hebr. 266. 267
Benoni 195
Beth unde dictum? 60. 66. quot vicibus in univerſo Codice Hebr. occurrat? 281. eius pronunciatio 73
Biblia Complutenſia 41. 258. Hebraica Bombergii 42. 260. 261. Hutteri 112. 259. Polyglotta 258. ſeq. Rabbinica 260. Hebræo-Latina 260. Hebræo-Germanica 261. nude Hebraica 261. 262. non punctata 262
Biformes litteræ 80. ſeq.
Biſonæ litteræ 73. 83
בָּתִּים quale habeat Kamez? 156
Breves Vocales, vid. *Vocales*.
Breviſſimæ Vocales 101

C.

Cadentia. Gallice *cadence* 14
Cadmus litterarum nomina & figuras Græciæ intulit 59. 66
Calligraphia Hebr. 242
Cananæa lingua 4. an eadem cum Hebraica? 6
Caph unde dictum? 63. finale recipit Scheva 102
Capita Textus V. T. Hebr. 273. 274
כשר extra Salomonis ſcripta non legitur 32
Caſus Nominum Hebr. 172. Obliqui Pronominum Perſonalium quomodo exprimantur? 300
כְּבָר in ſolis ſcriptis Salomonis occurrit 32
Centenarii numeri quomodo litteris Hebr. exprimantur? 78. 79. 81
חֲלָקִים, in quæ dividuntur Paraſchæ maiores 272
Chaldæi unde dicti? 285. 286
Chaldaica Dialectus ſive lingua 231. 281. 285. ſeq. ad linguam Hebr. proxime accedit 30. 32. 289. in hanc irrepſit 25. a quibusdam habetur pro omnium antiquiſſima 8. 289. pura & impura 288. eſt facillima 289. utiliſſima 289. ſeq. neceſſaria 292. eius ſubſidia 296. ſeq.
Chaldaicæ Paraphraſes, vid. *Paraphraſes* Chald.
Chaldaiſmi in Textu Hebr. V. T. 285. 290. 293
Characteriſticum Dageſch Forte 142
חָרוֹן 249
Chateph Kamez 97. unde dictum? 104. Patach unde dictum? 104. hoc in Patach tranſit 120. 148. Segol unde dictum? 104
Cheth unde dictum? 62. eius pronunciatio 74
Chirek 94. 95. 100. 103. unde dictum? 99. longum 94. 95. 98. 161. hoc defective ſcribitur 98. breve 94. 95. 100
Chiruk 114
Cholem 94. 95. 98. 100. 161. unde dictum? 99. defective ſcri-

ſcribitur 98. cum punčto diacritico litteræ ש coaleſcit 105. 108. diſtinguendum ab Accentu Rebhia 111
Chriſtiani reſtaurarunt linguam Hebr. 41. ſeq. & Accentuationem Hebr. 124
Circulus ſupra vel intra voces Textus Hebr. 131. 263
Clauſæ Paraſchæ 89. 127. 272
Codices mſcr. Textus V. T. Hebr. 253. ſeq. orientales & occidentales 266. deperditi 253. 254. ſuperſtites 255. ſeq. 300
Collectiva Nomina 171
Colon 119
Comites Accentus 117. 118
Comma 119
Commentarii in V. T. 49
Commune Genus 169. 197
Comparatio Nominis 173
Comparativus Gradus quomodo exprimatur? 173
Compendia Gram. Hebr. 44. 45
Compenſativum Dageſch Forte 142. 156
Complementa Temporis ſive Moræ deficientis 146-148. 156. 158
Complutenſia Biblia Polyglotta 41. 258
Compoſita in lingua Hebr. pauca 12. Verba 207. Syllaba 122. 123. 144. 150. 156. 161. 221
Compoſiti Accentus 130
Conciſio Scheva Compoſiti 157
Concordantiæ Hebr. 40. 48. 49
Concretum, pro eo ponitur Abſtractum 174
Conditionate immutabiles Vocales longæ 161
Congeries punctorum 131. 132
Coniugationes 198. ſeq. Hebræis pauciſſimæ 12. Dageſſatæ ſive Graves 142. 166. 199. Non-dageſſatæ ſive Leves 166. 199. Paſſivæ carent Imperativo, præter Niphal 196. earum ſignificatio 203-205.

Coniun-

Coniunctio 81
Coniunctivi Accentus 117-119
Conſignificativæ litteræ ſerviles 87
Conſonans Vocali inter legendum præmittitur 136. ſola non ſufficit ad Syllabam136. ne quidem cum Vocali brevi 145
Conſonantes comparantur cum corpore 83. incompatibiles 13. ſibilantes, vid. *Sibilantes* Conſonantes.
Conſtructum Nomen 172
Contractio 13. Vocalium 161
Convoluti codices mſcr. 255
Correptio Vocalium 161
Critica veterum Hebræorum circa Textum V. T. Hebr. 276. ſeq. 290
Criticæ litteræ 89
Critica Puncta 90. 130. ſeq.
Cuſtos 80. 103

D.

Dachik, Dages Forte 137. 142. 157. 182
Dageſch ſive *Dages*, unde dictum? 105. Lene, tollit adſpirationem litterarum adſpiratarum 116. pronunciationi faciliori inſervit 14. 139. an ſit ſpurium quid? 106. tollitur per lineam Raphe 108. 126. eius ope duplices exhibentur ſoni 17. 73. eius munus 139. Forte 140. ſeq. 147. binas Conſonantes refert 17. 106. eſt mutabile 161. non admittitur a litteris Gutturalibus 154. 155. excidit ex litteris, maxime ſchevatis 159. 218. compenſatur 161. 218. irregulare 225. a Chaldæis mutatur in Nun 231. 232. Compenſativum 142. 156. Characteriſticum 142. Præformativum 142. Euphonicum 142. 156. quid hoc inſinuet? 156. 160. Dachik 137. 142. 157. 182. Athe merachik 142. 157. eius munus 140. 141. ſedes 141. 142. ſpecies 142. omiſſio quid notet? 156. 160
Dageſſata Coniugationes 142. 166. 199. 206. 207 211

Daleth

Daleth unde dictum? 61. eius pronunciatio 73
Darga 113. 115. 118
Decades quomodo litteris Hebr. exprimantur? 78
Decalogi Accentuatio gemina 109. 125. 126
Declinationes 172. proprie nullæ 21
Defectus linguæ Hebr. 18. 19. 187. 198. 203
Defectiva Verba 206. prima littera radicali Nun 208. prima Jod & Lamed 208. ſecunda radicali 208. 209. 232. tertia Nun & Thau 208
דֶּלֶת 250
Demonſtrativa methodus applicatur Grammaticæ Hebr. 51
Demonſtrativum ה, vid. *Articulus* ה & *He* Demonſtrativum.
Demonſtrativa Pronomina 181-183
Denominationes linguæ Hebr. 4. ſeq.
Dentales litteræ 85. 86
Derivata Nomina 86. 87
Diacriticum punctum litteræ ש 17. 73. 76. 105
Diæreſis 226
Dialectus Aramæa 231. 232. Chaldaica in linguam Hebr. irrepſit 25. Hebræa quid in N. T. 4. 288. Hieroſolymitana 4. 34. 288. Maſoræ 281. Syro-Chaldaica 4. 34. 36. 290
Dialecti non dantur in lingua Hebr. 12. 231
Dicta probantia 22
Dilatabiles litteræ 80
Dionyſius Halicarnaſſeus 165
Diphthongi nullæ in lingua Hebr. 13. 138. 139.
Diplaſiaſmus 225
Diſcantus 122
Diſſertationes de vocibus Hebr. & in loca Biblica 49
Diſtichon 250
Diſtinctio maior 159

Diſtin-

Diſtinctiones Hebr. cum Latinis & Græcis non plane conveniunt 119
Diſtinctivi Accentus 116-119. 139. maiores 22. 222
Dithyrambicum carminum genus 247
Diviſio litterarum Hebr. 80. ſeq.
Dominii Nomina 238
Dualis Numerus 170. ubi uſitatus? 171
Duces Accentus 117. 118
Duplices litteræ Hebr. 58. 77
Dynaſtæ Accentus 117

E.

עֶבֶד i. e. *ſervus*, vocatur Scheva 101
עֶבֶד עֲבָדִים. h. e. *ſervus ſervorum*, vocatur Scheva 101
Ebræa ſive *Ebraica* lingua, vid. *Hebræa* ſive *Hebraica* lingua.
Effectus Nomina quomodo Hebræis formentur? 28
Elementa linguæ Hebr. 57. ſeq.
Ellipſis 185. 215. 226. 235. 237. 238. non pugnat cum perfectione linguæ Hebr. 18. Verbi 166
Emphaſes 17. 18. 22. 131. 190. 240. ignorantiæ aſylum 125
Enallage 226. 237-239. Generis 180. 187. Numeri 198 Temporum 203. 209
Enclitica dictiones Græcorum 130
Epentheſis 226-228.
Epenthetica litteræ 88. 228. an ſint otioſæ? 228. ל 182
Epiphanius 85. 105
Epiſtolæ dominicales 121. 246. 273
Eſra an litteras Chaldaicas pro antiquis Hebraicis ſive Samaritanis introduxerit? 68. 69. 289. an Puncta Hebr. invenerit? 90. an auctor ſit τȣ̃ Kri & Kethibh? 263. 264. primus Maſoræ auctor habetur 276. eius autographum exemplar Pentateuchi an ſuperſit? 253. 254
Eſſentialis valor litterarum Hebr. 72. ſeq. uſus earundem 86

Evan-

Evangelia dominicalia 121. 246. 273
Euphonia linguarum 13. 14. linguæ Hebr. 13. 14. 160. 176. 209
Euphonicus Accentus, vid. *Accentus.*
Euphonicum Dageſch Forte 142. 156
Euſebius Cæſarienſis 67. 246. Emeſenus linguæ Hebr. gnarus 37
Exotica voces in Textu V. T. Hebr. 12. 231

F.

Fata linguæ Hebr. 25. ſeq.
Figura litterarum Hebr. 67. ſeq. a rebus tritiſſimis petita eſt 59. ſucceſſu temporis aliquas ſubiit mutationes 59. 60. 70. eſt Hieroglyphica 65. antiquiſſima 66. 69. circa eam quorundam ſingulares hypotheſes 68. ſeq. Vocalium 96. ſeq.
Figuræ ſermonem reddunt ornatiorem 14. Grammaticæ 225. ſeq. 237. Orthographicæ 225. 226. Etymologicæ 226. 237. Syntacticæ 226. 237. ſeq. Rhetoricæ 242
Finales litteræ 58. 80. ſeq. 279. cur inventæ? 81. a Maſorethis uſurpantur pro numeris centenariis 79. 81
Fœmininum Genus 169. 197
Forma Syllabarum 150. Nominis 175. quid? 167
Formæ vocum 31. 125. 158. 159. 161. Nominum 188. earum regularitas 17. notiones 167
Formales ſignificationes vocum Hebr. 19. Verbi 204. 205
Formativæ litteræ ſerviles 87
Futurum 195
Futura abſolute poſita 222

G.

Gaja 114
Garſchajim Accentus 113. 115. 117
Gemara Babylonica 37. 266. Hieroſolymitana 36. 266

Generales vocum Hebr. notiones 19
Geneſeos liber quot contineat Paraſchas maiores 273. & Verſus? 278
Genus Neutrum in lingua Hebr. non datur 169
Genera Nominis 169. quomodo cognoſcantur? 169 Verbi 197
Gentilia 168. 190
Gereſch 113. 115. 117. 118
Germanica lingua 183
Gimel unde dictum? 60. 61. eius pronunciatio 73
Græca lingua quot habeat voces? 15. multas conſtructiones habet cum Hebraica communes 235
Græcæ voces in Daniele 231
Græci veteres habuerunt tantum tres Partes Orationis 165
Gradus Comparativus quomodo exprimatur? 173. Superlativus quomodo efferatur? 173
Grammaticæ Hebr. 43. ſeq. 299. linguarum orientalium Harmonicæ 45. Chaldaicæ 296. 297
Grammaticus uſus ſive munus Accentuum 122. 123
Graves Coniugationes 199
Gravia Affixa 184. 186. 216
Gutturales litteræ 58. 85. 86. 103. 104. 136. 143. 189. 190. multa habent ſibi peculiaria 154. 155. non geminantur per Dageſch Forte 14. 154. 155. amant Patach ſive ſonum A 14. 154. 178

H.

H olim apud Græcos nota erat adſpirationis 74
Hagiographa 269. 270. 295
῞Απαξ λεγόμενα Hebr. in lingua Chald. reſidua 290 quorundam ſignificatio non ſatis liquet 18
Haphtaroth ſive *Haphtaræ* 262. 271. 273
Harmonia linguarum ſubſidium memoriæ præſtat in diſcenda lingua Hebr. 545

He

He unde dictum? 61. eius pronunciatio 73. quomodo quieſcat? 137. non quieſcit in medio 176. 177. 212. Mappikatum 267. Emphaticum in linguis Chald. Syr. & Samarit. 228. Paragogicum 174. 182. 227. 228. hoc quid notet? 88. 228. Epentheticum 227. Præformans interdum deficit 211. Articulus ſive Demonſtrativum 157. 168. 173. 189. 190. quibus Nominibus hoc non præfigatur? 168. 190. excluditur 190. Interrogativum 189.

Hebræi unde dicti? 4. 5. 9. 29. ſunt βραχυλόγοι & ταχυλόγοι 158. 173. 175. carent Diphthongis 13. 138. 139. Genere Neutro 169. Pronominibus Reciprocis 185. & peculiari Tempore Præſenti 196. pauca habent Adiectiva 167. & paucas Particulas 187. proprie non habent Declinationes 172. ſubtiliter diſtinguunt 119. quo ordine ſcribant & legant? 135. 136. habent Caſus latentes, non patentes 172. non diſtinguunt inter Pronomen Poſſeſſivum tertiæ perſonæ *ſuus* & *eius* vel *eorum* 185. duos Accentus immediate ſe excipientes non ferunt 159. veteres quomodo Scheva Mobile pronunciaverint? 143. an rhythmo vel metro uſi ſint? 246. ſeq.

Hebræa ſive *Hebraica* Dialectus quid in N. T. 4. 288. lingua unde ſic dicta? 4. 9. an homini naturalis? 26. eſt primæva 10. an fuerit lingua protoplaſtorum? 8. an ante diluvium mutationes ſubierit? 27. 28. an perierit in confuſione Babylonica? 9. arguitur amphiboliæ 19. 187. eſt præſtantiſſima & perfectiſſima 16. ſeq. ſimpliciſſima 10. 12. 13. facilis 20. ſeq. mater plurimarum linguarum orientalium 10. elegantiſſima & ſuaviſſima 13. ſeq. pauca habet Compoſita 12. & pauciſſimas Coniugationes 12. 21. caret Dialectis 12. 231. fuit copioſa 15. 16. quot habeat voces? 15. 21. eius denomina

minationes 4. ſeq. origo 8. 26. natura & qualitates 11. ſeq. puritas 12. 13. variationes 31. defectus 18. 19. 187. 198. 203. Radices poſſibiles 16. utilitas 22. 23. neceſſitas 24. fata 25. ſeq. ætas florens 25. 31. 32. defloreſcens 25. 32. ſeq. & ſeneſcens 25. reſtauratio 25. 38. ſeq. ſubſidia 43. ſeq. diſcendæ methodus 49. ſeq.
Hebræo-Latina Biblia 260
Hebræo-Germanica Biblia 261
Hebraiſmi in N. T. Græco 23. 36
Heemanticæ litteræ 87. 167
Helleniſtæ 35. 36
Hemiſtichion 250
Hendiadys 226. 241
Heptapla Regia Biblia 259
Hermeneuticus uſus ſive munus Accentuum 122. 123
Heteroſis 237
Hexametrorum Verſuum auctor habetur Moſes 246
Hierichuntinus codex mſcr. V. T. Hebr. 255
Hieroglyphica notio figuræ litterarum Hebr. 12. 65. 70. ſeq.
Hieronymus 37. 40. 58. 67. 76. 84. 93. 104. 106. 107. 132. 246
Hieroſolymitana Dialectus 4. 34. 288. Gemara 36. 266
Hillel 34. 295. eius exemplar Codicis Hebr. 254
Hiphil 198. 199. eius ſignificatio 205
Hithpahel 185. 198. 199. eius ſignificatio 205
Hophal 198. 199
הוא olim fuit Generis Commun. 31. 187
Hungarica lingua 183
Hypallage 226. 241
Hyphen Græcorum & Latinorum 130

I.

יְ quando primum Nominibus Propriis additum? 30
Iambi ſive Iambici verſus 247. pes. 249

יְתֵה 249
Idiotiſmi linguæ Hebr. 236
Iehuda Hakkadoſch auctor Miſchnæ 36. 37
Ierach 113. 115. 118. 123
Ieremias arguitur Solœciſmorum 18
Ieſajæ vaticinium exemplum Hebraiſmi eximie florentis 32
Iethibh 111. 112. 115. 117
Imperativus 195. 196
Imperatores Accentus 116-119
Imperfectum Tempus 195. 218-220. Verbum 193. 206. ſeq.
Impropria ſedes Dageſch Fortis 141. 142
Improprius uſus litterarum 86. 89
Impura lingua Chald. 288
Incompatibiles Conſonantes 13
Indageſſabiles litteræ 199
Infinitivus 195. 196. pro Nomine 167. abſolutus 196. conſtructus 196. 225. 228
Infinitivi admittunt Affixa ut Nomina 215. 217. an revera ſint Nomina? 215. 217. 228
Inſeparabiles Particulæ 192. 300
Interjectio 181
Interpretes LXX Græci quomodo efferant litteras ב, ג, ד 106. ח & ז 73. כ 106. ע & צ 73. ר 76
eorum Verſio 268
Interrogandi & exclamandi ſigna 110
Interrogativa Pronomina 181. 182
Interrogativum ה 189
Intransitivum Verbum 196. 203. 204
Iod unde dictum? 63. quomodo quieſcat? 137. 138. Quieſcens eſt fulcrum ſive pars Chirek longi 98. Otioſum 200. 227. Paragogicum 227

Jonathan Ben Uziel auctor Paraphraſeos Chald. 34. 128. 288. 295
Joſephus 84. 128. 246
Iſidorus Hiſpalenſis 56. 246
Italica lingua 183
Ittur Sopherim 266. 279
Juda Chijug primus Grammaticus Hebræus 39
Judæa ſive *Judaica* lingua 4. 5
Judæi linguæ Hebr. obliti 34. ſeq. eam reſtaurarunt 38. ſeq. iuxta Accentus modulantur 111. 120. pauca in Accentuatione Hebr. præſtiterunt 116. 124
Jutica lingua a nonnemine habetur pro omnium antiquiſſima 9

K.

Kadma 110. 113. 115. 118
Kal 198. 199
Kamez 94-96. 100. 161. unde dictum? 99. magnum & latum 100. parvum 94. 100. eius pronunciatio 96. 100
Kamez chateph 100
Kamez chatuph 94-96. 98. 100. unde dictum? 100. male ſcribitur (ׇ:) 97. 157. cum Scheva compoſitionem ingreditur 103. quomodo a Kamez longo diſtinguatur? 150. 156. 157
Karne phara 112. 115. 117
Kethibh 31. 110. 131. 232. 262. ſeq. 280
Kibbuz pum 99. ſephathajim 100
Koph unde dictum? 65. eius pronunciatio 75
Kri 31. 98. 110. 131. 141. 169. 187. 262. ſeq. 280
Kybbuz 94. 95. 99. 103. unde dictum? 100. interdum eſt Vocalis longa 148. 161. cum Schurek alternat 148. 161.

L.

L.

Labiales litteræ 85. 190
Laborantes voces in Accentuatione 120. 125
Lamed unde dictum? 63. ſignificat *coram* 291. Accuſativum notat ex Syriſmo 232. apud Grammaticos ſignificat tertiam litteram radicalem 199
Latina lingua 183
Lectiones Variantes Textus Hebr. 38. 82. 83. 98. 126 127. 131. 132. 137. 138. 141. 147. 155. 187. 259. 262. ſeq. 280. antiquiores 262. ſeq. recentiores 267. 268
Legati Accentus 118. 124
Leves Coniugationes 199
Levia Affixa 184
Lex i. e. Pentateuchus 269. 270
Lexica Hebraica 46. ſeq. 53. 299. Harmonica & Polyglotta 47. Univerſalia 46. Specialia 47. 48. Particularum 47-49. Chaldaica 297. 298
Libri V. T. quot? 58. 270
Lingua Hebraica, vid. *Hebraica* lingua.
Linguæ viciſſitudinibus obnoxiæ ſunt 25. 34
Linguales litteræ 85. 86
Liquorum Nomina Plurali carent 171
Litteræ Hebr. quot? 57. 58. 270. quot in univerſo Codice S. Hebr. numerentur? 281. ſine Punctis 281. adſpiratæ 58. 73. 83. 106. 108. 139. 140. biformes 80. ſeq. biſonæ 73. 83. Criticæ 89. Dentales 85. 86. Dilatabiles 80. Epentheticæ, vid. *Epentheticæ* litteræ: eiusdem organi permutantur 226. Finales, vid. *Finales* litteræ: Gutturales, vid. *Gutturales* litteræ: Heemanticæ 87. 167. inſolitæ 82. 131. 266. Labiales 85. 190. Linguales 85. 86. maiuſculæ & minuſculæ, 82. 131. 266. Mobiles 83. 137. Narinæ 85. Non-gutturales cur interdum

dum adſciſcant Scheva Compoſitum? 154. Otioſæ 88. 138. Palatinæ 85. Paragogicæ 88. 176. 177. 227. 228. Pulmonales 85. punctatæ 131. 132. 266. Quieſcentes ſive Quieſcibiles 83. 84. 137. 138. 140. 161. 280. hæ facile inter ſe permutantur 86. 214. 226. omittuntur 138. 265. & abundant 265. radicales 84. 86-88. 167. 193. ſeminales 194. ſerviles 84. 86-88. 167. 200. ſibilantes 14. 140. 195. 202. ſuspenſæ 82. 131. 266. uniformes 80. 83. uniſonæ 84. quomodo Maſorethæ circa eas verſentur? 280. earum inventor fuit vir ſapientiſſimus 66. poteſtas ſive valor 72. ſeq. diviſio 80. ſeq. mutationes 153. 175. ſeq. figuræ a rebus tritiſſimis petitæ 59. hæ ſucceſſu temporis aliquas mutationes ſubierunt 59. 60. numerus 57. 58. nomina 59. ſeq. hæc ſunt antiquiſſima 59. male punctata 59. & exacte reſpondent figuris litterarum 59. ordo 58. 59

Logicus uſus ſive munus Accentuum 122

Longæ Vocales, vid. *Vocales* longæ.

Longinus 18

Lutheri exemplar Bibliorum Hebr. 261

M.

Maarich 114

Madrigalia 248

Mahpach 111. 113. 115. 118. Sarkatus 115

מַיִם cujus Numeri? 170

Makkaph ſive *Makkeph* 130. 142. 175

Malabariæ incolæ Conſonantes vocant *corpus*, Vocales autem *vitam* 83. Vocales ſuas ad certam menſuram metiuntur 96

Malachias, in eo idem Hebraiſmi ſtylus regnat, qui in ſcriptis Moſis offenditur 13. non occurrit Kri & Kethibh 264

מַלְמַד quid? 63
Manes unde ſibi nomen impoſuerit? 291
Mappik 105. 107. an etiam litteris Vau & Jod inſcribatur? 107. 108. tollitur per Raphe 108
Maſculinum Genus 169. 197
Maſora 275. ſeq. 290. nævis laborat 97. 277. 278. Parva 277. Magna 277. Finalis 277
Maſoretha 25. 38. 91. 92. 130. 132. 141. 187. 263. 275. ſeq. 290
Maſſiliani hæretici, unde dicti? 291
Materia Syllabarum 136. ſeq.
Mathematica fere eſt punctatio vocum Hebr. 17
Matres lectionis 61. 65. 84. 91. 92. 99. 149. 265. 296
Mecbujaël primum Nomen compoſitum cum Nomine divino 28
Megilloth 255. 257. 262. 295. quid? 270
מְלָכִים vocantur præcipuæ Vocales 94. 101
Melo phum 99
Melodia Muſicæ 246
Mem unde dictum? 63. 64
Memoriæ ſubſidia in addiſcenda lingua Hebr. 54
Merca 113. 115. 117. 118. 123. 125. Kephula 113. 115. 117. 118. Mahpachatus 113. 115. 118. 119. 123. Sarkatus 115
Metallorum Nomina carent Plurali 171
Metaplaſmus 226
Metatheſis litterarum 202. 226. Vocalium 161. 226
Metheg 111. 114. 143
Methodus commoda diſcendæ linguæ Hebr. 49. ſeq. Tabularis 50. Philoſophica & Demonſtrativa Grammaticæ Hebr. applicatur 51
Metrica Accentuatio 117. 118. 125
Metrici Accentus 118. 121. libri V. T. 245
Metrum 117. 246. 247
Millenarii numeri quomodo litteris Hebr. exprimantur? 79

מִלְעֵיל 119
מִלְרַע 119
Mineralium Nomina carent Plurali 171
Miſchna 23. 37
Mobile Scheva, vid. *Scheva.*
Mobiles litteræ 83. 137
Modi Verborum 195. ſunt pauciſſimi 21
Moloſſus pes 249
Monades quomodo litteris Hebr. exprimantur? 78
Moræ Syllabarum 17. 21. 95. 96. 122. 123. 136. 144. ſeq. 156. 158
Moſes an monumenta quædam ſcripta habuerit? 10. 11. habetur pro inventore Hexametrorum 246
Motio Nominis 169. 175. 176
Moveri Hebræis quid? 83
Munach 113. 115. 118. 125. Superior ſive Supernus 115. 117. 118. Infernus 118
Muſicæ melodiæ 246. Notæ 95. 121
Muſici toni 121
Muſicus uſus Accentuum 120. ſeq. 125
Mutationes Nominis 174. ſeq. Verbi eſſentiales 205. 206. accidentales 205. 206. 214. ſeq. Punctorum generales 153. ſeq. 165. earum cauſæ 153. ſeq. modus ac ratio 161. 162. pleræque ex principio Morarum explicari poſſunt 145. ſpeciales 153. 165. 174. ſeq. litterarum 153. Verbi 200. 209
Mutum Scheva 102. 143. 154
Myſticum officium Accentuum 122

N.

N mutatur in Conſonantem ſequenti ſimilem 13. 14.
ἐφελκυστικὸν Græcorum 13. 227
נַעַר tempore Moſis fuit Generis Commun. 31
Narræ litteræ 85
נְגִינוֹת

בְּנִינוֹת III. 120
Niphal 198. 199
Nobiles Accentus 117
Nomen 165. ſeq. Subſtantivum 167. Adjectivum 167. Proprium 167. 168. Appellativum 167. 168. Conſtructum 172. Regens 172. 175. 177. Rectum ibid. Simplex 166. Compoſitum 166. Primitivum 166. Derivativum 166. 167. Nudum 167. Auctum 167. Leve 166. 167. Grave ſive Dageſſatum 166. 167. ejus Notatio 166. ſeq. Numeri 169. Caſus 172. Motio 169. 175. Comparatio 173. Mutationes 174. ſeq. Status Abſolutus 173. 177
Nomina non omnia tres Numeros habent 171. Locorum 190. 228. in ו carent Plurali 138. dominii 238. Collectiva 171. Derivata 86. 87. animalium diſcrepant ab aliis Nominibus 28. 29. Segolata 177. quæ? 178. hæc veluti in pauſa pronunciata 60. membrorum corporis geminorum 171. Abundantia & Heteroclita in Plurali 171. divina an Superlativum exprimant? 174. litterarum Hebr. 59. ſeq. hæc ſunt antiquiſſima 59. ſignificativa 67. male autem punctata 59. exacte reſpondent figuris litterarum 59. Punctorum ſunt Hebraica 91. Vocalium 99. Propria non admittunt Articulum 188. 190. neque Affixa, Regimen aut Pluralem 168. 171. ea Græcis terminationibus fuerunt prolata 36. ſubſidium memoriæ præſtant in diſcenda lingua Hebr. 54. 168. ſunt maximi momenti 168. & ſignificativa 168. hominum antediluvianorum 28. hæc unde explicari poſſint? 10. Cananæorum urbiumque eorum ſunt Hebraica 6. cum Nomine divino יָהּ compoſita quando primum invaluerint? 36. eorum proprietates 168

Nominum impoſitionis rationes 17. ſignificationes ex Formis 167
Nominalia Affixa 184
Nominativus Verbo poſtponitur 236
Non-dageſſata Conjugationes 166. 199. 210. 211
Non-gutturales litteræ cur Scheva Compoſitum recipiant? 154
Non-punctati codices Textus Hebr. 93
Non-punctata Biblia Hebr. 262
Notæ abſentis Vocalis 101. 104. 114. 143. Muſicæ 95. 121
Notatio Nominis 166. ſeq. ejus uſus 167. 168
Numerus litterarum Hebr. 57. 58. in univerſo Codice Hebr. 281
Numeri quomodo apud Hebræos litteris exprimantur? 78. ſeq. Nominis 169. ſeq. Verbi 197. 198
Numeralia 168. Cardinalia diſcrepant ab aliis Adjectivis 29. à III ad X anomaliam Generis habent 29. 141. 169. Subſtantivis præmittuntur 235
Nummi Hebræorum litteris Samaritanis conſignati 70
Nun unde dictum? 64. Schevatum in ſequentem Conſonam mutatur 208. Epentheticum 226. 227. Paragogicum 215. 227. inverſum 82. 89

O.

Obſcœna voces a Maſorethis in honeſtiores mutatæ 263. 265
Obſervationes in Grammaticam Hebr. 46. in voces & loca Biblica 49. 298
Onkelos Paraphraſtes Chaldæus 288. 294. 295
Onomaſtica S. 47
Oratorium munus Accentuum 122
Ordo litterarum Hebr. 58. 59. ſcribendi & legendi 135. 136. Partium Orationis 166
Organi ejusdem litteræ 85. facile inter ſe permutantur 85. 86

Ori-

Origenes 37. 58
Otioſæ litteræ 88. 188
Otioſum Jod 200. 227

P.

Paal ſiue *Pahal* 199
Pahul ſiue *Paul* 195. 196. 212
Palæſtini codices mſcr. 266
Palatinæ litteræ 85
Papa Grammaticus 101
Paragoge 226-228
Paragogicæ Syllabæ 228. litteræ 88. 176. 177. 227. 228. an ſint otioſæ? 228
Paragogicum Nun 215. 226. 227. He 174. 227. 228
Paraphraſes V. T. Chaldaicæ 34. 288. ſeq. 293. ſeq. earum uſus 290. ſeq.
Paraſchæ Pentateuchi 35. 89. 128. 271. 272
Parentheſes 89. 110
Pariſienſia Biblia Polyglotta 259
Partes Orationis 153. quot Hebræis? 165. 166
Participium 195. 197
Participia ſequuntur flexionem Nominum 166. admittunt Affixa vt Nomina 215. 217. componuntur cum Pronominibus Separatis ex Aramæiſmo 232
Particula 181. ſeq.
Particulæ variæ ſunt ſignificationis 187. Flexibiles 181. ſeq. Inflexibiles 181. 187. ſeq. Separabiles ſiue Separatæ 187. 188. hæ admittunt Affixa 188. 214. & pleræque ſunt Nomina 188. Inſeparabiles 142. 188
Partitiones Textus V. T. Hebr. 269. ſeq. Vniverſales 269. Particulares 271
Paſchta 110. 112. 113. 115. 117
Paſer 112. 115. 117. 118

Paſſionis Verbum 204
Patach 94-96. unde dictum? 96. 100. magnum & latum 100. parvum 94. 100. cum Scheva compoſitionem ingreditur 103. Furtivum 101. 102. 104. 105. 136. 144. 154. hoc cum Patach Vocali confunditur 104
Patronymica 150. 168
Pauſa 14. 159. 160. 221
Pauſantes Accentus 22. 27. 159. 222
Pe ſive *Phe* unde dictum? 64. eſt littera Critica 89. apud Grammaticos notat primam litteram radicalem 199. ejus pronunciatio 75. 106. 107
Pedes Carminum 249. 250
Penſa Grammatica 51. Biblica 52
Pentateuchus Samaritanus 69. Hebraicus dividitur in Paraſchas 271. & in סְדָרִים ſive ordines 272
Perfectum Tempus Verbi 195. Verbum 193. 206
Permutatio τῶν Schevaim 162
Perſicæ voces in Textu V. T. Hebr. 12. 231
Perſonæ Verborum 197. cur prima ſit Generis Com. 197
Perſonalia Pronomina 181. 184. 300
Philoſophica & Demonſtrativa methodus Grammaticæ Hebr. applicatur 51
Phraſeologia Hebr. 242
Phraſes linguæ Hebr. ſunt ſimplices 12. ſublimes & emphaticæ 14. 17. 18. in ſcriptoribus profanis occurrunt 24. æquitatem juſtitiamque præ ſe ferunt 6
Pihel 198. 199. 204
Piska 126. 131. 266. 279
Plato 8
Pleonaſmus 226. 227. 240
Pleonaſmi non pugnant cum linguæ Hebr. perfectione 18

Plu-

Pluralis Numerus 169. pro Singulari poſitus 238
Plurilittera Verba 206. 207. 300. eorum ſignificatio 207
Plusquamperfectum 195. 219. 220
Poëſis Hebr. 245. ſeq. veterum Hebræorum 245. ſeq. recentiorum 249. 250
Poëtici libri V. T. 245. 271
Pohel 198
Polonica lingua 13
Polyglotta Lexica 47. Biblia 258. ſeq.
Polyſyndeton 226. 241
Poſſeſſiva Pronomina, vid. *Pronomina.*
Poſtpoſitivi Accentus 110. 115. 116
Poteſtas ſive valor litterarum Hebr. 72. ſeq.
Præfixa 89. 182. 188. ſeq. eorum origo 189. præfixio 189. 190. וכלב 157
Præfixum Vau 279. varias habet ſignificationes 187
Præformantes 200-202
Præformativum Dageſch Forte 142
Præpoſitio 181. interdum deficit 239
Præpoſitivi Accentus 111. 115. 116
Præſens Tempus peculiare in lingua Hebr. deficit 196
Præteritum Tempus 195. 196. ejus ſignificatio 203
Primitiva 88. ſunt trilittera 12
Privatio Accentuum 130
Productio Vocalium 161. τῶν Schevaim 162
Pronomen 181. ſeq.
Pronomina Separata 181. 184. 187. componuntur cum Participiis ex Aramæiſmo 232. Poſſeſſiva in lingua Hebr. deficiunt 6. Affixa ſive Suffixa, vid. *Affixa.*
Pronunciatio Hebræorum 158. 173. 175. litterarum Hebr. 72. ſeq. Vocalium 100
Prophetæ 269. 270. dividuntur in Haphtaras 273

Propria ſedes Dageſch Fortis 141
Proprius uſus litterarum Hebr. 86
Proſaica Accentuatio Hebr. 117
Proſodia Hebr. 250
Prostheſis 225
Pſammetichus litem de lingua antiquiſſima componit 26
Pſik 113. 115. 117. 118. Munachatum 116
Pulmonales litteræ 85
Punctatio Hebr. eſt fere Mathematica 17. ejus difficultas 21. 22
Punctum 119. Diacriticum litteræ ש 17. 73. 76. 105. Verbi terminale 206. 209. 216. 217. 222. Agglutinationis 186. 216. originarium reſpicitur in mutationibus 161
Puncta 90. ſeq. ſine litteris in Textu S. 281. à quibusdam Grammaticis omittuntur 22. 51. 52. mutabilia 160. 161. contrahuntur 159. quomodo circa ea verſetur Maſora? 281. ſonum moderantia 90. 94. 101. 137. ſeq. 160. dominantia 94. 138. 160. ſervilia 101. ſeq. 138. 139. 161. tonum regentia ſive Accentus 109. ſeq. 138. 160. Critica 90. 130. ſeq.
Punctorum origo & antiquitas 90. ſeq. nomina ſunt Hebraica 91. congeries 131. 132. mutationes 124. vid. & ſupra *Mutationes* Punctorum.
Pura dicitur lingua Hebr. 4. 6. lingua Chald. 288
Pyhal 198. 199

Q.

Quadrata ſcriptura 68-70
Quadrati codices mſcr. 255
Quadrilitteræ Radices 16
Qualitatis Verba 28. 204
Quantitas Vocalium 95. Syllabarum 144. ſeq. Pedum Carminis 249

Quie-

Quieſcere Hebræis quid? 83
Quieſcentes ſive *Quieſcibiles* litteræ 83. 84. facile inter ſe permutantur 86. 214. 226. 265
Quieſcentia Verba 206. 209. prima radicali Aleph 209. prima radicali Iod 209. 210. media radicali Vau & Iod 210. 211. tertia radicali Aleph & He 212. 221. 222. 232
Quintilianus 19. 165

R.

R litteræ caninæ κακοφωνία ac difficultas pronunciationis 155
Rabbinica Biblia 260
Radix, i. e. Primitiva vox 86. 196. 197
Radices Hebr. multæ deficiunt 18. ab aliis linguis orientalibus repetendæ 12. quot poſſibiles? 16. quot actu in Codice S. Hebr. ſuperſtites? 16. ſunt trilitteræ 12. 193. 194. 300. Chaldaicæ pleræque ſunt Hebraicæ 288
Radicales litteræ 84. 86-88. 167. 193
Raphe 108. 109. 126
Realium divitiæ in lingua Hebr. 16
Rebbia Accentus 111. 112. 115. 117-119. Gereſchatus 113. 115. 118. 119
Rebbozo Syrorum 231
Reciproca Pronomina in lingua Hebr. non dantur 185
Rectum Nomen 172. 175. 177
Reformatio Eccleſiæ quibus rebus adiuta? 41
Regens Nomen 172. 175. 177
Reges Vocales 94. 101. Accentus 116. 117. 119
Regia Biblia Polyglotta 258
Regii Accentus 117
Regimen Nominis 167. 168. 174. 175. 227. 239. quid? 172 eſt cauſa mutationum 175. 177. 178
Relatiua Pronomina 181. 182. 239

Reſch unde dictum? 65. an ſit littera leniter dageſſabilis? 106. cur reſpuat Dageſch Forte? 155. aliquoties tamen admiſit 156. 160
Rhetoricus uſus ſive munus Accentuum 122. 123
Rhythmus 246. 248-250
Rhythmicus Verſus 249. 250
Rhythmicum Carmen 249. 250
רֹאֶת olim pro נָבִיא 32
Rucboch Syrorum 108

S.

Sabbathicæ Paraſchæ ſive Sectiones Pentateuchi 272
Sakeph katon & gadol 112. 115. 117. 119. 126. 127
Salomonis tempore lingua Hebr. locupletata fuit 31. in eius ſcriptis quædam vocabula nova occurrunt 32
Samaritanæ litteræ an ſint Hebræorum genuinæ & primævæ litteræ? 66. 68-70
Samaritanus Pentateuchus 268
Samech unde dictum? 64. eſt littera Critica 89. 127. 128
Sanbuki codex mſcr. Codicis Hebr. 255
Sancta dicitur lingua Hebr. 4. 6. 7
Sarka Accentus 112. 115. 117. 118. Conſervus 118. Poſtpoſitivus 118. tabula 120
Schalſcheleth 112. 115. 117. 118
שָׁמַיִם cuius Numeri? 170
Schebher 100
שְׁתַּיִם quale habeat Dageſch? 140. 141
Scheva 101. ſeq. 114. 137. 143. 144. eſt mutabile 161. initiale veteres per A pronunciarunt 64. unde dictum? 101. eius pronunciatio 101. 103. 143. omititur 102-104. Simplex 101. 103. hoc mutatur in Compoſitum 162. Mobile 120. 147. 154. 158. 249. quod? 143. hoc fit Quieſcens 102. 143. 158. 162. Quieſcens 136. 139.

Digitized by Google

139. 154. 158. quod? 143. hoc fit Mobile 154. 162. mutatur in Patach Furtivum 154. Mutum 102. 143. Compoſitum 154. 158. hoc mutatur in Simplex Quieſcens 158. 159. 162
Schevaim Compoſita 101. 103. ſeq. 121. 144. 154. eorum pronunciatio 104
Schin, ש, littera biſona 73. 76. 83. unde dicta? 65. Præfixum, in Salomonis ſcriptis frequentius 32. ſequiori ævo in linguam Hebr. introductum 189
שִׁיר 249. 250
שִׁירָה 250
Schurek 94. 95. 98. 100. unde dictum? 99. 100. parvum 100
Scribæ, סוֹפְרִים, 276. 279
Scriptura quadrata 68-70
Sebirim 266. 280
סְדָרִים in Pentateucho Hebr. 271-273
Sedes toni ſive Accentus 115. 116. 119. 120. mutatur 159. Dageſch Fortis 141. 142
Segol 94. 95. 98. 100. 103. unde dictum? 100. cum Scheva compoſitionem ingreditur 103
Segolata Nomina 177. quæ? 178. maximum Nominum numerum faciunt 178
Segolta 111. 115. 117. 119
Semicolon 119
Semina vocum 13
Seminales litteræ 194
Semiſpondeus 249. 250
Servi Accentus 116-119. 123
Serviles litteræ 84. 86-88. 167. 200. quotuplices? 87. 88
Sibilantes litteræ 14. 140. 195. 202
Sicilicus Latinorum 106
Significationes Nominum ex Formis 167

Silluk 111. 115. 117-119. 122. 126. 127. 274
Simplex Syllaba 122. 123. 150. 157. Scheva, vid. *Scheva.*
Sin an ſit littera ſpuria? 76
Sinai montis codex mſcr. 255
Sinenſes ubi ut Hebræi loquantur? 236
Singularis Numerus 169. 197
Sinica lingua a nonnemine habetur pro primæva 9
סְגֹר 250
Solœciſmi linguæ Hebr. 18. 19. 238
Sonum moderantia Puncta, vid. *Puncta.*
סוֹפְרִים i. e. *Scribæ* 276. 279
Speciales vocum Hebr. notiones 19
Spiritus 136. linguæ Hebr. 58. 59. Lenis Græcorum reſpondet Hebraico א 73
Spondeus pes 249. 250
Status Nominis Abſolutus 173. 177
Status Verbum 204
Stylus Maſoræ 281. Poëticus librorum metricorum V. T. Hebr. 245. 248
Subdiſtinctio 119
Subdiſtinctivi Accentus 118
Subſidia linguæ Hebr. 43. ſeq. Chaldaicæ 296. ſeq. Accentuationis Hebr. 129. 130
Subſtantivum Nomen 167. præponitur Adiectiuo 238
Subſtantiva pro Adiectivis 167. & contra 173. admittunt ſignificationem Superlativam 174
Suffixa 181. 183. 185. vid. & *Affixa.*
Superlativus Gradus quomodo exprimatur? 173. 174. etiam Subſtantivis competit 174
Suspenſæ litteræ 82. 131. 281
Syllabæ 135. ſeq. Paragogicæ 228. illarum ordo 135. 136 materia 136. ſeq. æqualitas 17. 144
Syllaba Simplex 122. 123. 150. 157. Compoſita 122. 123. 144. 150. 156. 161. 221. longa & brevis in Poëſi 249

Sylla-

Syllabica Affixa 184. 216
Syllabicæ Afformantes 200
Syllepſis 226. 241
Synagoga Magna 35. 263
Synalæphe 226
Synchyſis 226. 241
Syncope 225. 226. litteræ Nun 140. 141
Syntaxis 235. ſeq. ſimplex 235. regularis 235. irregularis 235. 237. ſeq. figurata 235. 237. ſeq. convenientiæ 235. rectionis 235. 236
Syntheſis 226. 241. 242
Syriaca lingua 231. a quibusdam habetur pro primæva 8. 299. cum Chaldaica fere eadem eſt 34. in Iudæam introducta 34. Dialectus 286
Syro-chaldaica Dialectus 4. 34. 36. 290
Syro-chaldaiſmi in N. T. Græco 36

T.

Tabulæ in Grammaticam Hebr. 50
Tabularis methodus 50
Talmud Babylonicus 266. Hieroſolymitanus 266. 288. nimia eius æſtimatio 38
Targumim 34. 268. 287. ſeq. 293. ſeq. eorum uſus 290. ſeq.
Targumica lingua vocatur Chaldaica 287
Tautologiæ an in lingua Hebr. 240
טְעָמִים i. e. *Accentus* 111
Tempus ſive Quantitas Syllabarum 21. 95. 96. 144-146 148
Tempora Verbi quot? 195. ſunt pauciſſima 21. eorum ſignificatio 203
Ternarius numerus pro perfecto habetur 193. 194
Teſdid Arabum Dageſch Forte 199
Teth unde dictum? 62. 63. eius pronunciatio 74

Tetra-

Tetragrammaton nomen 84
Textus V. T. Hebr. 253. ſeq. eius codices mſcr. 253. ſeq. editiones 258. ſeq. Variantes Lectiones, vid. *Lectiones* Variantes: Partitiones 269. ſeq. circa eum Critica veterum Hebræorum ſive Maſora 275. ſeq.
Thau unde dictum? 65. eius pronunciatio 76. 140. 202. terminatio fœmin. 169. 176. 177. Paragogicum 228. Samaritanum habet formam crucis 70
Thebhir 112. 115. 117
Theliſcha gedola 112. 113. 115. 117. ketanna 112. 113. 115. 118
תְּנוּעָה 249
Theodoretus 8
תּוֹרָה i. e. *Lex* ſive Pentateuchus 269
Tikkun Sopherim 266. 279
Tiphcha 112. 115. 117. 119. Tonicus 118. Anterior ſive Præpoſitivus 118
Tituli Grammaticarum & Lexicorum Hebr. monſtroſi 22. 49
Tonus quid? 90. mutatur 175. 186. 216. 221
Tonum regentia Puncta, vid. *Puncta.*
Toni Muſici 121
Transeuphratenſis vocatur lingua Chald. 287
Transitivum Verbum 203. 214
Transpoſitiones Accentuum 125
Tria puncta, i. e. Kybbuz 100
Tripliciter Imperfecta Verba in lingua Hebr. non dantur 213
Trochæus pes 249
Turcæ qua in re Hebræos imitentur? 228
Tzadi unde dictum? 64. 65. eius pronunciatio 75
Tzeri 94. 95. 98. 161. unde dictum? 99

V.

ו initiale 249. Syllabam incipit & abſolvit 146. an ſit Vocalis brevis? 147
Valor litterarum Hebr. 72. ſeq.
Variantes Lectiones, vid. *Lectiones* Variantes.
Vau unde dictum? 62. eius pronunciatio 73. quomodo quieſcat? 137. 138. Quieſcens fulcrum eſt τῶ Cholem & Schurek 98. an conſtituat primam & tertiam litteram radicalem? 194. 210. Copulavum 217. Præfixum 279. multas habet ſignificationes 187. Hippuch ſive Converſivum 214. 217. ſeq. 226. Paragogicum 227
Veadar menſis 271
Verbum 193. ſeq. an prima Pars Orationis? 166. Perfectum 167. 193. ſeq. 206. Imperfectum 167. 193. 206. ſeq. Transitivum 203. Intranſitivum 203. 204. 215
Verba Neutra 196. Qualitatis 28. 204. ſimpliciter Imperfecta 213. dupliciter Imperfecta 213. Mixta 213. 214
Verbalia Affixa 184
Verſus Textus V. T. Hebr. 274. 278. 279. quot in toto Codice Hebr. 278
Vicaria τῶ Scheva 101. 137. 143. 144. ſunt mutabilia 161
Vicarii Accentus 118. 124
Virtutum & *Vitiorum* Nomina carent Plurali 171
Uniformes litteræ Hebr. 80. 83
Uniſonæ litteræ Hebr. 84
Unitates quomodo per litteras Hebr. exprimantur? 78
Vocalis ſola vel nuda non ſufficit ad Syllabam 136. 145. longa habenda pro brevi 149. & contra 147
Vocales 94. ſeq. 138. comparantur cum anima 83. mutabiles 161. immutabiles 161. tam longæ quam breves ſingulæ proprias habent figuras 17. 95. longæ 95. 96. 121. breves 95. 96. 121. hæ ſua natura ſunt

ſunt mutabiles 161. mutantur in longas 14. ancipites an dentur apud Hebræos? 95. breviſſimæ 101
Vocalium nomina 99. figura 96. ſeq. pronunciatio 100. Quantitas 95
Vox bis poſita quid notet? 240
Voces, quomodo circa eas occupetur Maſora? 280
Urim & Thummim quid? 72
Uſus litterarum Hebr. 86. ſeq. arithmeticus 78. ſeq. Accentuum 119. ſeq. Muſicus 120. ſeq. Maſoræ 281. 282
Vulgata Verſio 268

Z.

Zain unde dictum? 62. eius pronunciatio 73. 74
Zeugma 226. 241
Zodiaci ſigna 60. 64.

CORRIGENDA.

P. 7. l. 6. dele *eſſe*. p. 12. l. 27. lege *Carpovins*. p. 19. l. 7. *adſunt*. p. 65. l. 11. *deprehendere*. p. 99. l. 21. *rupit*. p. 127. l. 25. *demonſtratum*. p. 137. l. 6. *Karjan*. p. 155. l. 14. *poſſent*. p. 197. l. 13. *tertia* (pro *prima*). p. 202. l. 16. צ (*pro* ת). p. 241. l. 30. *Anaſtrophes*. p. 271. l. 31. (in aliquot exempl.) *enneadecaëteride*. p. 273. l. 7. & 11. *Haphtaras*.

Aea 1472134